EPHEMERIDES
ORDINIS CARTUSIENSIS

IMPRIMI POTEST.

Fr. ANSELMUS-MARIA, Prior Cartusiæ.
2 Februarii M. DCCC. XCII.

IMPRIMATUR.

CAR. LELEUX, Vic. Gen.
Atrebat., 15 Februarii M. DCCC. XCII.

EPHEMERIDES
ORDINIS CARTUSIENSIS

AUCTORE

D. LEONE LE VASSEUR

CARTUSIANO

NUNC PRIMUM A MONACHIS EJUSDEM ORDINIS
IN LUCEM EDITÆ

VOLUMEN QUARTUM

MONSTROLII
TYPIS CARTUSIÆ S. MARIÆ DE PRATIS
M DCCC XCII

EPHEMERIDES

ORDINIS CARTUSIENSIS

MENSIS OCTOBER

(PROSEQUITUR)

XVI DIE OCTOBRIS

ANNA VAN DER WEGHE

MONIALIS BRUGIS

Amatrix summa et observatrix disciplinæ regularis, ingentis spei virgo; quæ morte præventa, in brevi tempora multa complevit. Obiit anno 1458, die 16 Octobris. Post aliquot a funere suo dies apparuit juxta sepulchrum suum magna claritate circumfusa, in argumentum gloriæ qua anima illius fulgebat in perpetuas æternitates.

Ex Mss. hujus Domus.

ANDREAS XIMENES

CONVERSUS DE PAULARI

Damus depromptum ex Manuscripto Cartusiæ de Paulari Elogium Andreæ Ximenes, his verbis exaratum :

« Clarissimus virtutibus hic Frater multa sui dedit exempla apud nos et exteros, apud quos degere aliquando jussit obedientia; cujus bono odore recreatis, sibi et nobis, optimum peperit nomen. Mandata cura maxima implebat, modo charitas, modo injunxisset obedientia, domi manens, ac si in mo-

nasterio esset. Emicuit aliis, sed præsertim custodia sensuum exteriorum, noscens mortem ingredi per fenestras; pepigeratque cum oculis suis fœdus nequidem de virgine cogitare.

« Multos transegit annos Segoviæ in domuncula nostra huic monasterio deputata, ut inde necessaria nobis emeret et remitteret : apud cujus cives et illustrissimum Præsulem DD. de Castro adeo virtus ejus valuit, ut non solum constans fama duret adhuc intra ejus limites, sed Toleti alibique sparsam cognoscimus. Præsul illustrissimus in Litaniis aliisque processionibus, an accessisset F. Andreas solitus erat sciscitari. Quid plura? Scimus urbis Prætorem nobilissimum, hora noctis nona et postea, jussisse pulsare Domum nostram illac transeuntem, qua Fratrem nostrum certioraret pisces salsos tunc adventasse, si vellet emere. Cui per fenestram, post redditam gratiarum actionem : « Non est hora, Domine mi, qua Religioso necessaria etiam empturo egredi domicilio fas sit. » Quibus verbis majorem apud eum reliquosque socios sibi conciliavit authoritatem.

« Animadversum fuit in eo præter alia, si se interpellatum novisset fœminæ voce, neque convertisse faciem neque levasse oculos, ne forte interior homo turbaretur exteriore quantumvis justo visus usu. Accidit sæpissime illum ab eis fuisse provocatum, cum emeret aliqua, ut intenderet oculis aspiceretque; sed nunquam cessisse scimus, neque effudisse verba, sed necessariis et expedientibus empto quod volebat, discessisse. Non solum cum his fœminis sic agens, sed cum monialibus, a quibus accersebatur aliquoties tantummodo ut virum ita spectatum alloquerentur; nec, cum sanctis etiam agens, sanctiorem internum interrumpebat sermonem.

Inter alia, pro certi negotii expeditione Metymnam Campensem accedere jussit Prælatus; ubi famulus comes calceos emere sibi postulavit, ejusque annuens petitioni, sutoris officinam ingressus, quosdam videns bene elaboratos, manu captos obtulit famulo quærens ejus beneplacitum. Qui cum melius eo novisset fœminæ non viro illos convenire : « Anne, inquit, ego fœmineis utar calceamentis? » Vix audivit vir sanctus hæc verba, cum, illis relictis, manus occulte visus est purgare, ne tactus aliquid nocumenti puritati attulisset. Hoc notarunt præsentes, potissimum autem famulus quantumvis rusticus, qui postea nobis enarravit. Non ignorabat vir probus fœminearum rerum tactu veluti præsentaneo veneno perplures periclitatos, stimulisque luxuriæ agitatos aliquos, veluti Macarium Romanum et alios.

Huic vigilanti curæ Deus addidit aliam non minorem pro oratione, abstinentia cæterisque virtutibus Religioso dignis sollicitudinem. Quibuscum ad exitum perductus feliciter, vitæ cursum absolvit prægustata, ut credimus, futuræ beatitudinis dulcedine; paulo enim

ante, veluti raptus in extasim, ad se reversus ait, « Quam bene Deus largeque impertit munera! » adeo alacri vultu et corde, ut merito sui præmii pignora expertum fuisse judicatum sit. E vivis excessit die 16 Octobris, anno 1609, professionis 18.

PETRUS PAULUS NICOLINUS

MONACHUS BONONIÆ

Bononiensis ; naturæ debitum persolvit anno 1637, die 16 Octobris. Vir prodigiosi ingenii, et idoneus Beseleel ad omnia quæcumque sapere ac effingere potest humana industria : integre tamen sua exercitia, non decurtata, exequebatur. Deinde nutu sui Prælati operabatur tanquam parvulus; devotus, insignis dono lachrymarum; mansuetudine, abjectione, sui contemptu clarus.

Ex Chronico Cartusiæ Bononiensis.

XVII DIE OCTOBRIS

VIARDUS

CONVERSUS LUVINIACI
FUNDATOR ORDINIS VALLIS CAULIUM

Circa annum 1185 vixit hic celebris Frater Conversus in Cartusia Luviniaci ad multos annos laudabiliter ac exemplariter, constitutus sub obedientia Superiorum hujus Cartusiæ. At quoniam se interius trahi sentiebat a Deo ad Vitæ magis solitariæ conversationem, a Superioribus, non novo sed raro tamen exemplo, licentiam obtinuit Vitæ semotioris et a tumultibus rerum sæcularium elongatioris peragendæ. Quod vero non novum id fuerit apud antiquos Cartusienses, docet sancti ipsius Brunonis exemplum, qui sub vitæ finem remotus a monasterio Fratrum S. Stephani de Bosco, solitariam et anachoreticam conversationem elegit in eremo Turrensi S. Mariæ, cum aliquot ejusdem propositi anachoretici severioris Fratribus.

Igitur Frater Viardus, obtenta facultate solitarius agendi, secessit ad locum vicinum eidem Cartusiæ, qui tamen duobus circiter milliaribus distat, dictus Vallis caulium, vulgo *Val des Choux,* ibique eremitice vixit, sub obedientia tamen Prioris Luviniaci. Casu autem aliquando contigit, ut Dux Burgundiæ venationi intentus, ad illa loca nescius deveniret; qui occurrens pio Eremitæ, eum valde veneratus est. Cumque, ex habitu despecto et viri gravitate motus, quiddam sanctitatis in

eo deprehendisset, magnam de ipso habens opinionem, ipsum rogavit quatenus ejus uxori, quæ sterilis erat, prolem a Deo impetraret, et de suis hostibus reportaret victoriam : spondens, si hæc a Deo per ejus preces obtineret, se ei ædificaturum monasterium. Paulo post Ducis conjux concipit et parit filium.

At Dux non immemor sponsionis, monasterium Vallis caulium ipsi construxit; quod sensim ita excrevit habitatorum numero, ut in varia loca suas emiserit propagines : quarum numerus ad octodecim monasteria censetur, sed quæ in commendas sæculares prolapsa sunt. Suis vero discipulis Frater Viardus dictavit vivendi Leges, quas Summus Pontifex Honorius III confirmavit. Porro illorum monachorum habitus similis est habitui Cartusiensi, excepto quod caputium a cuculla separatum est, et in publico cappis nigris uti soleant. In hoc cœnobio decessit F. Viardus, die 17 Octobris, sanctitatis opinione relicta.

De hoc Ordine plura diximus in Volumine Provinciæ Franciæ, ubi retulimus Constitutiones seu Acta Capitulorum Ordinis Vallis caulium.

JOANNES CASTORIS
PRIOR PRAGENSIS

Quem spectatissima virtus, singularis prudentia, zelus Ordinis, in rebus agendis peritia, morumque integritas multum commendavit. Hic diu præfuit huic monasterio totique Provinciæ, cujus erat Visitator. Huic, anno 1373, præter Domus Pragensis regimen, demandata fuit administratio novæ Domus prope Brunam. Utramque etiam Alemaniam postea visitavit. Tandem multis pro Ordine perfunctus honorifice laboribus, die 17 Octobris, anno 1382, feliciter obdormivit in Domino.

Ex Catalogo Priorum Domus Pragensis.

JOANNES D'AUFFAY
PRIOR GOSNAY

Dictus etiam Landry; ante Ordinis ingressum Canonicus et Thesaurarius ecclesiæ B. Mariæ Tornacensis. Dimisso Canonicatu, pauperem sectatus Christum in hac Gosnayensi Cartusia, cum adhuc Novitius esset, ut suas expenderet proficue facultates, de bonis suis partim egenis, partim huic suæ professionis Domui pro reparandis ejus ædificiis, ac Majori Cartusiæ quinquaginta scuta largitus est. Id patet ex Charta Capituli generalis anni 1432, quæ injungit Missam de B. Maria per totum Ordinem in Conventu celebrandam pro Ducissa Clarentiæ, Comite Ciliæ, et pro Fratre Joanne Landry, Novitio in Domo Vallis S. Spiritus prope Gosnayum, qui misit Capitulo viginti quinque scuta, et Domui Cartusiæ alia viginti quinque scuta.

Vix emiserat vota professionis, cum admotus fuit officio Prioris hujus Domus, cujus moderamen jam habebat anno 1433. Perspecta siquidem erat Superioribus eximia Joannis virtus, et singularis in Deum pietas. Translatus ad gubernaculum Cartusiæ Tornacensis, postea rediit ad Prioratum Gosnayensem. Anno 1442, vel circa initium anni 1443, a R. Patre institutus Prior Divionensis, circa exordium anni 1445 revertitur Prior ad Domum suæ professionis.

Fuit apud omnes laudatissimus ob suam in pauperes charitatem, notaturque de illo quod ab utero matris in eo crevisset erga egenos miseratio. Factus siquidem Provinciæ Picardiæ Visitator, procurabat apud sæculi Magnates nonnulla subsidia pro pauperibus, maximeque pro Domibus suæ Provinciæ patientibus penuriam. Cum autem non minus religiose ac exemplariter quam utiliter Visitatoris Picardiæ et Franciæ munus obivisset, de Ordine bene meritus ad Superos evolavit, anno 1452, die 17 Octobris, percepturus a Domino laborum mercedem.

Ex Catalogo Priorum domus Gosnay.

Convenit Joannes beatum Patrem nostrum Nicolaum Albergati dum Atrebati versaretur pro concilianda pace inter Reges Franciæ et Angliæ.

JUDOCUS HINCKAERT

MONACHUS CAPELLÆ

Hujus in Ordine perseverantia haud vulgaris fuit, cum per sexaginta sex annos in eadem Domo, in eadem cella permanserit, vigiliis, jejuniis et orationibus addictus. Ibidem pie efflat animam, anno 1556, die 17 Octobris.

XVIII DIE OCTOBRIS

ALEXANDER CUIGNETI

PRIOR FONTIS B. MARIÆ

Primo Divionis, secundo Belnæ alumnus ; cujus pietas et religio ita spectabilis omnibus fuit, ut quasi unus de antiquis eremi Patribus haberetur. Et licet homines latere semper voluerit, ut quanto secretius, tanto securius fructum solitudinis apprehenderet, tamen per multas Ordinis Domos, videlicet Fontis B. Mariæ, Vallis S. Mariæ, Vallis bonæ, Allionis, monialium Saletarum et Pratimollis alternatim regimen adeptus, non minus Marthæ quam Mariæ vacare coactus est. Exactis autem in Ordine plusquam quinquaginta annis, naturæ debitum persolvit, anno 1476, die 18 Octobris.

Ex Catalogo Priorum Fontis B. Mariæ.

PETRUS DE CORDUBA

PRIOR XERITII

Nobilis Cordubensis ; professionem emisit anno 1494, die 1 Novembris, in Cartusia Xeritii ; cujus regimen capessivit anno 1509, mense Octobri, per novem annos jam antea munere Procuratoris religiosissime perfunctus. Huic monasterio per viginti et amplius annos præpositus, multis illud prædiis et ædificiis adauxit, adeo ut sibi vindicaverit secundi Fundatoris nomen. Nec minora certe fuerunt istius Domus spiritualium incrementa sub tanto Patre, qui præclaris eam virtutum suarum illustrabat exemplis. Nam divinis rebus semper adhærens et ambulans sollicite coram Deo, singularis custos erat obedientiæ, modestiæ, castitatis, silentii, solitudinis observantiæque regularis, habens zelum Ordinis mira benignitate conditum, in corripiendo subditos discretus, assidue intentus Novitiorum et juniorum educationi.

Paupertatem vero imprimis ita coluit, ut per triginta annos, quibus habuit curam rei domesticæ, vel minimum quid admiserit in cella, quod in illius commodum, vel in detrimentum hujus religiosæ virtutis cederet. Præterea diu noctuque intelligebat super egenum et pauperem, et ad illorum aspectum ejus viscera vehementer misericordia commovebantur, quia sub ipsorum persona contemplabatur Christum nudum et inopem. Et quia Dominus sub Petri regimine huic monasterio benedixerat, ideo pius Pater omnibus subveniebat larga manu. Multos siquidem captivos redemit, multas pauperes puellas collocavit in monasteriis, alias dotavit maritis tradendas, omnia prope pauperibus erogans, magnam in Deo habens fiduciam.

Tandem affectus valida infirmitate, mortem sentiens appropinquantem, singulis affabiliter valedixit, pieque decessit anno 1523, ætatis suæ 53, 15 Kalendas Novembris, relicta sanctitatis opinione.

Ex Catalogo Priorum Xeritii et aliis Monimentis.

GUILLELMUS LONGANUS

PRIOR TOLOSÆ

Mortalitatis exuvias deposuit anno 1589, die 18 Octobris, Guillelmus Longanus, Hybernus genere ; alias professus Ordinis Prædicatorum, Theologus insignis. Ad vitæ perfectioris statum anhelans, a R. Patre D. Bernardo Carasse inter monachos Majoris Cartusiæ adscribitur, ubi suarum fragrantiam virtutum spargens, assumitur ad moderamen Domorum Portus B. Mariæ et Tolosæ. Postea ab eodem Carasso revocatus ad primariam Cartusiam, multum fructuose in instituendis Novitiis laboravit : erat quippe Theologiæ my-

sticæ peritissimus, silentii ac solitudinis eximius cultor, addictus pœnitentiæ exercitiis, ac exemplaris.

Ex Manuscriptis.

JOANNES DE LORA

PRIOR DE CAÇALLA

Vir spectatissimus, Doctor in utroque Jure, ac Vicarius Generalis Archiepiscopatus Hispalensis ; spretis sæculi dignitatibus, suisque facultatibus erogatis, Institutum Cartusiense profitetur in Domo de Paulari, anno 1566, die 9 Junii. Factus Procurator et Vicarius Granatensis, strenue utiliterque laboravit in monasterii jurium ac bonorum defensione, multaque intra Domus terminos constituta et ad pacem et ad stabiliendam regularem observantiam necessaria, pretio comparavit. Postea in eodem cœnobio egit Priorem ; eodem functus munere in Cartusia de Caçalla. Fuit etiam Procurator de Paulari.

Vixit in Ordine 34 annos, omni virtute ornatissimus, singulari præditus prudentia, clarus eruditione, Divinarum rerum addictus contemplationi, solitudinis ac silentii amator, adeo ut invitus temporalium sollicitudini vacaret. Divinæ voluntatis placitis consecratus, multas æquo animo sustinuit infirmitates ; quibus tandem attritus, impar remansit ad quælibet Ordinis munia. Vitam posuit inter acutissimos colici morbi dolores, anno 1598, die 18 Octobris, postquam sancte admodum et devotissime Sacramentis fuisset munitus.

BRUNO OLIVIER

PROCURATOR MONTIS DEI

Fuit vere pius, modestus, in spiritu et veritate coram Deo et hominibus ambulans ; et quamvis per plures annos Procuratoris onus sustinuerit, nusquam tamen ab interiori occupatione vel latum unguem recessit, quasi semper in cellula claustrali vixisset. Hoc habebat in consuetudine, ut nihil omnino naturale naturaliter, sed divine et spiritualiter ageret, ad singulas actiones distinctas in se revertens, et vilissimas quasque in melius ex inspectione Divinæ voluntatis reformans. Exercitium namque Divinæ voluntatis præcipue amplectebatur : quod sane patuit, cum cadaver ejus post mortem de more lavaretur. Repertus namque est titulus serico inscriptus : *Domine, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.*

Cum ad extrema tenderet, dysenteria contagiosa laborans, subito agonizare cœpit in sella residens. Accurrit statim a famulo per fenestram evocatus Coadjutor, qui intuitus est eum ignea facie et ardentissima, ac si nihil mali passus fuisset : quod prodigiosum sane

videbatur, nam jam totum effuderat sanguinem, et antea visus fuerat pallidior. Complexus vero peramanter præfatum Coadjutorem, rogavit, postquam duo aut tria verba mirificam redolentia pietatem protulisset, ut pro Extrema Unctione pergeret ad Patrem Vicarium. Qui cum mox venisset, inunctis tantum oculis et auribus, tranquillissime animam exhalavit circa horam noctis tertiam, anno 1622, 18 Octobris. Fuit etiam Procurator Abbatisvillæ.

Ex Chronico Montis Dei.

BRUNO LINDER

PRIOR HERBIPOLIS, ET SOCII

Anno 1631, quo gens Suecorum (Lutherica pravitate dementata, et Orthodoxis, præsertim monasticæ Vitæ cultoribus inimica) Germaniam vastabat, cum regiæ Francorum Orientalium appropiasset, Herbipolenses Cartusiani adamatam sibi sedem deserere coacti sunt. Itaque V. Pater D. Bruno Linder Prior, cum D. Joanne Hupman istius Domus professo et Vicario, et D. Philippo Pfoch hic hospite, olim Procuratore Domus Ittingen, se recepit in arcem; in cujus occupatione plusquam sathanico furore a Suecis sævitum est in Religiosos ibidem repertos. Inter quos præfati Patres crudeliter sauciati et necati, totos se Deo victimas immolantes, martyrio consumpti sunt, die 18 Octobris. Porro D. Philippus Pfoch, cum interfectorum corpora humarentur, adhuc vivus, quamvis vulneratus immaniter, repertus est; qui redemptus a Nostris sexaginta dalerorum lytro, in curiam, in qua tunc cæteri Patres degebant, deportatus, vitam protraxit usque ad primam diem Novembris qua mortuus est, anno supra memorato 1631.

Ex Schedis hujus monasterii ad nos transmissis.

GUNDISALVUS A SANCTA MARIA

PROCURATOR SCALÆ CŒLI

Vir carnis mortificationi, orationi, silentio ac solitudini valde deditus; fatis fungitur anno 1657, die 18 Octobris, opinione sanctitatis relicta.

Id nobis ore testatus est Prior Eborensis.

CAROLUS BUCHALARD (CHRISTOPHORUS DU CHARLAT)

PRIOR FONTIS B. MARIÆ

Hujus monasterii professus. Anno 1612 Prior Bellilarici institutus, subsequenti anno transfertur ad Vallis profundæ moderamen ; in quo quidem officio permansit usque ad annum 1621, quo per generale Capitulum institutus est Procurator Domus Burdegalensis. Jamdudum sollicitabat Carolus R. Pa-

trem D. Brunonem d'Affringues, ut ab omni Prioratus onere liber, liceret sibi petere Burdegalam, quo vacaret patris sui et matris conversioni, qui ambo hac in urbe Calvinianæ hæresis erroribus impliciti degebant. Dolebat indolis optimæ filius jampridem parentum suorum vices, frequentesque coram Altissimo preces fundebat, ut tandem aliquando Catholicæ veritatis lumen ipsorum oculis illucesceret.

Tantæ pietatis patrocinans summus Cartusianorum Præfectus annuit Caroli votis; utque facilius hoc opus operaretur, noster Præpositus generalis ipsi Procuratoris officium imposuit. Omnem Carolus movit lapidem, ut parentes e Calvinismi tenebris reduceret ad lucem Evangelicam; verum ambo ita pertinaciter in errore permanebant, ut sæpe sæpius in filium stomachantes ei suæ domus aditum interdixerint. Dum oleum et operam perdere videbatur Burdegalensis Procurator, ipsius pater morbo corripitur. Sistit se paternis ædibus Carolus noster; cui ostium ægre admodum aperiens mater, vix hunc admisit ad ægroti colloquium. Cumque infirmum ille ea, qua par erat, Christiana libertate et amore ad revertendum ad Dominum exhortatus fuisset, ea fuit illius efficacia verborum, ut ægrotus ad veritatem oculos aperiens, hæresi abjurata, pie sancteque diem extremum clauserit, sepultus post mortem suam, uti enixe postulaverat, in Cartusia Burdegalensi.

Excandescebat non modicum orbata viro mater in filium; et in errore suo mordicus perseverans, obturabat aures suas ad vocem incantantis sapienter, donec extremo superveniente morbo, salutaribus Caroli monitis acquiescens, presbyterum accersit; a quo ad Ecclesiæ gremium reducta, perceptis, ut Christianum decet, Sacramentis, filium suum adaugens benedictionibus, feliciter vitæ cursum absolvit, eamdem cum conjuge suo nacta sepulturam apud Cartusianos.

His Procurator Burdegalensis reportatis de Calvinismo triumphis, mirificeque de parentum Christianissima morte consolatus, cum nihil jam sibi agendum amplius Burdegalæ cerneret (ad quam amborum salutis gratia tantummodo venerat), cupiens iterum egredi de terra suæ cognationis, de rebus suis feliciter confectis certiorem fecit R. Patrem. A quo in Comitiis generalibus anni 1627 revocatur ad gubernaculum Vallis profundæ, ubi clavum tenuit usque ad annum 1634, quo per generale Capitulum assumitur ad moderamen Domus suæ professionis Fontis B. Mariæ. Anno tandem 1641 ad suas instantissimas preces, causatus molestissimam surditatem, exauctoratur.

Vir fuit ob doctrinam, morum probitatem, modestiam, gravitatem et regularis observantiæ studium, apud omnes multum spectabilis : silentii solitudinisque custos eximius, assiduus in extrema licet ætate in frequentandis tam

diurnis quam nocturnis Officiis. Cujus facies nescio quid Angelicæ spirabat castimoniæ, antiquosque Patres eremi repræsentabat. Erat etiam profundi vir consilii. Qui postquam ultra sexaginta annos religiose laudabiliterque in Ordine transegisset, se seque diu bonis operibus ad adventum Domini præparasset, annum agens ætatis 87, tranquilla mente, sensibus integris, in oratione expirans, servus fidelis intravit in Domini sui gaudium, anno 1660, die 18 Octobris.

Hæc omnia excepi ex ore V. P. D. Pauli Jouanne, Prioris Domus Parisiensis et Visitatoris, olim Prioris Fontis B. Mariæ.

XIX DIE OCTOBRIS

JOANNES DE NEA

CONVERSUS PORTÆ CŒLI

Hujus Vitam descripsit in Historia Portæ Cœli D. Joannes Baptista Civera, qui perperam refert Joannem obiisse anno 1460. Melius dixisset, si posuisset annum 1459. In Charta etenim anni 1460 signatur obitus Joannis ad diem 29 Octobris : unde constat fatis functum fuisse post Capitulum anni 1459. Refert præfatus Civera obitum ejus ad diem 19 hujus mensis. Sunt autem hæc Auctoris verba :

Devotus hic Religiosus, juxta probabiliorem opinionem, ortus est in oppido de Anis in regno Aragoniæ. Qui in adolescentia sua stetit in obsequio Regum Aragoniæ Ferdinandi et Alfonsi. Inter alios familiares amicos quos tunc habuit, unus fuit, quocum singulari amicitiæ vinculo copulatus est, qui vocabatur Thomas Sarzana, cujusdam medici Lucensis in Italia filius; a quo dum discedere cogeretur, voluerunt ambo in testimonium sinceri Christianique amoris, Sacro Pabulo confortari. Quapropter sacerdotem rogaverunt, ut unam eamdemque Hostiam in duas partes divisam eis in alimentum spirituale ministraret. Deinde simul inierunt fœdus, ut quisquis ipsorum ad aliquem dignitatis seu secundæ fortunæ gradum se evectum conspiceret, socii veterisque amicitiæ memor socium felicitatis suæ participem faceret.

Interim Thomas tam diligenter strenueque literarum studiis operam dedit, ut successu temporis, propter eximiam eruditionem et præclaras virtutes, ad Summum Pontificatum assumptus fuerit. Joannes vero sæculi miseriis pertæsus, ad tutissimum monasticæ Vitæ portum confugit, et ad eremum Portæ Cœli, sanctitate et religione celebrem,

se recipiens, inter Fratres Conversos, anno 1413, annumeratus est.

Paucis post annis, R. P. Franciscus Maresme, Cartusiæ illius Archimandrita, perspectam et exploratam habens tanti viri in negotiis tractandis solertiam, et dexteritatem (summa cum religiositate ac exemplari conversatione conjunctam) ad dirimendas lites, Procuratorem illum instituit. Quo in officio magna cum sedulitate, diligentia et omnium approbatione perseveravit usque ad annum 1423. Tunc enim in Capitulo generali institutus est Œconomus novæ Domus Montis hilaris, quæ per id temporis tanta rerum inopia laborabat, ut ad Joannis adventum oppressa paupertate, jamjam respirans, eum velut Angelum Domini et suum restauratorem læta susceperit.

Directus fuit ad Curiam Romanam pro obeundis Cartusiæ Portæ Cœli negotiis (nam etsi pro majori parte vixerit in Domo Montis hilaris, interdum tamen ad suæ professionis locum revertebatur). Reperit amicum suum Thomam Sarzana cum ingenti gaudio et lætitia post tot annos commorantem in obsequio Reverendissimi et Sanctissimi Cardinalis D. Nicolai Albergati Cartusiani, qui adeo diligebat eum, ut illi totius familiæ suæ curam et administrationem commiserat. Postquam autem Joannes negotia, quorum gratia venerat Romam, expedivit, amico suo valedicens in Hispaniam reversus est; et ad Montem hilarem, quem favoribus Regis Aragoniæ et aliorum Magnatum, quibus erat acceptissimus, ampliarat, se se recepit.

At anno 1441 Thomas Sarzana, Joannis nostri familiarissimus (qui post mortem domini sui Cardinalis Sanctæ Crucis, Nicolai Albergati episcopi Bononiensis, in ejus locum suffectus fuerat, et paulo post adscriptus inter Patres purpuratos), ad sacri Sacerdotii supremam dignitatem, vacante Sede Apostolica per decessum Eugenii IV, elevatus, Pontifex Maximus renunciatus est; et in memoriam domini sui Cardinalis Albergati eodem etiam nomine appellari voluit, acceptorum memor beneficiorum quæ tanti Cardinalis munificentia susceperat; quique post illius obitum per visionem se ad S. Petri Sedem evehendum ab eodem Cardinale fuerat edoctus.

Sublimatus igitur ad illud honoris fastigium Nicolaus V, non est oblitus promissi alias Joanni nostro facti; quin potius eum accersiri jussit, et summo honore et benevolentia veterem prosecutus amicum, inter alias prærogativas ac gratias quibus illum cohonestavit, Nuncium Apostolicum in regnis Aragoniæ, Valentiæ et Cataloniæ et in insulis adjacentibus constituit, quemadmodum videre est ex quadam Bulla plumbea, quæ adhuc in archivis Montis hilaris asservatur. Cujus tenor hic est :

« Nicolaus Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Joanni de Nea, Fratri Domus Beatæ Mariæ de Porta

Cœli, Cartusiensis Ordinis, Valentinensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Famosa tua probitas laudabilium operum tuorum testimonio comprobata, sinceraque erga Nos et Romanam Ecclesiam tuæ devotionis et fidei plenitudo, spem Nobis indubiam repromittunt, quod ea, quæ tibi duxerimus committenda, prudenter, sollicite ac fideliter exequeris. Nuper siquidem quorumdam relatione didicimus, quod dudum quondam Petrus de Luna, Benedictus in sua Obedientia nuncupatus, ad pacem et unionem universalis Ecclesiæ, ac extirpationem detestabilis et horrendi schismatis in eadem Ecclesia tunc vigentis solerter intendens; pro supportatione gravium laborum et expensarum quas ipsum propterea de necessitate subire oportebat, a pluribus et diversis personis ecclesiasticis et sæcularibus in civitate Barcinonensi ac principatu Cataloniæ, necnon aliis civitatibus, terris et locis temporali dominio charissimi in Christo filii nostri Alfonsi Aragonum regis illustris subjectis, nonnullas pecuniarum quantitates per certos ad id per eum deputatos nuncios seu commissarios hujusmodi, exindeque ditiones nonnullorum censualium mortuorum nuncupatorum seu annualium pensionum juxta morem illarum partium factæ, etc...

« Te, de cujus probitate, fidelitate, circumspectione et industria specialem in Domino fiduciam obtinemus, ad partes illas nostrum et Apostolicæ Sedis Nuncium facimus, constituimus ac etiam deputamus : tibi, per te vel per alium seu alios, nostro ac Romanæ Ecclesiæ et dictæ Cameræ nomine, a prædictis creditoribus seu eorum hæredibus ac quibusve aliis personis cujuscumque conditionis, status, gradus, ordinis ac præeminentiæ fuerint, de quibuscumque fructibus, redditibus, proventibus, bonis, et juribus prædictis per eos et eorum quemlibet præmissorum occasione habitis et receptis, etc... *Et infra :* Contradictores quoque quoslibet in præmissis cujuscumque status, gradus, ordinis aut præeminentiæ fuerint, etiamsi Archiepiscopali vel Episcopali vel alia quacumque dignitate præfulgeant, auctoritate nostra per censuram Ecclesiasticam et alia opportuna juris remedia appellatione postposita compescendi, etc... Datum Romæ, 28 Maii, anno 1448. »

Insuper Papa prædictus fecit eum generalem Collectorem Cameræ Apostolicæ in supradictis regnis; et ut majori cum auctoritate hoc exequi posset, præbuit vexillum quoddam sericum signis Pontificalibus munitum (quod adhuc in Domo Montis hilaris conspicitur). Dedit quoque ei largam et amplam potestatem accipiendi et expendendi de prædictis redditibus seu bonis Apostolicis juxta omnimodam voluntatem suam. His et similibus favoribus ac gratiis adauctus, reversus est perhonorifice Joannes noster a Curia Romana.

Et talem opportunitatem et occasionem vacuam abire non patiens, consideransque Domum Montis hilaris exiguam nimis esse et angustam, cum tres aut quatuor tantum Religiosi incolerent monasterium quoddam in vertice collis situm (ubi modo Conversi habitant), quod paucos ante annos deseruerant quædam sanctimoniales Ordinis S. Augustini; dilatans igitur cor, et animum ad majora extendens, peritissimos quosque magistros operum et architectos expertos requiri fecit, qui novam ac consummatam in omnibus fabricam in latere montis delinearent. Et ut plantam, seu planitiem latam haberent ad jacienda fundamenta, oportuit ligonibus et malleis scindere bonam partem dicti montis; ibique in nomine Domini novam Domum a fundamentis ipsis erexit, adeo pulchram visu, optime partitam, fortem ac durabilem, ut cæteris Domibus præeminere dicatur.

Et non tantum ædificiis eam ornavit, sed et redditibus, juribus ac proventibus multis ditavit et locupletavit. Nam præter Summum Pontificem Nicolaum V, adjutrices ei manus porrigebant Rex Aragonum et multi alii Proceres. Præsertim Serenissima Regina Maria, generalis Gubernatrix horum regnorum propter absentiam viri sui Regis Alfonsi, impense amabat eum, ac eum instituerat suum specialem procuratorem; et quam plures alii Prælati et Cardinales committebant ei negotia sua : adeo ut mirum videretur, quomodo unus homo solus tot tantisque rebus sufficeret.

Favoribus igitur et auxiliis tantorum Procerum et præsertim consiliis et felici directione R. P. Francisci Maresme Prioris Cartusiæ (qui quamdiu vixit, Domum illam in suam tutelam speciali quadam amoris prærogativa suscepit, cum quo Joannes omnia communicabat, quemque consulebat in iis quæ ad illam Cartusiam spectabant), præfatam Domum a fundamentis erexit, ædificavit, et usque ad ultimum complementum et perfectionem perduxit. Unde aperte colligere licet, quam juste et convenienter ab omnibus nomen Fundatoris Montis hilaris ei tribuatur. Et similiter pensare debemus quam gratum obsequium Domino exhibuerit, infatigabiliter et indefesse laborans pro fundatione illius sanctuarii, ubi a Religiosis illic commorantibus usque ad finem sæculi laudandus est et glorificandus.

Volens ergo pius Dominus hujusmodi obsequium et præclara Joannis opera abunde in Cœlis remunerare, cum esset jam grandævus ac plenus dierum, ad cœlestem patriam evocatus est, anno 1460 (dicendum potius 1459), die 19 Octobris (juxta Ms. Portæ Cœli, et 29 Octobris juxta Chartam Capituli generalis anni 1460).

ARNULPHUS LIETELBOUT

VICARIUS MONIALIUM GOSNAY

Professus et Procurator Monstreoli; cujus Cartusiæ Prior ordinatus circa annum 1452, cum ibi per septennium magna cum suæ virtutis fama præfuisset, Christi bonus odor factus, anno 1459 assumitur ad regimen parthenii Gosnayensis; ubi doctrinæ cœlestis pabulo vitæque admodum religiosæ exemplis commissum sibi gregem deducens per justitiæ semitas, pastor bonus mercedem recepit æternam, anno 1478, 19 Octobris, mortuus in officio Vicarii Monialium.

Ex Manuscriptis.

XX DIE OCTOBRIS

MONACHI MARTYRES FONTIS B. MARIÆ

Anno 1567, in profesto Undecim millium Virginum, Cartusiam Fontis B. Mariæ Hæretici invadentes, quosdam monachos in odium Fidei Catholicæ trucidarunt. Ii siquidem velut rabidi canes, effusa licentia militari, cum duritia et stupore efferati adversus Deum et sancta obfirmassent animum, nihil prorsus sacra reveriti, conditorium cordis Philippi de Valois Gallorum regis, hujus Cartusiæ Fundatoris, diruunt, confringunt iconem, obliterant elogium, et cordis ejus sacram sedem elocant funesto sacrilegio. Prostraverunt etiam Hæretici illos, quos obvios primos habuerunt, multo majori furore, quam tumbam vel Regis memoriam. Nam primus eorum impetus exarsit in eum, quem defensionem parare vel classicum canere suspicati sunt.

Is erat F. THEOBALDUS TONNELIER, Conversus. Illum primum aggressi, non cominus sed eminus, omnem moram dedignati, sclopeto disploso dejiciunt in atrio. Qui lethali accepto vulnere, paululum cum morte conflictatus, Deo reddidit animam : per capillum verius quam toto corpore tractus in mortem, brevique sed felici morte confectus et consummatus, implevit multa tempora.

F. BENEDICTUS L'EVESQUE, Conversus hujus cœnobii professus, inter legendum Psalmos Pœnitentiales ab impiis istis et sceleratis percussus, vivendi pariter et orandi finem fecit.

D. JOANNES MOTO, professus et Coadjutor hujus monasterii; ubi primum cohortis hæreticæ vidit incursum, statim ad orationem stationemque suam recurrit. Intra cellæ nimirum suæ adyta confugit, velut ad unicum animæ suæ latibulum; ubi sclopeto confossus, eduxit sanguinis rivos, in quo moriens

suam dealbavit stolam, et omnia sua feliciter inquinavit vestimenta.

D. Joannes Avril, monachus hujus asceterii professus, eodem dejectus tormento sclopetario, ad altaris crepidinem, velut turtur Mosaycus, resecto gutture, retorto collo, sanguinem suum decurrere vidit.

D. Joannes Meignen, hujus etiam Cartusiæ alumnus, non habuit alium vitæ finem quam reliqui quatuor. Transiens enim per templum glande plumbea dejicitur, caditque ante summam aram sive violentia vulneris urgente, sive voluntate forte locum illum deligente. Quocumque demum motu vel impulsu ceciderit, certe cecidit; et quidem in eodem loco in quo professionem olim fecerat, ut sanguine consignaret id quod voce et voto conceperat, et per mortem remuniciparetur in Cœlis. Tunc et aliquid quoque de imagine perpetuæ humilitatis sibi visus est habere, quando prostratus in faciem, cum morte colluctatus est. Moriebatur autem remissis superciliis, oculis humilitate non infelicitate dejectis, ore taciturnitatis honore signato, colore qualis solet esse innoxiis, amictu forte circum pectus cruentato et corpori impresso; atque ita paulatim sanguine sinum replente, resolutus est in mortem; moriturque in illo loco, in quo sacerdotio sæpe functus fuerat in ordine vicis suæ, mutabilitatem hujus transitoriæ vitæ melioribus commutans natalibus.

Historiam panegyricam horum Martyrum descripsit noster Gerardus Eligius. Meminerunt etiam horum Monachorum, Theatrum crudelitatis Hugonoticæ, Historia ms. Ordinis Nicolai Molin.

MELCHIOR STICH

RECTOR BUXIÆ

Altdorffii in Suevia honesto natus loco; humanioribus jam eruditus literis, Philosophicis disciplinis Friburgi Brisgoiæ dedit operam, et captis in ea Facultate gradibus sive laureis, ad altissima Theologiæ studia animum appulit. Et inde ad Academiam Ingolstadiensem digressus, virtutibus intentus et literis ita se excoluit, ut in utra parte magis proficeret, discretu esset difficile. Hisce ille studiis præfulsit, et mirabili sui continentia, quæ magnum sui desiderium omnibus relinqueret. Ita quidem ex nomine et virtute notissimus Mathias Mairhofer Jesuista, Congregationis tum Ingolstadii Præses, de eo testatur: « Non sine nostro dolore hinc a nobis discedit M. Melchior Stich, vitæ honestate et singulari quadam morum probitate præditus, omnibus charus et gratissimus. Tam præclare autem se gessit semper, ut plerisque fuerit ad sequendam vitæ rationem meliorem exemplo et incitamento. » Hoc ille.

Postquam eum Pallas manumisit, ad sancti P. N. Brunonis castra trans-

iit, anno 1580. Humana itaque et divina, quam docti Scholasticam nuncupant, sapientia probe imbutus, omnem mentis obtutum in Mysticam defixit, et eam etiam prætulit aliis, quia tantum cujusque rei est desiderium quantum est de ea judicium. Nihil autem eo prius duxit, quam ut Deo se totum daret et impensissime serviret. Hac quippe de causa a Deo se conditum esse et Religioni dedisse nomen prudenter judicavit, et pro affectu, quem ad virtutem, ad perfectionem attulerat, optimum consilium decrevit inflexibili statuto. Inde factum est, ut vivam ardentemque flammam consequendæ perfectionis alens in corde, de virtute in virtutem alacerrime curreret.

Divinioribus deinceps maturus, anno 1582 a suo V. P. Priore cum libello supplice pro sacris Ordinibus ad Reverendissimum Augustanum antistitem Marquardum a Berg cum socio destinatur, et de egregia in Deum pietate, singulari obedientia, monasticæ disciplinæ observantia Episcopo commendatur. Ordinatus autem ille Sacerdos, ad ampliora mente et cognitione excurrere, vitam anteriorem reputare languorem, ardentius potentiusque ferri in virtutes : tantos fecit progressus, ut haud multo post eductus e cella, communi bono et œconomiæ præficeretur.

Et licet Marthæ officium exercens, plurimis negotiis, iisque frequentissimis implicaretur; memor tamen constitutionis Procuratoribus nostris positæ, se identidem recipere ad solitudinem, meditationibus mentem exercere, sacra lectione fovere spiritum, ferventes ad Deum mittere preces, primas rebus spiritualibus, alteras exterioribus occupationibus concedere. S. Hugonem ille æmulatus, nihil Josepho secius, sibi credita dextere ac utilissime ministravit, atque Fratrum suorum necessitatibus permagna charitate et benevolentia succurrit. Ob illud a suo Priore fidelissimi Œconomi, propter hoc Matris nomine passim a Conventu vocitabatur.

Cum V. P. Melchior huic suo officio triennium præfuisset, V. P. Lucæ facta est *misericordia;* et quia suo capite destituta erat Domus, a Patribus Commissariis optimo viro hujus Domus in utroque statu cura demandatur, et Rector indigetatur : quam eo usque gubernaret, donec V. P. Triphæus ordinatione Capituli generalis secundo Prior crearetur.

Rexit Domum amplius medio anno. Residuos autem vitæ suæ dies in œconomia tanta laude transivit, ut merito hoc posteris monimentum coævi posuerint et Necrologio hujus Domus inscripserint : « Obiit anno 1611, die 20 Octobris, D. Melchior Stich professus, et annis 26 Procurator Domus nostræ, de omnibus bene meritus propter suam in Deum et homines pietatem. »

Ex Chronico hujus Cartusiæ, ubi dicitur etiam fuisse Vicarius.

ANTONIUS DU RONDEAU

VICARIUS MONSTREOLENSIS

Cartusiæ Tornacensis asceta; hominem deposuit apud Morinenses in Cartusiæ Monstreolensis Vicariatu, ex apostemate intra gutturis meatum suffocatus. In orationibus pervigil ac monastici Canonis sedulus observator, omnia sua ad proscriptum Regulæ ita formabat, ut sibi in nullo parceret, in alios lenitate præpollens. Nullum unquam vel in modico contristare visus est, circa se solum effectus singularis explorator. In morbis acutioribus nihil movebatur, quasi nihil aut modicum pateretur; sed ei occultus remunerator aderat Deus, qui minutissimas patientiæ stillas exinaniri non patiebatur, ut eas in septuplum remuneratione condigna compensaret. Obiit tandem morte placidissima in mediis tormentis, ut per hujus vitæ passiones momentaneas, sibi viam aperiret ad pacem sempiternam, anno 1620, die 20 Octobris.

BENEDICTUS COLLARD

VICARIUS MONTIS DEI

Attiniacensis, professus anno 1614; ante ingressum Ordinis sacerdos. Fuit biennio Vicarius. Post emissa professionis vota, duobus tantum vel tribus annis usus est prospera valetudine. Quod vitæ residuum fuit exegit inter articularis morbi dolores; semper in cella et sella residens, paucissima ab illo dolore pacata habebat intervalla. Congruum autem visum est illum exteriori administrationi applicare, quo morbus exercitatione corporali profligaretur. Anno itaque 1617 institutus est auctoritate R. Patris primus Montis Dei granatarius. Sed nec sic liberatus a morbo, rediit in cellam, adjuncto sibi ministro, cum nullo modo valeret vel tantillum incedere. Habebat manus et pedes ita ex morbi vehementia contractos et inversos, ut in omnibus foret inutilis, sæpe quasi truncus in lecto resupinus.

Eum tamen acutiores dolores aliunde pungebant. Quidam etenim, qui debuissent lenire dolorem et tam continuis infirmitatibus compati, nonnunquam irridebant, et scommata vibrabant in virum illum modestissimum; qui quasi sanctus Job in sterquilinio, aut S. Servulus in lectulo a Deo habebatur. Vivere seu potius pati desiit anno 1629, die 20 Octobris, rheumate intra gutturis meatus præfocatus. Qui paulo ante mortem, eximiæ patientiæ factus exemplum, in insanientem contra se quemdam nullatenus est affectus: eo enim flosculo, ut ita loquar, corona illius patientiæ complenda erat.

Fuit autem in sæculo et in Ordine vir animo et corpore ita castus, ut non dubitarint multi virginitatis laureolam eidem astruere. Creditur etiam peccato mortifero nunquam consensisse, cum

eamdem vitæ innocentiam etiam in sæculo positus semper excoluerit. Morbi vero articularis, quo tamdiu fuit vexatus, causa alia nulla afferri potest, quam sola Dei voluntas, quæ verum patientiæ speculum in eo voluit exhibere. Id testatur, quod post ejus mortem illius cadaver non sine prodigio mutatum est. Pedes namque ac manus deformes ex contractione nervorum et ulcerum fistulis, in antiquum statum reformati fuerunt, sicut de B. Lidwina Schedamensi virgine legitur.

Ut vero paucis multa de eo complectar, omnes qui virum noverunt, testantur eum in humilitate vera cordis profecisse. In divinis Officiis, ubi adstare poterat, mire videbatur alacris ; si vero præsens esse non posset, e vicino tamen ecclesiæ residens, miram hauriebat dulcedinem ex modulatione canentium in ecclesia. Erat quoque in conversatione amabilis, qui nihil unquam de aliquo loqueretur quod sonaret vitium, licet plerumque conquerendi de multis causam haberet.

Ex Monumentis Montis Dei.

WERNERUS WEITZ

MONACHUS COLONIÆ

De quo Chronicon Cartusiæ Coloniensis sic agit :

« D. Wernerus Weitz, patria Marcoduro Menapiorum oppido ortus, professus anno 1604, 10 Julii. Vir pientissimus, ubicumque locorum stabat, ambulabat, comedebat, semper vacabat orationi ; adeo ut ex frequentatione assidua hujus exercitii, labia illius continuo moveri videbantur. Imprimis animarum, quæ piacularibus cruciantur flammis, fuit auxiliator. Hinc fere semper Missam *de Requiem* celebrare solitus erat, ni aliam ei injungeret obedientia.

« Summa ferebatur erga pauperes compassione, quos ut pro sua tenuitate reficeret, iisdem quotidie fere relinquebat suam piscium portionem ; utque certius illa fruerentur, eosdem pisces concidebat in frusta minuta, ne alibi honeste apponi possent. Suam quoque lignorum portionem annuatim Superiori tradebat, ut pretium illorum divideret egenis : ipse interim exili foco ex ramis vetustis arborum per hortum collectis constructo se calefaciebat.

« Solitudinis ita tenax fuit, ut etiam a confabulationibus licitis sub voto pœnali sibi interdixerit : post Vesperas nulli ad cellulam suam aditum concedens. Omnium Ordinis officiorum fuit contemptor egregius. Demum sicut religiose semper vixit, ita pie pia morte cursum feliciter absolvit, anno 1652, die 20 Octobris, ætatis suæ 71, Ordinis vero 49. Quondam fuerat Sacrista. »

PETRUS KALT

PRIOR BUXIÆ

Civis urbis Constantiensis prope locum Acronianum sitæ, honestis piisque in Deum parentibus Gualtero Kalt et Anna Wurerin, anno 1589, 1 Augusti, natus est. Qui mox, ubi se rationis lumen exeruit, totus ad literas est translatus; quas in patria, Friburgi et Dillingæ tanto sibi auctu comparavit, ut post gradus Philosophicos sacratioribus Musis litarit, et operatus fuerit Theologiæ scholasticæ. Quem illæ magno provectu docuerunt et humana contemnere et quærere divina.

Obsequiosus igitur se contulit Buxiam, induit Cartusianum et sua vota Deo nuncupavit anno 1613, die 20 Januarii. In quo quidem asceterio usque eo promovit, ut emissæ professionis anno quarto, die 31 Augusti, anno 1617, a suo Priore in Vicarium assumeretur. Anno autem 1628, omnium consensu Prior renunciatus, anno subsequente ordinatus fuit Convisitator, anno 1650 Visitator instituitur. Ob bellicos Germaniæ tumultus multas sustinuit tribulationes.

Cum autem temporibus calamitosissimis suæ Domui et toti Provinciæ Alemaniæ Inferioris perquam utiliter præfuisset, annis et laboribus fractus, primum, anno 1665, abdicavit Visitatoris officium, deinde, anno 1666, Prioratum dimisit, de cujus absolutione hæc leguntur in Charta : « Priori Buxiæ, ad suam magnam instantiam et propter magnas suas infirmitates, fit *misericordia*. Quem de meliori nota, pro omni subventione caritativa commendamus successori, etc. »

Hunc venerandum Patrem valde in nos propensum, dum agerem Vicarium in Cartusia Borboniensi, experti sumus. Curavit nobis ex sua Provincia messem rerum Cartusiensium amplissimam submitti, ex qua volumen integrum absolvimus. Suis etiam nos identidem cohonestabat litteris, utens aliena manu, videlicet venerandi P. Petri Schneit ejus successoris. Cumque optimus ille senex ex bonitate figulatus, in cellula præstolans salutare Dei solis rebus spiritualibus delectaretur, nonnullas Patrum nostrorum Vitas ei communicabam : quas avide audiebat, hujusmodi rerum valde curiosus. Non pigebit autem hic subjicere litteras, quas nobis scripsit præfatus V. Petrus Schneit :

« V. P. senior noster grates V. Paternitati vestræ pro tanta erga eum sollicitudine et benevolentia multiplicat, gratissimaque habet illa, quæ ei V. Paternitas vestra mittit ac promittit. Et cum ipse jam amplius, caligantibus oculis, legere non valeat, ab aliis ea sibi legi facit, et ad singulos paragraphos pene lachrymas fundit. Cæterum pedibus amplius vix insistere valens quotidie ad templum deportatur, orationibus aliisque devotionis exercitiis strenue intentus. Vix quicquam de Ordinis rigore remittens, nobis omnibus

insigne est pietatis et patientiæ exemplar, etc. Sic constanter et devote residuum vitæ transigit, etc... Datum Buxiæ, 1667. »

De obitu illius sic pergit scribere præfatus D. Petrus Schneit, anno 1668, die 30 Octobris :

« Ego prætermittere nequeo, quin hisce significem obitum admodum venerandi Patris senioris nostri, D. Petri Kalt, antecessoris mei, ac Domus hujus per annos 38 Prioris omni laude majoris. Ipse, postquam dudum jam anhelaverat, sicut cervus ad fontes aquarum, ita ipse ad Dominum Deum suum fortem vivum, fueruntque illi lachrymæ pius panis; dum quotidie, velut alter Simeon, jam a longo tempore ad mortem se disponens, sed velut alter Cassius Narniensis episcopus dilatus, piis lectionibus in dies auditis ubertim illachrymabatur ; tandem, ingravescente debilitate et morbo, qui [erat] ipsum senium (octogenarius quippe erat) angina quadam et catarrhis intermixtum, sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis pie riteque munitus, effudit in se animam suam. Adeo enim placide obdormivit in Domino, ut vix mori videretur; transivitque in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei cum Sanctorum millibus, in profesto S. Ursulæ ac Sodalium ejus, die Sabbathi, qui Beatissimæ Virgini Mariæ erat devotissimus, in voce confessionis et exultationis. Neque etiam deerat sonus epulantis : in ipso quippe meridie ac fervore diei sed magis virtutum, cum adhuc vires pro prandio (quod jam paratum erat) sumendo habere videretur, eo tantisper relicto, ad cœlestes epulas, nobis circumstantibus, placidissime pervolavit, non tantum ætate et annis, sed potius meritis dives Cœloque maturus. Illis jam accensendus erat, de quibus Propheta regius : *Si autem in potentatibus octoginta anni;* potens tamen non fastu sed virtute, præcipue humilitatis, mansuetudinis ac patientiæ, quas sicut in tota vita, maxime in fine mirabiliter plane exhibuit.

« Vixit in sacro Ordine annis 56; in Presbyterio, uno minus, ac quinque supra jubilæum; in Prioratu, 38; in Visitationis utroque officio, 36. Et nunc, spero, vivet in æternum, in voce jubilationis et exultationis dicens : *Salutare vultus mei, Deus meus.* Interim illum ceu amantissimum Patrem admodum venerandæ vestræ Paternitatis precibus ac Missæ Sacrificiis devotissime commendo, et ut ulterius obitum ipsius intimet rogo. Habet autem, pro multis exantlatis laboribus pro sacro Ordine, ab eodem Monachatum, etc... Demum hic pro memoriali imagunculam addo ex libello venerandi P. senioris nostri, cui ipse oratiunculam pro sua devotione erga B. V. Mariam inscripsit, spero, hoc nomine non ingratam. In alia imagine inveni votum ipsius inscriptum, quod nullum, quantum in se est, vellet officium Prioris, Vicarii, Procuratoris quærere vel suscipere nisi coactus, etc. »

XXI DIE OCTOBRIS

HUGO CAPELLANUS

MONACHUS MAJORIS CARTUSIÆ

De quo sic meminit Franciscus Ganneron in suo Martyrologio Cartusiensi : « Sexto Idus Aprilis, apud Cartusiam, beati Patris Hugonis, vulgo dicti Capellani, eo quod absque Beneficio ecclesiastico Sacerdotii dignitate ornatus esset, uniusque ex primis Stellis quæ firmamentum Ordinis Cartusiani condecorarunt : cujus juvenilis in senili corpore animus ad subeundas Cartusiæ vias duras etiam cæteros animabat. »

De eo agunt Surius in Vita S. P. nostri Brunonis, et cæteri Rerum nostrarum Scriptores.

AMELBERGA VAN HAMANE

MONIALIS BRUGENSIS

Ex infirmitate corporali eo devenerat, quod triduo destituta manserit omni sensu. Interea ducebatur ab Angelo suo Custode, primo ad Paradisum, deinde ad Purgatorium, in quo multas viderat animas, præcipue sæcularium, gravissimis affligi tormentis. Multa etiam alia viderat, quæ retulisset, ni sacerdos quidam imposuisset ei silentium. Ab eo tempore per triennium infirma remansit et affixa lectulo, ac male dextero brachio affectata, nullum aliud fere sumens alimentum præter Sacram Eucharistiam. Prædicebat autem sub obscuris verbis obitus sui diem : cujus quidem vaticinii veritatem eventus comprobavit. Nam cum dixisset, quod ad ecclesiam veniret in S. Ursulæ festo, ita factum est : delata quippe fuit eadem die in templum exanimis et jacens in feretro, anno reparatæ Salutis 1443.

Ex antiquis Monumentis hujus monasterii.

JOANNES BALEN

PRIOR DIESTENSIS

De quo Chronicon Capellæ meminit in hunc modum :

« Joannes Balen, professus hujus Domus, receptus ad Ordinem a D. Laurentio, antea Magister artium Lovanii in Porco apprime versatus. In Ordine ita se laudabiliter habuit, ut factus sit Prior Domus Amsterdamensis fere sex annis. Inde huc reversus, cum Domus Bruxellensis initiaretur, illuc missus est Vicarius; et post aliquot annos ele-

ctus in Priorem Domus Diestensis, annos circiter decem præfuit. Absolutus quia podagricus erat, ad hanc Domum rediit, ubi vitam suam finivit laudabiliter. Hic fuit vir valde dulcis et modestus, probis ornatus moribus et valde religiosus, ac propterea ab omnibus dilectus. Fuit etiam Magister Novitiorum. Obiit anno 1475, in die Undecim millium Virginum, ac propterea signatur tantum in Charta 22 Octobris; et habuit Anniversarium per totum Ordinem.

FRANCISCA DE LA HAYE

MONIALIS GOSNAY

In diuturniori molestoque morbo patientissima, spiritum Deo reddidit, anno 1571, 21 Octobris, cum in Ordine laudabiliter vixisset 40 annos, singulari in Confessarios humilitate præcellens.

ALPHONSUS DE PERALES

DONATUS DE PAULARI

Peracto magna cum devotione Novitiatu, die S. Brunonis, anno 1591, se se solenniter Ordini mancipavit. Paulo post morbo correptus, sanctissime expiravit in ipso Undecim mille Virginum festo : quarum conspectu et sacri Cartusiensium agminis se dignatum esse et confortatum in extrema suæ vitæ hora, circumstantibus monachis testificatus est.

XXII DIE OCTOBRIS

JANCELINUS

PRIOR MAJORIS CARTUSIÆ

Tanta sanctitate in terris enituit, ut monachum quemdam jam in Cœlis agentem a patrandis in Cartusiæ cœmeterio miraculis compescuerit. Ipse vero toto illo suæ Sedis tempore, ita pie et religiose vixit, ut apud omnes alter Antonius, Macarius et Hilarion haberetur. Sub quo Cartusiensium Ordo mire dilatatus est.

Placet autem hic subjicere notas quas V. D. Joannes Chauvet apposuit ad Catalogum RR. Patrum, quem contexuit. Sic autem prolixum ejus regiminis tempus astruit :

« Anno 1176 R. P. Jancelinus fit Prior. — Polycarpus duos ex uno Jancelinos facit. Et primo quidem quadraginta annos attribuit, nimirum ab anno 1177 (quo initium ejus ponit) usque ad annum 1218; secundo vero 16 annos, nimirum a dicto anno 1218 usque ad annum 1234. Et quia in veteri Chroni-

co ms. Cartusiæ sic habetur, « Jancelinus Cartusiam rexit LX annis », ait notam X (quæ ita præponi debuit « XL » errore fuisse postpositam et 60 annos signasse, cum 40 tantum debuisset. Verum D. Molin unicum fuisse contendit et pluribus probat, quem nos sequimur : vultque illum non 60 annis, sed tantum 58 præfuisse. Ita quoque D. Clemens, et Sutor ait circiter annos 60 rexisse, ut et Chronicon. Videtur ergo Chronicon nonnihil addere voluisse ad miraculum, et rotundum numerum sexaginta, loco fracti 58 posuisse : imo ait circiter sexaginta annos rexisse.

« Obiit anno 1233, 22 Octobris. — D. Molin, et Polycarpus de suo secundo Jancelino, aiunt obiisse anno 1234. At Petræus habet annum 1233, quem D. Clemens sequitur. Canisius signat diem quarto Kalendas Martii, sed male ; Calendarium enim Majorævi ponit die 22 Octobris obiisse, anno 1233. Sed quod sequitur rem extra controversiam ponit; habentur enim sequentia verba in quodam Psalterio Domus Majorævi antiqua manu : « Anno Domini 1233, die sancti Lucæ, 18 Octobris, ego feci professionem in Cartusia, in præsentia magni Dompni, Dompni Jancelini Prioris, qui die 22 sequenti ejusdem mensis Octobris mortuus est. Pro quo, quamdiu vita vivam, orabo Deum pro gratiis ab eo mihi datis; et ut semper hujus sim memor voti, hic me manu mea subscripsi, die omnium Angelorum, anno Domini 1234. Frater Nicolaus, Procurator hujus Domus Majorævi. » Hæc misit V. P. D. Hugo Buat, Coadjutor in illa Domo, satis curiosus Antiquitatum Ordinis indagator. Chronicon quoque Cartusiæ ponit obitum nostri Jancelini anno 1233. »

Hactenus D. Joannes Chauvet.

Extat apud Dorlandum in Chronico Cartusiensi, lib. 4, cap. 15, Vita Jancelini in hunc modum :

« Successit Basilio Patri magnus et memorabilis Jancelinus. Hujus tam sublimis fuit humilitas, et tam humilis majestas, ut nemo illam vel attingere; et tam fervens charitas, ut vix eam quis potuerit æmulari. Nihil in Prælato ita refulget, ut humilitas mansueta, humilitas temperata, humilitas non segnitie quadam strata humi, sed Spiritus Sancti magisterio castigata. Hæc talis est, quæ novit suum alumnum, ne de se alta et grandia existimet, custodire, et nihilominus in vitia culpasque subditorum sublimem ac constantem attollere; ut rigidus norit superbe se efferentes humiliare, et tamen mansuetudinis terminos non transilire.

« Hic in tam sublimem sanctitatis apicem excreverat et tantorum meritorum vir clarus evaserat, ut de antiquis illis Patribus unus putaretur. Hic (quod forsan incredibile apparebit) annis non minus sexaginta ipsam Cartusiam et universum Ordinem mira rexit industria, moderator egregius et singularis. Hinc stupor omnibus factus est et admiratio, quod vir scilicet tam gran-

dævus tanto sufficeret oneri et abundaret.

« Sub hoc Patre Reverendissimo ipse Cartusianus Ordo toto jam orbe diffusus, luminis sui gloriam humanis infundebat obtutubus, et laudis suæ præconia per ora omnium promulgabat. Singulari tamen prærogativa sanctitatis, ipsa Domus Cartusiæ præeminebat. Hinc factum est, ut bono suo, quem spargebat, odore, virum magni nominis Petrum Frecoldi [Fulcodii], genitorem Clementis Papæ IV, ad se traheret, reciperet, vestiret, retineret. Nam hic devotissime in habitu sancto conversatus, etiam ibi sepultus quievit in pace.

« Sub regimine hujus beatissimi Jancelini, tam consummatæ virtutis monachi et Conversi in Cartusia Domino militabant, ut idonei essent omnes signa facere. Horum unus, cum post mortem esset translatus ad Superos, cœpit magnis in terris clarere prodigiis. Nam Dominus non passus servi sui gloriosa merita sub modio contineri, maximis illum miraculis honorabilem fecit. Finitimos quippe omnes valetudinarios, et qui variis incommodis laborabant, excitavit Deus, ut si cuperent sanitatis donari, sepulchrum inviserent recentis in Cartusia defuncti servi sui. Accurrunt itaque leprosi et mundantur; cæci, et illuminantur ; surdi, muti, claudi, et reformantur. Attrahuntur dæmoniaci, et repurgantur ; paralytici quoque et podagrici ad robur pristinum eriguntur.

« Cumque propter hanc sanitatum gratiam, multo jam tempore durantem, innumera hominum multitudo ad sancti viri sepulchrum conflueret, contigit, ut Domus ipsa non parva dispendia pateretur rerum temporalium pariter et spiritualium. Accursus enim et strepitus hominum, sanctorum Fratrum requiem fatigabant, et temporalia eorum bona consumebant. Diabolus quoque se se his perturbationibus immiscens, scandalorum etiam moliebatur insidias.

« Hæc ubi vir beatus Jancelinus animadvertit, moleste nimium suorum inquietudinem tulit. Et lachrymans hanc Dei Sancto querimoniam fudit : « Hæccine est, o fili dulcissime, retributio, quam retribuisti nobis ? Tu in tabernaculis fiduciæ et in requie opulenta quiescis, et hunc nobis inquietudinis impetum reliquisti ? Non ex æquo hæc divisio facta est. Oportet igitur, ut iisdem, quibus diabolum superasti, te aggrediar armis. Obedientia nempe, qua in certaminis campo viriliter dimicasti, et quæ tibi pacem peperit sempiternam, Fratribus etiam tuis hoc in loco tranquillitatem afferat necesse est. » Et accedens reverenter ad tumulum : « In virtute, ait, obedientiæ tibi præcipio, fili, ut sicuti mihi, dum hic viveres, semper obedisti, ita et nunc mihi obtemperes. Volo igitur, ut deinceps nullum opereris miraculum ; sed potius consulas quieti nostræ, uti tu olim tuæ consuluisti. » Paruit ille, ut erat humi-

lis corde, et nullum de cætero curationis signum, quasi jussa pavescens, exhibuit.

« Tanta sub hoc magno Patre in Fratribus sanctitudo florebat, ut Deus quoque fideli custodia, et hos, et horum omnium substantiam vallaret per circuitum, vindex nimirum pravorum operum, ultorem se objectans acerbissimum. Unde illustris quidam et magni nominis Princeps ausus est a Fratribus Cartusianis aliquid præripere violenter, et possidere. Quem tamen Deus, uti fecit Regi Abimelech, percussit, suamque conjugem punivit in conceptu et partu sobolis suæ. Omni namque tempore, quo mulier parere debuit, non humanam effigiem, sed prodigiosum quoddam monstrum fundebat in lucem. Istud dum jam certis vicibus contigisset, illa intelligens se ob sua scelera flagellari, rapinam restituit, et obtenta Sanctorum prece, filios deinceps generavit incolumes.

« Una quoque dierum cuneus quidam prædonum impetum faciens, armenta et oves omnes, quæ tum pascebantur in campis, violenter coram se minans, tentabat abducere. Cumque non longius abiissent, occurrit illis Frater Conversus illius Domus, et agnoscens sua esse animalia, precatur obnixe, ne rem tam sacrilegam attentare præsumant. At illi surda aure transeunt irridentes. Et ecce terribiles quædam antea nunquam visæ bestiæ, repente irruunt e nemoribus, minaces, truces, formidabiles : quæ, intactis ovibus, latrones ocyus invadunt et membratim discerpunt in momento. Quo facto, se se ad nemus recipiunt. Tum Conversus pavens et tremens ad tam formidatum judicium Dei, recepta animalia coram se minavit ad claustrum. »

De Jancelino egerunt etiam Sutor, pag. 547; S. Antoninus (in Chronico, tit. 15, cap. 22, § 2), qui vocat eum magnæ sanctitatis virum; Surius, 7 Septembris, in Vita B. Stephani episcopi Diensis; Canisius in suo Martyrologio ad diem 25 Februarii; Saussayus in Supplemento Martyrologii Gallicani ad diem 25. Spondanus in Annalibus suis perperam refert obiisse anno 1333.

RICHARDUS SALGUEDA

MONACHUS SCALÆ DEI

Anno 1509, die 29 Novembris, nostrum sectatus Institutum in hac eremo, floruit humilitate, orationis studio, rerumque terrenarum contemptu. Dum mente cum Cœlitibus conversaretur, eorum tandem consortio meruit aggregari, anno 1529.

Josephus de Valles in Libro fundationum Cartusiarum Hispaniæ.

XXIII DIE OCTOBRIS

THEODORICUS DOEYS

PRIOR ULTRAJECTI

Amsterdamensis ; miles Hierosolymitanus. Ordinem ingressus est anno 1496. Rexit hanc Domum annis tribus cum dimidio, et est absolutus ad suam magnam instantiam a Capitulo generali anni 1515. Hic autem post depositum gubernationis onus vix expletis duobus annis, morte sancta ac mirabili defunctus est, anno 1517, die 23 Octobris de mane, infra quintam et sextam.

Ex Chronico Cartusiæ Ultrajecti, ubi nihil aliud notatur de ejus obitu.

MICHAEL DE ZARZOJA

PRIOR ANIAGO

Patria Lucronensis, nobili ortus genere; cum a pueritia pietatem a piis parentibus hausisset, jam factus adolescens, tanto flagrabat desiderio solitudinis, ut ab studiis Rhetoricæ, cui navabat operam, abhorreret plurimum. Unde utroque orbatus parente, aliis noluit vacare studiis, quæ mentem aliquantulum a devotione avocarent. Quin etiam postea adscriptus inter monachos, ne ad excipiendas aliorum Confessiones a Superioribus deputaretur, aut admoveretur officiis, abstinuit se a quæstionum moralium lectione. Verum assumptus ad animarum regimen mutavit sententiam. Dolebat siquidem se fuisse Philosophiæ ignarum ; existimans nullos ad professionem Cartusianam admittendos esse, nisi probe literis instructos.

Initiatus Sacerdotio, Christianæ Fidei propagandæ gratia, ad Indos transmeare curavit ; quod ut perficeret, quidam patruus suus Regis consiliarius eidem impetravit Canonicatum in ecclesia Mexicana, Novæ Hispaniæ metropoli. Deus interim Michaelem totum sibi vendicare volens, armavit in cor illius pharetram et arcum. Nam cum in Regia versaretur, mundi pompam et ornatum tanquam fascinationem nugacitatis conspiciebat. Sæpe etiam benedictionibus dulcedinis modo in oratione, modo in Missæ Sacrificio, modo in Horis Canonicis, tum in recitatione Rosarii Deiparæ mirabiliter præventus, secum ipse ratiocinabatur : « Si sic Deus in hoc malorum diluvio super universam terræ faciem exundanti, ubi omnes declinaverunt, et non est qui faciat bonum ; ubi sepulchrum patens guttur eorum,

et sub labiis venenum aspidum, osque maledictione et amaritudine plenum, veloces pedes ad effundendum sanguinem, contritio et infelicitas in viis eorum et viam pacis non cognoverunt; ubi, ut omnia complectar, non timor Dei ante eorum oculos : si in hoc, inquam, periculorum labyrintho sic me Deus prævenit, et cor meum amoris dulcedine flagrat, quid erit in Religione, quid in claustro, ubi facilior patet aditus ad virtutem? »

Talia mente versans, oblatum nihilominus Canonicatum suscepit. Quapropter venit Hispalim, inde Mexicum navigaturus. Interim civitatem lustrans, invisit Cartusiam de Covis; conspiciensque hujus asceterii monachos : « Heu! inquit, quam alter vitæ et conversationis modus ab eo, quem celeri cursu mox arrepturus sum! Et quam a periculis quæ me expectant alienus! Certe si aliud vitæ genus sectarer, Cartusiense Institutum eligerem. » Verum cum Michaelis hora nondum venisset, in unam navim ex classi ad Americam profectura lætus conscendit. Sed ut intellexit postea, quod ex Regis mandato navalis exercitus vela faceret contra quamdam hostilem classem, post varia rerum discrimina appulit Ulyssiponem; remeansque Hispalim, quo navim inveniret, longe feliciorem reperit stationem, portum nactus tranquillissimum in Cartusia de Covis, ubi habitum Religionis suscepit, anno 1593, die 16 Januarii.

Gratiam vocationis suæ sibi gratis datam intelligens, semper Deo gratias agebat pro tanto beneficio, intentus orationi jugiter et sui ipsius mortificationi. Periculosissima infirmitate affectus inter tyrocinium, nunquam tamen titubavit in arrepto proposito. Sæculique delitias parvipendens et commoda, postquam convaluisset, professionem emisit die S. Antonii festo, anno 1594.

Ita se orationi devovit et contemplationi, ut præter horas, quas ad his vacandum exercitiis destinaverat, primo videlicet diluculo, post Missæ celebrationem, post Nonam in æstate, post Vesperas et Completorium, reliquo temporis spatio totus esset in Deo immersus. Utque insisteret frequentius orationi, erat admodum somni parcus. Vir procul dubio impar ad hæc omnia, ni robusta fuisset affectus corporis habitudine : nam cilicio asperrimo, jejuniis, et tribus per hebdomadam abstinentiis carnem suam macerabat, adeo ut vix sibi victui necessaria indulgeret, modico vilique cibo contentus.

Paupertatis eximius cultor, vestibus detritis et obsoletis utebatur, quas ipsemet lavabat; nec consensit unquam, quamvis antiquus et Vicarius, ut cellam ejus aliquis everreret præter ipsum. In illa nihil apparebat nisi rerum omnium penuria, non papyrus, non atramentum, nec lampas ad noctem ibi occurrebat; et quamvis propinquos Michael noster habebat Nobiles, nemini tamen scripsit literas, donec Vicarius insti-

tutus cogeretur ad id officium urbanitatis.

Vixit diu multum abstractus a conversatione sæcularium, et cellæ suæ singularis custos. In cujus rei argumentum, unum ex multis exemplum refero. Accidit aliquando, ut jam a sexennio professus pergeret ad Prioris cubiculum, die abstinentiæ dicato, juxta morem Ordinis petiturus *gratiam*. Aderant tum quidam equites ejusdem propinqui cum Superiore colloquentes. Cumque Prior Michaeli mandasset eosdem deducere in hospitium, semipavidus rogavit, ubinam hic locus esset, vel quo iter ad illum? Prælatus conversus ad viros Nobiles : « Videte, inquit subridens, qualem monachum nobis Deus dedit, qui post tot annos atrium hospitii nesciat. » Signum certe haud obscurum modestiæ Michaelis, qui toties præteriens in Spatiamentis ante hospitium, illud non adverterat.

Sic sensuum custos, suspensam in Deum gerebat mentem; unde nec mirum, si cum tenerrimo devotionis affectu Sacra perageret Mysteria. Per Octavas autem Augustissimi Altaris Sacramenti diu noctuque assiduus erat in choro, stans venerabundus ante Dei absconditi thronum; persolutis Matutinarum Officiis, ipse per hos octo dies in ecclesia excubias agebat usque ad Primam. Disciplinæ regularis et silentii observantiæ zelator, quamdiu Vicarii munus exercuit, omnes continebat in officio; verum cum nonnulli ægre ferrent religiosissimi Patris vigilantiam, de illo conquerebantur. Ipse autem, ut erat humilis et benignus, non reddebat pro malo malum, nec maledictum pro maledicto, sed vultu placido satagebat iratos mitigare, pro ipsis fundens orationes.

Procuratoris etiam obivit munus ea cum laude, ut Christi odor bonus factus, suæ virtutis ubique fragrantiam spargeret, stans semper super sui custodiam quoties cum sæcularibus conversabatur, quibus ob modestiam bono erat exemplo. Dum ad solitudinis quietem magis ac magis anhelaret, ex Vicarii officio ad Prioratum de Aniago per generale Capitulum assumptus, cum lachrymis onus impositum suscepit. Nondum novem menses in hoc munere transegerat, cum febre laborans, extremum sibi diem imminere præsentiens, Sacramentis devotissime munitus, spiritum impollutum Deo reddidit, anno 1616, die 23 Octobris, ætatis suæ 52.

Ex Mss. Cartusiæ de Covis.

LUDOVICUS DE VERA

PRIOR MONTIS HILARIS

Madriti ex clara ortus familia; dum in aula perillustris Ducis Montis Leonis, principatus Cataloniæ Proregis, fungeretur officio Secretarii, Divina quadam ordinatione sæculo valedicere decrevit. Nam cum Barcinonæ habita-

ret, quidam juvenis Ludovico conjunctissimus amicitia, lupanar quoddam ingressus abreptus libidinis æstu, statim ibidem morte periit subitanea. Forte fortuna Ludovicus pertransibat vicum hunc. Vidensque domum hominum turba circumvallatam, curiosus inspector se se adjungens confertæ plebis multitudini, conspicit exanime amici sui cadaver, quocum mox fuerat confabulatus. Expavescit ad hoc lamentabile spectatulum; dolensque miseras defuncti vices, statuit ad tutiorem vitæ statutum confugere.

Florebat magna cum sanctitatis fama per id temporis in ea regione Frater Antonius Nuceriensis, Laicus Ordinis Capucinorum; quem Ludovicus conveniens, ei arcanum mentis patefacit, suamque in Cartusianos propensionem. Antonius Ludovici probans consilium, calcar addit et animos, ut cito citius Divinæ obediat voluntati. Nesciens igitur tarda molimina, petit ille Montis hilaris Cartusiam, ubi Sacerdotio jam initiatus inter Novitios annumeratur.

Nec subticendum puto, quod ei contigit suæ probationis anno. Media quadam nocte surrexerat Ludovicus, juxta morem Ordinis, recitaturus Beatissimæ Virginis Officium. Orantis in mentem venit Antonium decessisse. Cumque forti cogitatione sibi fingeret mortuum esse Fratrem Antonium et adesse in primo cellæ cubiculo, in hæc verba prorupit : « Ingredere, ingredere, Frater Antoni. » Verum nihil tunc vidit, nec audivit. Mane autem Primam persolvens, geminos viros Capucino habitu contectos et clarissima luce fulgentes conspicit, qui ab Oriente Cœlum versus tendebant : quorum alter *Thau* manu gerens, alteri se præbebat viæ ducem. Protinusque virum *Thau* dextera gestantem, S. P. Franciscum esse intellexit; alterum vero Antonium, quem ille ducebat in Cœlum recto tramite. Decessit autem Antonius Barcinonæ anno 1609.

Subsequenti anno vota professionis emisit in ipsa solemnitate S. P. N. Brunonis. Qui tot coruscavit virtutibus, ut admotus Montis hilaris Prioris officio, Convisitator deinde, postea Cataloniæ Visitator renunciatus fuerit. His muniis per plures annos non sine magno Religionis profectu miraque domesticorum simul et extraneorum ædificatione perfunctus, impetrata a R. Patre Generali *misericordia,* fecit spontaneam officiorum renunciationem; eligensque potius subesse quam præesse, se se in cellulam recepit. Verum a Conventualibus rursum, invitus licet, assumptus ad hujus monasterii præfecturam, novissime cum Visitationi Castellæ Domorum incumberet, morbo correptus in civitate Vallisoletana vitæ cursum absolvit, anno 1636, die 23 Octobris, ingenti apud omnes sui relicto desiderio. Erat quippe pietatis, charitatis, humilitatis, modestiæ, patientiæ, mortificationis, zeli gloriæ Dei, ac observantiæ regularis vivum exemplar et speculum.

Extat quædam epistola quam Ludovicus scripsit ad Annam Austriacam serenissimam Galliæ reginam et uxorem Ludovici XIII. Hanc apposuit Josephus de Valles ad calcem Libri fundationum Cartusiarum Hispaniæ.

De Ludovico mentio fit in tom. 2 Annalium Capucinorum, in Vita Fratris Antonii.

FRANCISCUS COSSART

MONACHUS LIGETI

Pontisariensis; liberalium artium disciplinis Lutetiæ Parisiorum instructus. Postquam Urbem et Italiam lustrasset, invisissetque Majorem Cartusiam non sine magna horum ascetarum admiratione, redux in patriam, honestumque cogitans connubium, amitæ suæ, quæ migraverat ad vitam meliorem, sibi apparentis exhortatione inter Ligeti Cartusienses cooptatur. Votis monasticis anno 1648, die 20 Aprilis, solemniter nuncupatis, annisque aliquot in probata quidem sed communi vita transactis, majora parat adversus semetipsum certamina.

Ac primo quidem, ut pauper pauperem Christum sequeretur, omnibus cellæ utensilibus, quæ necessitas indulget, sponte se abdicat. Et quia paupertatis leges se violasse arbitrabatur, apud Visitatores instanter egit, ut coram ipsis et tota Domo liceret sibi veniam exposcere, quo pro modulo suo voti reus, uti causabatur, fratribus suis faceret satis. Verum id ipsius humilitati denegatum, fontes lachrymarum ex ipsius oculis expressit. Illud etiam (quod magni æstimatur in studio paupertatis) assecutus est, ut voluntariæ huic rerum abdicationi perpetuitatem adderet; nam illam semel arcte complexus, in omni postea vitæ parte diligentissime mordicusque custodivit. Unde cum extremo laboraret morbo, mantile vix occurrebat ægroti levamen.

Statutorum adeo studiosus fuit, ut ad amussim ea teneret memoria, quo monasticæ disciplinæ cultorem se præberet religiosum. Nec his, quæ legibus Cartusianis imperantur, contentus, ad anteriora se extendens, antiquis R. P. Guigonis Consuetudinibus, et primævis Patribus nostris, qui spiritus primitias acceperant, se conformare ac juxta rubricam illorum vivere decrevit. Hic enim tanta vitæ austeritate viam cæteris animi virtutibus sternere cœpit, ut non humano vel carneo, sed lapideo corpore conflatus videretur. Panis et aquæ jejunia toto anni tempore, ter per singulas hebdomadas, illi familiaria erant; cæteris vero hebdomadæ diebus, vitam vino jusculoque plerumque tolerabat. Nec mirum : siquidem a terrenis annis assuetus ad hunc pœnitentiæ rigorem, communibus escis vilibusque tantummodo delectabatur, lautioribus rejectis.

Quo plus odio carnem et concupi-

scentias habebat, tanto majori in Deum ardebat amore. Sed non infœcunda erat et sterilis illa charitas; nam amor Dei, juxta divi Gregorii mentem, proximi generat amorem, et amorem proximi calefacit amor Dei. Totum itaque se devoverat infirmorum obsequio, quos officiis sublevabat piisque recreabat colloquiis. Sola charitas extrahebat e cellula sua virum silentii tenacem. Summopere etenim solitudinem colebat; ubi a rebus humanis abstractus, divina tantummodo cœlestiaque cogitabat. Unde dum ex necessitate cum Fratribus conversaretur, nihil nisi verbum eructabat bonum; et summa dexteritate inania et otiosa declinans colloquia, sermones de rebus spiritualibus miscebat. Si quid autem minus bene compositum inter monachorum animi relaxationes absente Francisco subreperet, si forte virum hunc religiosum supervenientem conspicerent, statim unusquisque se componens ad modestiam, hac subitanea mutatione eum venerari satis superque testabatur.

Vir demum fuit Franciscus noster heroicis virtutibus insignis, quique in se ipso omnem expressit sanctitatem. Multa illi, imo assidua erat cum Deo consuetudo; eaque devotione Beatissimam Virginem Mariam colebat, ut pro illius Immaculata Conceptione propugnanda, ad crudelissima mortis genera se paratissimum esse profiteretur. Mira quædam in illius vultu tranquillitas et serenitas elucebant. Rara tolerantia pertulit reprehensiones, quibus illum perstringebant Superiores facturi virtutis ejus experimentum; nec ullum unquam minus pacati animi signum visus est dedisse. Aiebat nimirum, nihil sibi posse contingere, quod infra erratorum suorum meritum non esset.

Bonus odor Christi factus apud omnes, tandem morbo correptus, ea patientiæ specimina dedit, ut inter dolores acutissimos ne verbum quidem querimoniæ exciderit ex ore ejus. Ita sibi mortuus carnique crucifixus apparuit semper, ut nusquam potum, quo sitim vehementissimam extingueret, cibumve petierit; sed omnia quæcumque sibi subministrabantur, sive dulcia sive amara gustui, prompto alacrique animo reciperet. Ea, qua vixerat, sanctimonia cursum suum absolvens, dum *Nunc dimittis servum tuum, Domine,* diceret, animam efflavit, anno 1661, die 23 Octobris.

Ex Litteris N. P. D. Joannis Fougereux, monachi tunc Ligeti, ubi hoc anno 1766 quo hæc scribimus, Priorem agit in illa Domo et Franciæ Convisitatorem.

PETRUS HERON

CONVERSUS MAJORIS CARTUSIÆ

Lutetiæ Parisiorum oriundus, ex piis admodum honestisque parentibus; institutus in timore Dei, adolescens adhuc,

patris sui eleemosynas statis quibusdam anni temporibus erogabat effusa adeo in egenos charitate, ut nonnunquam quingentis pauperibus custodia detentis subveniret. Nec minus erant Petri parentes in mendicantes monachos benefici. Quamvis autem his addictus esset exercitiis, ad statum vitæ perfectiorem anhelans, egreditur de terra suæ cognationis; illectusque Dionysii Heron, Conversi Majoris Cartusiæ, sui fratris, exemplo, qui tunc in hoc monasterio florebat omni vitæ sanctimonia, statuit in hanc ire longinquam regionem.

Juvenem sollicitabant parentes, ut nomen suum daret Cartusiensibus Parisinis, in suæ familiæ solatium; quin etiam hujus monasterii Patres, qui probe noverant domini Heron virtutem spectatissimam, libenti animo ejus filium volebant habitu donare monastico. Verum ratus longe a parentibus esse salutem juvenis noster, stationemque sibi tutiorem existimans Majoris Cartusiæ tesqua, a Reverendissimo Patre D. Justo Perrot precibus instantissimis petit ibidem admitti inter hujus eremi Conversos. Sufficienter literatus, potuisset inter album monachorum adscribi, ni præ humilitate Christiana statum præelegisset abjectiorem. Ne autem in terra talentum abscondere videretur, Latinum idioma perfecte callens, succisivis horis vacabat assidue librorum lectioni; iisque sollicite mentem suam reficiens, mire corroborabatur in interiorem hominem.

Inter cæteras quibus effulsit virtutes, fuit eximius cultor paupertatis et obedientiæ, qua per quadraginta annos nihil vel minimum quid agebat sine suorum Superiorum licentia. Diu Janitoris munus obivit magna cum assiduitate, quamvis continuis fere laboraret infirmitatibus. Acutissimo dolore capitis torquebatur; et sub vitæ finem amittens oculos, se se patientissimum exhibuit, dicens : « Sit nomen Domini benedictum, et afflictio mea sit laus tua. » Enituit charitas ipsius in pueros hujus eremi domesticos, quos elementa nostræ religionis edocebat.

Vir erat candidus et sincerus, sed parumper ingenii durioris : quod quidem naturæ vitium sua compensabat humilitate, nam sæpe sæpius non sine pudore simul et dolore illud fatebatur. Confecit per 38 annos sacrifici panis plagulas; contractaque ex hoc labore propter ignem cæcitate, dicebat bonus vir : « Quamvis ergo oculis orbandus essem, iterum lubens me impenderem et superimpenderer in hac exercitatione. » Sicque tandem factus hostia vivens et Deo beneplacens, pia pretiosaque in conspectu Domini, consummavit sacrificium, anno 1675, die 23 Octobris. Tobiæ non solum sua cæcitate sed patientia assimilandus.

Hæc collegimus ex Concione funebri, quam Gallico sermone habuit in obitu hujus religiosi Fratris amicus noster singularis V. P. D. Hugo Tranchepain, Cartusiæ Majoris Vicarius.

XXIV DIE OCTOBRIS

PETRUS JOUE

PRIOR MONTIS DEI

Professus Fontis B. Mariæ, et ejusdem asceterii Prior; a quo absolutus munere, anno 1453, mittitur Vicarius ad Montem Dei, promoturus regularem observantiam. Ibi postea Priorem egit; et iterum in eadem Domo Montis Dei Vicarius institutus, tandem fatis concessit, anno 1482, die 24 Octobris. Vir fuit pietate non minus quam eruditione clarus, multumque exemplaris.

Ex antiquis Cartusiæ Montis Dei Monumentis.

THOMAS FORNS

PRIOR DE FONTIBUS

De quo meminit D. Franciscus Goort (Ganneron ?) in suo Martyrologio Cartusiensi his verbis : « Inter monachos, qui apud Cartusiam Scalæ Dei in monastica professione et in sancta et exemplari conversatione floruerunt, non infimum habet locum venerandus ipse Pater Thomas Forns, natione Catalanus, patria Dertusensis. Qui ad nostram Religionem veniens, in ista Domo Scalæ Dei Cartusianus factus est, die 20 Octobris, anno 1493, ubi intra paucos annos miros fecit in Ordine nostro fructus atque progressus. Erat siquidem vir insignis, multis virtutibus pollens, observantiæ magnus zelator, pervigil in vigiliis, in jejuniis potens, studiosus in sacra lectione, in omnibus suis actionibus bene compositus. Fuit hic Vicarius sex annos. Translatus ad moderamen monasterii de Fontibus, ibidem sancte decessit, anno 1522. »

FRANCISCUS DE LA TORRE

MONACHUS DE PAULARI

Alumnus hujus cœnobii, diu egit officium Procuratoris in Granatensi Cartusia. Vir fuit admodum devotus, qui quoties ab hoc munere absolvebatur, ita solitarius in cellula degebat, ac si nullum unquam novisset sæcularem; addictus silentio cæterisque Instituti nostri exercitiis, veluti qui nusquam temporalium rerum administrationi vacavisset. Insigni præterea effulsit humilitate, charitate, præsertim in pauperes et calamitosos, patientia inter morbos,

quorum causa rarissime aberat a divinis Officiis. Bonorum operum plenus, sancte spiritum Deo reddidit in Cartusia Granatensi, anno 1632, die vigesima quarta Octobris.

Ex Manuscriptis.

XXV DIE OCTOBRIS

JANA DE VILLANOVA

MONIALIS PRATIBAJONIS

Inclyta virgo Pratibajonis asceterii, ibidem mortem obiit sanctissimam, anno 1230. Cujus corpus post annos quinquaginta exhumatum, sine læsione aut notula aliqua corruptionis repertum fuit.

Ex veteribus Monumentis mss., fol. 48, anno 1230, citatis a Nicolao Molin in sua Historia Ordinis.

CATHARINA ALLEMANDE (ALAMANDI)

PRIORISSA PRATIMOLLIS

Anno 1258 haud vulgari sanctitate præerat huic parthenio. Cujus virtutum fragrantia attracti sæculares circumvicini, qui aliqua laborabant infirmitate, confluebant ad hoc monasterium, ut illius solo tactu vel verbo liberarentur, mulieres præsertim in partu periclitantes, et vehementiorem patientes dentium dolorem. Ad Christum præmianda beatitudinis æternæ munere, ditata meritis conspicuæ sanctitatis, feliciter migrat, anno 1258, die 25 Octobris.

Ex Mss. hujus Domus.

PETRUS DUZALL

MONACHUS SCALÆ DEI

Nobilis Catalanus; adhuc adolescens tanta Divini Spiritus abundantia jugum Domini suscepit in Cartusia Scalæ Dei, anno 1506, in Vigilia Dominicæ Incarnationis, ut vitæ puritate, simplicitate, morum innocentia, silentii solitudinisque studio, nemini esset secundus. In hac virtutum palæstra cum pius juvenis per quinque annos exercuisset animum, Cœlo jam maturus, corruptibili hac sarcina carnis deposita, incorruptibilem, uti credimus, gloriæ coronam adipiscitur, anno 1510, die 25 Octobris.

Ex Annalibus Scalæ Dei.

XXVI DIE OCTOBRIS

JOANNES WEIDMAN

MONACHUS BUXIÆ

Dictus de Weissenhorn, doctrina et pietate nominatissimus; cum in celeberrima Parisiensi Academia Magistralibus esset decoratus insignibus, ac in oppido Suevico Weissenhorn triginta circiter annos magna cum laude Pastoris officio functus fuisset, relicto tandem sæculo, ad hanc Domum soli Deo victurus se contulit, anno 1499. Ubi professus, solitudinis suæ fructum scriptis suis relinquens, in Domino obdormivit, anno 1509, die 26 Octobris.

Ex Chronico hujus Domus.

LUDOVICUS DE CASTRES

PRIOR MONTISRIVII

Professus Vallis S. Petri, ubi factus primum Procurator, deinde Vicarius; postea admotus regimini Cartusiarum Monstreoli, Abbatisvillæ, et Vallis S. Petri, a cujus moderamine absolvitur, anno 1584, his Chartæ verbis : « Priori Vallis S. Petri multum nobis in alia Domo necessario fit *misericordia;* et præficimus ibidem, etc... et Prior absolutus, pro novi Prioris institutione et Domus, de qua optime meritus est, utilitate, redeat ad dictam Domum, quam primum poterit, deinde ad Domum sibi commissam accessurus. » Institutus est autem per eamdem Capituli Chartam Vicarius Saletarum. Anno 1585 fuit ordinatus Prior Siligniaci, cujus habuit moderamen usque ad annum 1589. Obiit anno 1592, 26 Octobris. Fuit præditus magno Dei et Ordinis zelo, regularis observantiæ exemplar; quique summo valebat ingenio, et ideo ad difficiliora quæque adhibitus negotia.

Ex Chronico Vallis S. Petri.

XXVII DIE OCTOBRIS

HENRICUS

VICARIUS MONIALIUM GOSNAY

Anno 1333 per Franciæ Visitatores huic Gynæceo præfectus; vix annum et menses aliquot in hoc munere transegerat, cum nimium præmatura morte rapitur, anno videlicet 1334, die 27 Octobris, sua pia et exemplari conversatione optime de hoc asceterio meritus. Hujus obitus signatur in Charta generalis Capituli ad annum 1335, 6 Kalendas Novembris.

MARIA DE VIENNESIO

PRIORISSA SALETARUM

Humberti Delphini principis potentissimi et Annæ, Fundatorum hujus cœnobii, filia ; natalium splendorem majori luce virtutum illustravit, dum hic vestem monasticam induens, ea cum laude conversata est, ut ad Domus gubernaculum fuerit assumpta. Singulari providentiæ et amoris erga illas, quibus præerat, insignita dono, sibi conciliaverat omnium animos et venerationem. Unde cum Deus hanc inclytam Matrem ad se voluisset evocare, ne inopinato ejus obitu nimium affligerentur moniales, duos viros senecta venerandos mane diei 27 Octobris præmisit, qui ad claustri fores coram multis monasterium hoc ingentem jacturam facturum prænunciavere. Illis statim disparentibus, fama est beatos Apostolos Petrum et Paulum tam tristis nuncii fuisse bajulos. Antistita religiosissima interfuit Vesperarum Officio ; quibus persolutis, dum cellulam repeteret, in majori peristylio prolapsa, hoc funestissimo casu mortua, scandit eadem die ad vitam immortalem, opinione relicta sanctitatis. Quiescit in choro hujus cœnobii, ubi epitaphium tale legitur : « Hic jacet felicis memoriæ Domina Maria de Viennesio, filia Humberti Dalphini, quæ obiit die vigesima septima Octobris MCCCLXI. »

Ejus autem fit mentio in Charta Capituli generalis anni 1335 his verbis : « Venerabili et religiosæ dominæ Dalphinæ Sorori Ordinis nostri, ut Deus det sibi bonam consolationem, in qualibet Domo Ordinis de Spiritu Sancto conceditur una Missa. » *(De ista mentione, in margine Manuscripti D. Le Vasseur nota sequens aliena manu apposita legitur :* Hæc Mariam non spectant,

sed Beatricem Joannis Delphini viduam, quæ habitum Ordinis induerat).

Præerat autem huic monasterio anno 1338, ut constat ex quadam donatione facta per Ludovicum II Sabaudiæ, ejusdem Priorissæ consobrinum. Nec hic subticendum est quod Humbertus, Mariæ pater, post suæ conjugis Annæ obitum, Cartusianis Vallis S. Mariæ suum dederit nomen, ut jam alibi diximus.

Mariæ obitus signatur in Charta Capituli generalis anni 1362 : « Item obiit Priorissa Saletarum, quæ habet Monachatum per totum Ordinem, 6 Kalendas Novembris. » His emendandus est Christophorus Justel in Genealogia familiæ Arvernæ, qui refert Mariæ obitum ad annum 1338, die 27 Octobris.

NICOLAUS BERGER

PRIOR DANTISCI

De quo sic Catalogus Priorum : « Nicolaus Berger, vir amabilis valde; qui Prioratum 22 annis gessit laudabiliter, et in sublime Domum hanc erexit in ædificiis et in temporalibus ampliavit, et semper in summa pace tenuit omnia suis diebus. Quamobrem nihil in Chartis per Capitulum generale disponi debuit, toto sui Prioratus tempore. Annis autem et laboribus fractus, absolutionem obtinuit circa annum 1432. Decessit anno 1434. Habuit Anniversarium per totum Ordinem sub die obitus sui, qui fuit, juxta Capituli generalis Chartam, 5 Augusti ; juxta vero Nomenclaturam Priorum, 27 Octobris. »

GUILLELMUS BALDUINI

PRIOR VALLIS DEI

Hunc primum lego Priorem quem Chartæ Capitulares Elogio cohonestaverint. Hactenus enim vix occurrerat verbum hoc *laudabiliter,* quod postea fuit usitatius. Sic autem notatur in Charta anni 1495 : « D. Guillelmus Balduini, monachus professus Vallis Dei, qui longo tempore fuit Prior dictæ Domus, et laudabiliter quinquaginta annos stetit in Ordine, obiit in Vigilia sanctorum Apostolorum Simonis et Judæ. » Decessit hic venerandus Pater anno Domini 1494.

PACIFICUS TIXIER

PRIOR TOLOSÆ

Venerandus P. Joannes Pacificus Tixier natus est in comitatu Marchiæ Inferioris e parentibus virtute non ignobilibus. Cumque ejus pater ex prima conjuge liberos procreasset, illi adhuc infantes rapti sunt ad beatam immortalitatem : unico filio filiaque exceptis, quorum primus attigit vigesimum ætatis

annum, altera vero matrimonio copulata, cum ad multos annos vitam protraxisset, ejus cursum nulla relicta prole absolvit.

Orbatus suis liberis pater stirpisque reparandæ percupidus, de nuptiis iterandis cogitat sexagenarius. Oculos ergo conjicit in nobilem quamdam mulierem juvenem adhuc, et conjuge suo inter venandum insidiose trucidato nuper viduatam. Sed illa novos perosa thalamos rursum nubere recusabat, nec nisi jubente patre suo assensum seni præbuit. Ex his fuit procreatus Pacificus die S. Joanni Baptistæ sacra, cujus et nomen una cum Baptismo suscepit. Ipsum ex utero mater, velut Anna Samuelem, Deo dicavit, vovitque se ad bimatum usque Franciscana veste induturam puerum, modo salvum et incolumem eniteretur. Quod cum pro votis contigisset, adeo formosum pulchrumque peperit infantem, ut eum pater deperiret, nec a suis amplexibus oculisque, quemadmodum Jacob suum Benjamin, avelli pateretur.

Sortitus præterea puer animam bonam præventusque in benedictionibus a Domino, sua infantili modestia morumque supra captum gravitate, futuræ tum virtutis tum sanctimoniæ non obscura præ se ferebat indicia. Sed quod in hac tenera ætate magis mirandum est, adeo pudicus erat, ut a nutricibus eo potissimum abhorruerit, quod nudos infantes plerumque gestarent.

Id causæ fuit procul dubio, cur eum Deus large cumulateque suis adauxerit donis, præsensque sex annos vix nato Salvator noster modo mirabili adfuerit. Etenim cum in paternæ domus aula solus aliquando restitisset, Christum Dominum conspexit ad dexteram suam, ad lævam autem draconem horrendum, utrumque a se tribus quatuorve passibus distantem. Visa igitur hac immani bellua, mox confugit ad Christum exclamans : « Domine, salvum me fac. » Hunc benigno intuens oculo Salvator apprehendit manu, draconemque statim coegit evanescere. Quæ quidem visio mentem ipsius ita perculit, ut crescentibus annis nullam Jesu Salvatoris effigiem contemplaretur, quin animo totus exultaret, ac talibus eam verbis summa cum veneratione affaretur : « Deus, qui me eripuisti de ore draconis. »

In suo cubiculo orans aliquando, brachiisque extentis, illius tabulatum sursum attolli visum est, cœlumque ipsum aperiri ; unde nescio quid rubeum descendens, capiti ejus subsedit, quod illico conspexit in cœlum evolare.

Sub hæc tempora ex agro in urbem, inclinata jam die, redibat equo insidens; sed clauso ponte deciduo, per portulam ingredi coactus est, tam præcipiti quidem equi sui cursu, ut eum non valens pro viribus coercere, in ejus crepidinem, allisa ad superliminare scapula suaque sede dimota, dejectus fuerit. Neque sine Divinæ providentiæ singulari præsidio hujusmodi casum vel vi-

tæ jactura, vel certe ad reliquam vitam hujus humeri consecuta non est mutilatio : imo posteaquam feliciter et curatus et sanatus est, ne levissimum quidem in hac sui corporis parte dolorem incommodumve persensit.

Biliomagum Arverniæ Inferioris civitatem, quinque circiter leucis ab urbe Claromontana distantem, mittitur liberalibus disciplinis daturus operam. Contigit aliquando (neque vero sine Numine factum id reor) ut concessis ad animi relaxationem diebus una cum sociis juxta eremum urbi vicinam exspatiaretur. In ea degebat Eremita quidam, vitæ sanctimonia celebris. Placuit Pacifico, solitudinis amore jam dudum flagranti, propius ad ejus cellam accedere; dumque alii huc illucque cursitarent, ipse fenestellæ accubans, animo versabat quid vir ille Dei dies noctesque solus hic exigeret. Cumque audiisset aliunde Africæ, Ægypti Thebaidisque deserta ab antiquis Anachoretis fuisse quondam exculta, in has voces sæpe sæpius velut extaticus erumpebat: « O ter quaterque beati! Quis mihi tribuat antra vestra et speluncas adire, in eisque vobiscum abscondi? »

Ardebat quippe vehementissime vitæ obscuræ desiderio; quantumque sibi per teneram ætatem locique opportunitatem licuit, austeram eorum vitæ rationem ex tunc conatus est imitari. Etenim decubuit in assere pro lectulo; cumque cilicium ad corpus macerandum sibi deesset, indusio interdum abstinebat. Oculos nunquam attollebat in cœlum, quin totus extra se præ gaudio raperetur. Verum cum tardioris esset ingenii, nihil ut addiscere, nedum memoriter retinere posset : divi Nicolai puerorum Patroni opem implorans, maximam obtinuit discendi facultatem. In familiari quodam colloquio, fratri suo aliquando referebat se multos in Cœlis advocatos habere, a quibus singulare quid beneficii accepisse fatebatur. Unde ille sat lepide : « Non tuis igitur, sed eorum sumptibus tuum illis exhibes obsequium. »

Imprimis autem, ad conciliandum sibi Cœlitum amorem, castitatis ac puritatis ita cultor eximius erat, ut auditu quidpiam inhonestum aut visu indecorum ferre minime posset. Eidem fratri suo Cartusiano (is erat R. P. Leo Tixier) declaravit, ad quadragesimum usque ætatis annum, nullum prorsus libidinis motum persensisse. Verum cum monachum quemdam suas illi, quibus mederetur, impuras cogitationes ultro aperientem Pacificus noster tunc Prior durius excepisset : Divina sic ordinante sapientia, gravissimas molestissimasque abhinc ipsemet sustinuit carnis tentationes, quo infirmitatibus alienis compati, sua edoctus experientia, disceret, juxta præceptum Apostoli dicentis : *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis; considerans te ipsum, ne et tu tenteris.*

Anno ætatis duodecimo rediit in pa-

triam, omnes interim movente diabolo machinas, ut abrumperet studiorum ejus cursum, ipsumque irretiret sæculi blandientis laqueis : nec frustra. Ad patrios quippe lares reversus, mundi fallacis oblectamenta cœpit sectari, stimulante nihilominus conscientia; vix etenim ullus dies præteriit, quin a tutelari Angelo sibi visibiliter astante moneretur, ut Beatissimæ Virginis opem inclamaret: quam deprecatricem apud Deum potentissimam suisque in angustiis adjutricem erat haud dubie experturus. Id se pollicitus præstiturum, moras de die in diem trahebat, donec, increpante vehementius Angelo, se Sanctissimæ Dei Genitricis patrocinio commisit. Cujus precibus interruptos studiorum labores resumpturus, Biturigas petiit.

Ibi cum sæpe sæpius interesset exorcismis (qui frequentes ibi sunt ad divi Ursicini Reliquias, cujus meritis confluentes undequaque a dæmone obsessi vel omnino liberantur, vel saltem sublevantur), placuit sibi nonnunquam, quas ipse gestabat, Reliquias a tergo quibusdam imponere; unde nefarii illi spiritus horrendum in modum ululabant, et quasi subjectis ignibus torqueri conquerebantur.

Interim religiosæ Vitæ amor haud reluctantem Pacificum magis ac magis inflammabat; et quia durum est nimis contra Divinæ vocationis stimulum recalcitrare, sic ille quinque vel sex abhinc mensibus cœnobia frequentare, invisere monachos, seque attentius circumspicere cœpit. Diabolo novas insuper technas cudente, ut alio avocaret animum, sed invalescente adversus hos tentationum fluctus gratiæ auxilio, Capucinorum ecclesiam adiit orationi de more vacaturus. Tantus autem erat inter orandum illius ardor, ut meditationi nunquam incumberet, quin totus in Deum efferretur.

Dum igitur ibi cor suum effunderet ante Domini conspectum, hujus asceterii Superior ad eum accedens, quota hora esset perquisivit; responsoque a juvene accepto, in suum se recepit claustrum. Ille e templo egreditur; sed affixos ad ecclesiæ postes libellos suspicientem idem Pater rursus alloquitur, rogatque, num forte Domus loca vellet perlustrare? Rem tot votis optatam ille se veritum expostulare fassus, statim in monasterium introducitur a Guardiano. Interrogatus quem ad scopum studia dirigeret, ad majorem Dei gloriam honoremque subjunxit. His ita peractis, ad suas se recepit ædes, atque ab horum Patrum frequentatione per sex menses abstinuit. Ad Dei tamen servitium magis ac magis anhelabat. Verum derelicto anachoreticæ Vitæ proposito, cum de amplectendo Capucinorum Instituto cogitaret, incaluit fortius solitudinis amor intra Pacifici pectus; cui nihilominus per annum restitit, dæmonis veritus insidias.

Sic mente anxius varieque distractus, precibus suis continuisque Clarissarum orationibus tandem meruit exaudiri.

Divinam quippe opem quadam die coram SS. Antonii et Francisci imaginibus instantius expostulanti, qua de ineundo Vitæ religiosioris Instituto certior fieret, vir Religiosus apparuit, qui, ut Cartusianos adiret, admonuit. Quos cum se penitus ignorare significasset, ad divi Jacobi suburbium jubet properare, unumque ex eis in dicto hospitio asserit se reperturum. (Ea siquidem tempestate Patres iter faciebant ad Majorem Cartusiam pro Comitiis generalibus.)

Perrexit ergo spe meliore plenus domumque sibi divinitus demonstratam ingreditur, monachoque occurrens, eum esse agnoscit, qui sibi inter orandum apparuerat. Illius conspectu juvenis exhilaratus, suas ædes repetit totus exæstuans Cartusianæ Vitæ desiderio.

Expulsis per id temporis ab universa Gallia Societatis Jesu Patribus, ad paternam domum remeare cogitur Pacificus. Ibi a pio quodam sacerdote audit Cartusiam Portus B. Mariæ duabus duntaxat leucis a Pontegibaldo in Arvernia distare. Nihil auspicatius, nihil sibi hoc nuncio desiderabilius contingere poterat. Eodem igitur sacerdote mediante, ad hoc monasterium advolans postulat inter monachos adscribi. Cujus votis Prior annuens, illum cum duobus aliis in Vigilia Corporis Christi habitu Cartusiano donavit.

Neque prætermittenda videntur quæ tunc acciderunt. Quamvis enim a D. Richardo, Portus B. Mariæ Moderatore, hac Sacrosancti Altaris Sacramenti Vigilia in Novitium admitti poposcerit (in quo temeritatis jure argui potuisset), tantum abfuit, ut Patres mali quid inde suspicati sint; quin imo quæcumque in tam subita præcipitique receptione requirebantur (vix etenim sex aut septem dies in Cartusia Pacificus transegerat) omnes unanimi consensu certatimque porrigebant. Nam ille tunicam subministrabat, hic afferebat cilicium, alter calceamenta, alii alia indumenta benevole præstabant. In cellulam intromissus, cogitat de nominis sui mutatione. Eam ob causam duo duntaxat, Franciscum et Pacificum, in variis schedulis descripsit; quibus in pileum immissis, Pacificum non semel modo, sed iterum, tertiove sortitus est: quod ex Dei placito sibi contigisse augurans, Pacifici nomine voluit imposterum appellari.

Divinis donis in ipso tyrocinio non mediocriter adauctus, ea præ humilitate aliis abscondebat. Totum Novitiatus annum sub uno rectore magistroque Spiritu Sancto decurrit; Novitiorum quippe moderator ipsum tam divinitus illustratum conspiciens, ubi primum de recitando Officio discipulum suum instruxit, ipsum statim Sanctorum magistræ commisit solitudini, ita ut per hoc probationis tempus vix ipsum inviserit quinquies. Ipse igitur sibi soli relictus, Deo attentius adhærere, regulari observantiæ insistere fortiter, chori ceremonias, Statuta, cantumque solus addi-

scere. Sic abconditus in abscondito faciei Dei, ipsi conjunctior erat, quo remotior ab omni hominum consuetudine, pacatam ita tranquillamque agebat vitam, ut propositi tenax ne minimam quidem contra stabilitatem se sensisse tentationem affirmaverit.

Non mediocria jam tum in eo semina pietatis præcesserant. Hinc factum, ut fixas ab ipso ingressu egerit in Religione radices, totque floruerit virtutibus, ut maximam de ipso expectationem omnes conciperent. Mira in dicendo ipsi vis inerat, qua tam feliciter utebatur, ut ferreos quosque atque adamantinos animos emolliisset. Ad suam mentem vel invitos attrahebat: quod in conciliandis duorum Nobilium se se singulari odio persequentium animis potissimum enituit. Alterum etenim horum efficacia verborum suorum demulcens, non modo ad concordiam, sed et ad alium conveniendum et veniam suppliciter petendam compulerit.

Paucis ab emissa professione diebus, constitutus super sanctuarii custodiam, hoc munus diu exercuit summa cum devotione ac vigilantia. Cantui quoque præfectus antiphonas, responsoria cæteraque id genus sedulo memoriæ commendavit, quo in persolvendis Dei laudibus fieret attentior. Cumque in ipsis decantandis sibi nullatenus parceret, gravissimo plerumque stomachi capitisque dolore cruciabatur, sed nullis precibus nulloque consilio potuit unquam adduci, ut absolutionem ab hoc officio exposceret: imo nihil sibi gratius optabiliusque contingere posse affirmabat, quam pro Dei, a quo dependebat totus, amore et obsequio, non solum sibi elidere fauces, sed quovis etiam martyrii genere vitam ipsam mactare atque profundere.

Procuratoris exin vices obivit; sed, expleto anno, assumptus ad Vicariatum, diu hoc munus egit non sine dolore ac invidia novi cujusdam professi, qui præ animi levitate hoc ambiebat officium, adeo ut ab omni Sacramentorum participatione semotus, mente sua captus omnisque penitus expers rationis diu vixerit. At, contra omnium expectationem, ipsum a Deo misericordiam aliquando consecuturum sanamque, antequam moreretur, mentem recuperaturum, Pacificus semper affirmabat: quod rei probavit eventus. Ad extremum quippe vitæ discrimen perductus febre periculosissima, pristinæ menti redditur; suaque peccata cum magno contritionis sensu confessus, cæterisque rite munitus Ecclesiæ Sacramentis, quatuor abhinc diebus in Domino quievit.

Interim Pacificus instituit tam cœleste genus vitæ, tamque vehementi studio ferebatur in eas, quæ Cartusianum maxime spectant, virtutes, ut ad sui imitationem tum admirationem extraneos æque ac domesticos excitaret. Imo Claromontanorum spectabiliores ab ejus colloquio se nunquam recessisse testati sunt, quin morum ejus sanctimonia, modestia, verborumque ejus

suavitate mirum in modum commoverentur : hoc ipsum quoque sunt experti ex Burdigalensibus Tolosanisque Nobilibus quam plurimi.

Eo adhuc agente Vicarium, Prior de Chaubonnet diem extremum clausit in sua S. Gervasii domo duabus circiter a Portus B. Mariæ Cartusia distante, in qua paucis ante diebus ad probationem receptus sub sæculari habitu, superveniente lethali morbo, ad sæculum redire coactus fuerat. Quæ quidem Prioris defuncti domus post ejus obitum tot terroribus nocturnisque clamoribus perturbari cœpit, ut omnes ab illa fugerent, nec ullus in ea morari auderet. Contigit tamen ut pharmacopola quidam, fidentioris animi vir, una cum mortui fratre statuerit in ea pernoctare, quo sua eum præsentia contra hujusmodi tumultus confirmaret. Sed iis præter morem perstrepentibus, tanto supradictus frater terrore correptus est, ut magno cum ejulatu flere cœperit. Tunc accedens opem laturus pharmacopola, eum animadvertit oppressum a mortuo ac pene suffocatum.

His auditis, mater animi deliquium patitur. Cumque nullatenus ab eo revocari posset, salute illius quasi conclamata, de Sacramento Extremæ Unctionis ipsi conferendo astantes cogitant. Nuncius interim ad Cartusiam Portus B. Mariæ mittitur, hujus eremi Patres de misero rerum statu commonefacturus; accitoque derepente Conventu, V. P. D. Amantius Fabri, Prior Cartusiæ, Pacificum, utpote qui fuerat a defuncti Confessionibus, illuc se conferre jubet. Moras nesciens perfectus ille obediens, ad Sanctum Gervasium, quo mortui mater delata fuerat pene exanimis, una cum D. Dominico Procuratore adproperat. Viso Pacifico, mulier miseranda brachium ejus apprehendit; quod pro viribus arcte premens, paucis verbis sub silentio Vicarium affata, responso vix accepto, restituitur in pristinam valetudinem.

His ita peractis, Vicarius una cum socio ad defuncti ædes propter hosce tumultus desertas tendit. Quas ambo ingressi, Canonicas Horas ad lucubrationem persolvunt ; quibus absolutis, D. Dominicus ab eo recedens ad somnum proficiscitur. Pacificus interim longas in oratione ducebat vigilias, cum ecce maximi per totam domum fragores subito excitantur. Orat ille ferventius, ac pro mortui quiete coram Altissimo fundit lachrymas. Deinde sub auroram una cum Dominico pergit ad S. Gervasium, ut territæ his infestationibus matris animum confirmaret, spemque illi afferret securæ imposterum habitationis in deserta domo. Tandemque ad Cartusiam ambo remeant.

Hujus historiæ singularia capita nullo pacto aperire voluit Pacificus. Interea defuncti frater hujusmodi spectris extra dictam domum identidem terrebatur, nec ab eis ullo modo se valebat expedire, donec tandem ad Cartusiam die divo Brunoni sacra veniens, Commu-

nioneque munitus, fratrem suum vestibus albis indutum a longe conspexit. Quod cum D. Vicario protinus renunciasset, is fatidico plane spiritu ipsum ab istis terriculis liberrimum deinceps futurum prædixit.

Portus B. Mariæ Prior, Amantius Fabri, suæ quondam Provinciæ Visitator, ad summam pervenerat senectutem : vir præ cæteris valde religiosus, Deo per continuam fere orationem tam mentalem quam vocalem perfamiliaris, ab eoque plurimis ditatus gratiæ charismatibus, præsertim in defunctorum animabus sublevandis. Plerique etenim monachi post mortem suffragia ejus deposcebant ; pro quorum expiatione incruentum Missæ Sacrificium Summo Deo per Unigeniti sui merita, quoadusque a pœnis suis liberati ad Angelorum gaudia evolassent, sine intermissione offerebat. Is itaque venerandus senex in sui Prioratus officio Vicarium in Assistentem a R. Patre D. Bruno d'Affringues enixe petiit : quod obtinere, utpote usu apud nos nusquam receptum, minime potuit.

Sub hac tempestate Pacificus Prior instituitur Villæfrancæ, apud Rouergas; ubi cum biennio præfuisset, ad suos Charta Capituli generalis remittitur, ultro locum suum atque munus illi cedente venerando Patre D. Fabri : qui ejus regimini non secus ac Novitius se totum credens, intima sui cordis sensa ei cum summa humilitate ac perspicuitate patefaciebat. Nec immerito sane : siquidem discretionis spirituum gratia novum Priorem Deus prævenerat. Quod sequenti exemplo facile erit dignoscere.

Defuncto etenim quodam Fratre Converso (cui venerandi Patris D. Amantii utpote plusquam octogenarii cura ministeriumque injunctum fuerat), hanc nactus occasionem cacodæmon pio seni struxit insidias, animæque in Purgatorio detentæ gemitum fingens, orantem interturbabat. Solitus autem, dum Cartusiæ Caturcensi præesset, hujuscemodi planctus a monachis recens defunctis audire, benignus ille senex, animam Fratris Joannis suam opem implorantis prima fronte arbitratus est. Hinc D. Pacificum adivit ea de re illum facturus certiorem, et ejus utique suffragia petiturus. Cui subridens spiritum hunc precibus non indigere respondit; votis tamen ipsius se obtemperaturum pollicitus est. Repetit solitariæ tranquillitatis osor diabolus cellam venerandi senis, tunc in ecclesia cum aliis Matutinas preces decantantis : vestes, libros reliquamque sus deque evertit supellectilem. Quod intuens Amantius, diabolicas jam apertius agnovit technas, authoremque tantæ confusionis dæmonem asperioribus verbis increpans, fugam ocyus eum arripere compellit, teterrimo post se fœtore relicto. Unde et lubentius assensit imposterum Pacifici consiliis. De Amantio plura jam diximus ad diem primam Aprilis.

His ferme temporibus, Pacifici fidem atque constantiam variis animi corpo-

risque infirmitatibus cœpit Deus experiri; quibus in dies augentibus, ad extremum usque spiritum adeo intense vexatus est, ut prodigio simile visum sit vel ipsis medicis, corpus tot doloribus affectum tantaque consumptum inedia, contra tot inimica vitæ mala tamdiu restitisse.

Sed quam levia hæc fuerunt, cum pressuris et persecutionibus, quibus eum exagitavit Provinciæ Aquitaniæ Visitator! Omnibus etenim modis eum deprimere studebat, quo suam a Prioratu absolutionem patientissimus vir petere cogeretur. Sed hæc omnia hilari serenoque vultu excipiebat Pacificus, honoris simul et oneris impatiens : siquidem ex animo rogabat Visitatorem, ut sibi liceret redire ad optatum solitudinis gremium. Verum aliter ordinaverat divina Providentia : quod quidem innotuit in nova Cartusiæ Burdigalensis erectione, ad quam instituendam Protoprior fuit renunciatus.

Igitur petiit Burdigalam nonnullis stipatus monachis, sparsurus ibidem regularis observantiæ semina. Facta autem fuit hæc dispositio a R. Patre Generali, inscio tamen Aquitaniæ Visitatore : cujus rei novitate admodum commotus est. Licet enim probe sciret Pacificum omnigenis virtutibus excultum esse, illum tamen liberali ea specie ac eleganti dicendi venustate destitutum existimabat : quæ quidem naturæ dona ad devinciendos sibi tum Eminentissimi Cardinalis de Sourdis, tum urbis Primatum animos autumabat expedire, quod et plerique Ordinis monachi pariter de illo sentiebant. Sed contrarium eventus comprobavit. Tantum enim abfuit, ut invisus apparuerit oculis hujus illustrissimi Præsulis, quin imo velut Angelus Dei ab eo exceptus est, et ut Sanctus ab urbis Primariis habitus.

Paucis ante suam Prælationem diebus, fratri suo D. Leoni Tixier, Cartusiæ Lugdunensis Moderatori, gravissimam suis humeris crucem imminere literis significaverat. Cujus vaticinii sensum eidem postmodum aperuit, suam annuncians ad Burdigalæ Prioratum assumptionem : nihil adeo extimescens, quam ei admoveri muneri, quo sæcularium implicaretur alloquio. Invisebat tamen Cardinalem : Domo inedia tum maxime laborante propter maximas ædificiorum expensas, quæ nonnunquam ejus ærarium sic exhauriebant, ut victui necessaria fas non esset ab eo sæpius impetrare. Nec repulsam tamen unquam passus est, tametsi optimus ille Præsul difficili satis esset accessu : imo benignissime erga Pacificum se habens, ejus semper petitionibus subscribebat. Cumque eum aliquando præ ægritudine lecto jacentem noster Prior adiisset, utramque illius manum capiti suo Cardinalis superposuit, dicens : « Scriptum est : *Super ægros manus imponent, et bene habebunt.* »

Quamdiu Burdigalæ demoratus est, demptis ab ingressu suo sex primis

mensibus, quibus se gaudio superabundare fratri suo fiducialiter per literas testificatus fuerat, mirabili plane constantia vitam exegit ærumnosam continuisque addictam mortificationibus. Ac primum gravissima corripitur febre, qualem hactenus nullam fuerit expertus. Sed priusquam ab ea cruciaretur, per somnum conspexit Cardinalem de Sourdis magna stipatum Præsulum caterva, qui jacentem in lectulo videns, « Purgationem, inquit, faciemus. » His verbis turbatus Prior, sensumque ab eo instanter rogans, « Compassionem et dolorem » pro responso habuit. Expergiscitur interim, sed visionis adeo perculsus imagine, ut ab ea nulla penitus ratione potuerit avocari.

Hinc mysterium in somnio latitare eidem fratri suo rescripsit; nec eum fefellit opinio. Egressus etenim e refectorio, convocatoque Procuratore de rebus peragendis cum eo collocuturus, cohorrescere primum, tum in febrim ardentissimam cœpit incidere, quæ diu multumque ipsum exagitans, ejus salutis spem omnino jam abstulerat; unde a D. Vicario rogatur, num muniri vellet ultimis Ecclesiæ Sacramentis. Cui se nondum in extremis positum esse respondit; verum se permisit penitus insistentis Patris Vicarii voluntati. Itaque sancta Exomologesi expiatur, cœlestique reficitur Epulo. Attamen melius ac melius posthac se habens, in pristinam restituitur valetudinem. Quam cum subsecuta fuisset plurimorum tum monachorum tum domesticorum ægritudo, imo et interitus; hinc triste cognovit vocum illarum augurium « Compassionem et dolorem », quibus docebatur infirmis compati et lugere defunctos.

Plurima alia conscriptis ab eo literis proferre vacat, quæ Divini in eo Spiritus inhabitantis argumenta sunt. Ac imprimis quidem audita cujusdam Ordinis nostri (is erat D. Bruno Ruade) monachi ad Episcopale munus assumptione, subtristis ait : « Cartusianum invitus semper aspiciam honoribus decoratum, cujus virtus antea miraculis non coruscaverit. » Hæc scribebat D. Leoni Tixier, hæc subjiciens : « De cætero scias velim me angina pene fuisse strangulatum, diebus Natalis Domini nuper elapsis; e qua redivivus dumtaxat videor, ut Deo peccatis meis magis ac magis displiceam. Illum pro me incessanter ores, precor. » Et paulo ante : « Brevem, ni fallor, ad te misi V. P. Dominici de Carrago, in quo præcipuas ejus virtutes paucis retexebam, etc. » *(Vide diem 20 Junii.)*

Demum suam his verbis epistolam concludit : « Et tu pariter, ut cum D. Paulo loquar, aporiaris. Neque ullus in hac vita afflictionum pressura expers est : siquidem membra non decet esse delicata sub Capite spinoso. Hæc est pax nostra; ac eo magis, quæ passionibus Christi desunt, in corpore nostro adimplere debemus, quo propius vergimus ad finem. Equidem quid sit crucem suam tollere, Christumque pa-

tientem sequi, nondum bene cognoveram. Si verbis tecum potius quam stylo uterer, animi sensa panderem liberius, quæ nec mihi vacat exarare, neque necessarium existimo.

« Quod autem ad Domnum Fournier attinet, omnia quæ scio, et ore et literis expressi : nempe felicem ac pium fuisse ejus ex hac vita exitum. Tribus quibus ægrotavit hebdomadibus, trina Confessione peccata sua expiavit, et Salvatorem suum, ut corde contrito, sic oculis madentibus lachrymis suscepit. Nunquam me alloquebatur, nisi cum de male acta vita dolore. Mirifice delectabatur astantes audire de rebus divinis disserentes. Quid plura ? Divini judicii formidine perculsus, identidem me his vocibus interpellabat : « Heu ! quid faciam tremendo Dei tribunali jamjam sistendus ? cujus iram meis innumerabilibus peccatis commerui. » Sed bene sperandum esse de Divina misericordia, quæ peccatorem nullum respuit, consolando admonebam. Sicque hos inter cordis sui gemitus Psalmos Pœnitentiales mussitans, divinasque in ore versans laudes, feliciter animam Creatori suo reddidit.

« Proficiscentem ad generale Capitulum de perfecta rerum hujus Domus dispositione certiorem me fecerat Eminentissimus Cardinalis ; sed omnia ut ante, ita post reditum esse in eodem statu mihi visa sunt. Imo nonnulla inter eum et Officiales nostros intercesserat animorum alienatio, eo quod Illustrissimus hic Antistes aditum in nostras ædes cellulasque me absente permiserat Ducissæ de Roquelaure ad instantiam domini d'Espernon, obnitentibus iisdem Patribus, et causantibus Statutorum inhibitiones. Quibus exasperatus Cardinalis, extructum a se pontem nobis commodissimum jussit demoliri. Tudicularis insuper spheræ majoris stadium intra Cartusiæ septa jam disposuerat, male affectorum in nos aulicorum quorumdam suggestu. Verum hæc omnia ejus in nos malevolentiæ semina, pristinæ benevolentiæ locum tandem cesserunt, adeo ut se, ne mortuum quidem, nobis defuturum mihi (de ejus in hanc Cartusiam amoris imminutione conquerenti) aliquando responderit. »

Ne autem integra proferam volumina, verbis parco brevitatis studiosus ; ac tanti Religiosi encomium non tam ex ejus præclare dictis quam pie factis absolvo.

Venerando Patri D. Ambrosio de Gasq, ad regimen Cartusiæ SS. Stephani et Brunonis assumpto, in Tolosanæ Domus administratione Pacificus suffectus est ; in qua duodeviginti annis demoratus, huic monasterio singulari sua prudentia, vitaque admodum exemplari valde profuit.

Quamdiu egit suæ Provinciæ Visitatorem, duos sortitus est collegas, qui patientiam illius falsis criminationibus mirum in modum exercuerunt. Quorum alter adulterinæ pecuniæ falso eum

insimulans, testem apposuit quemdam Fratrem Conversum, quem Burdigala secum Pacificus adduxerat. Sed tot inter calumniarum turbines imperturbatus, sed potius subridens, Deum laudabat, suoque Convisitatori, quasi amico, illatam sibi injuriam sereno vultu menteque ab omni offensionis sensu plane aliena exponebat. Provinciæ Prioribus hujus Convisitatoris absolutionem efflagitantibus nunquam assentiri voluit : ordinatione Divina id sibi contigisse, præclarumque vindictæ genus esse ratus contumeliam irrogantibus ignoscere.

Nunquam generalibus Ordinis interfuit Comitiis, quin ab omnibus quasi dedita opera deprimeretur : quod in silentio, imo cum voluptate tolerabat. Contigit tamen aliquando, ut cum patientissime audiisset quæcumque de se fuerant declamitata, devolutus ad pedes R. Patris in conspectu omnium, sic eum allocutus sit : « Faxit Deus ut veritas horum omnium vobis innotescat! »

In Valle clara monacho cuidam ibidem tunc commoranti narravit, se per quietem in somnis ipsum capite tenus mediis in aquis immersum vidisse : cujus visionis prognosticon commonuit ut a suis cervicibus propulsaret. Sed ille spreti consilii pœnas dedit non longo post intervallo : sibi nimium fidens, in profluentem, dum iter faceret, improviso casu lapsus est.

Totis octodecim annis quibus Tolosanam Cartusiam gubernavit, tam honestam tamque religiosam exegit vitam, ut attentius in eam postmodum intendentibus omnium virtutum exemplar appareret. Quas inter primas tenebat patientia, qua non solummodo propria, verum etiam alienas sustinebat infirmitates : adeo ut monacho sibi familiarissimo alias retulerit, nullam in hac vita diem sibi lætam illuxisse.

Audito R. P. Brunonis d'Affringues obitu, in quadam ad fratrem suum epistola sic exclamavit : « Tandem aliquando R. Patrem nostrum felicissima mors ab hujus vitæ calamitatibus exemit! Suam ei misericordiam aliisque, quorum ad me *Breves* pervenerunt, impertiatur misericors Dominus. Nunc resolutionis meæ instat dies; quid moror igitur? quid adhuc novissimorum incurius obliviosusque jaceo? nunquamne surgam? nunquamne serio me recolligam? quid juvat objecta mihi toties illa Cartusiani, meam in divino obsequio inertiam pusillanimitatemque deflentis, apparitio? »

Quidam e Nostris ad ejus Provinciam Domumque visitandam a R. Patre deputati, cum in manutenenda regulari observantia rigidiorem invenissent, de ea suis ordinationibus relaxare non mediocriter. Unde dyscolis arrogantiam, senioribus mœrorem, scandalum junioribus, toti denique monasterio divisionem sæculariumque contemptum haud dubie causassent, ni Deus sua misericordia R. Patris D. Justi Perrot prudentia pristinæ disciplinæ splendo-

rem contra tot effrænis licentiæ procellas asservisset.

Ad extremum, non solum Deus eum tentavit doloribus externis, sed ut ejus mors Jesu Christi Passioni magis assimilaretur, internam ei consolationem ademit, adeo ut cum ipso potuerit exclamare, *Ut quid me dereliquisti?* Suppurationis morbo laborans, eo magis angebatur, quo minus apparebat hujus mali fons et origo. Interim identidem in has voces erumpebat : « Heu uror! heu suffocor! » Cuidam ex Officialibus petenti num D. Antonio Tixier fratri suo, Priori Cartusiæ Caturcensis, aliquid rescribere vellet, respondit : « Nuncia fratri meo me gravissimis opprimi angustiis, ac decoquendi lateris instar, sic mediis me ignibus urendum tradi. »

Nonnunquam mens ejus tam profunda immergebatur caligine, ut accito ad se Vicario verba posceret consolatoria. Cui cum aliquando præ mœrore non potuisset e vestigio facere satis, attonitusque obmutuisset; ille ad Salvatorem nostrum e Cruce pendentem conversus, ita eum affatus est : « Quandoquidem, Deus meus, id tibi placitum est ut omni solatio caream, per me licet : non mea, sed tua voluntas fiat! » Ex quo in morbum incidit, hunc lethalem, contra affirmantibus juxta medicorum sententiam Patribus, semper arbitratus est; ac ubi lectulo affixus decubuit, omnem prorsus deposuit domesticam curam. Cumque D. Procurator ipsum nomine Archiepiscopi Tolosani salutasset, hoc intempestivum esse respondit, quippe qui cœlestibus totus inhiaret. Quapropter his vocibus Dominum Jesum incessanter interpellabat, dicens : « Creator, Salvator meus, miserere animæ famuli tui. »

Tribus ante mortem hebdomadibus, cum ultimam sibi diem adesse metueret, Sacro Oleo perungi, Sacroque Christi Corpore refici postulavit. Suscepturus autem suum Creatorem, tam teneris tamque piis illum compellavit verbis, ut ex astantium oculis lachrymas devotionis eliceret. Hoc saginatus Angelorum Pane, inungitur oleo Extremæ Unctionis; cumque ad Fidei confessionem perventum esset, eam tam pie, tam alte, tam distincte pronunciavit, ut non tam visus fuerit recitare, quam eam aliis evangelizare.

Quid vero de illius in exposcenda venia ab omnibus quos vel offenderat, vel scandali aliquantulam præbuerat occasionem, humilitate referam? quid de amore in dando pacis osculo? Quid de paterna in suos charitate dicam? quid de saluberrimis consiliis monitisque spiritualibus, quibus singulos, prout expediebat, ad amorem Dei regularemque inflammabat observantiam? Ejus tum corporis tum mentis fortitudinem admirante medico, ac suis moriturum collachrymantibus, solus hic siccis oculis expectabat mortem. Demum omnes enixe precatus ut, quod reliquum vitæ sibi superesset, in soli-

tudine et silentio transigere sibi concederent, tribus hebdomadibus perstitit languores cæterosque morbi dolores acutissimos insigni cum patientia sustinens.

Paucis ante suum obitum diebus, nullis vesci potuit alimentis. Ipsoque suæ mortis die, amisso usu loquelæ, in suum Redemptorem oculos convertit, quem in Cruce pendentem juvante Fratre pharmacopola multoties deosculatus est. Accito ad solitas preces agonizantium exolvendas Conventu, inter suorum voces lugubres, alta suspiria, inter undarum lachrymosos latices genas et vestes omnium infundentes, in pervigilio SS. Apostolorum Simonis et Judæ, die videlicet vigesima septima Octobris anni 1645, circa horam diei undecimam, lento halitu labores suos claudens, animum ad suum Auctorem placide et plusquam pacifice transmisit. Somnum dixisses non mortem, quippe qui nullam passus est contractionem membrorum; imo facies ejus decora, oculis leniter apertis, totumque corpus ipsa nive candidius, felicem animæ illius statum significarunt.

Nemo eum non luxit: alii ut patrem, alii ut amicum, alii ut magistrum, alii tanquam vitæ spiritualis ducem atque regulam. Hujus effigies cum cera post sepulturam in cavea exprimeretur, ejus facies vivida, non insuaveolens, omnes in admirationem rapuit et in laudes Dei, qui hoc miraculo mirificabat Sanctum suum.

Pacifici Vitam descripsit Gallico sermone R. P. Leo Tixier, quam hic in Latinum de verbo fere ad verbum dedimus.

XXVIII DIE OCTOBRIS

HAYMO

PRIOR MONTIS DEI

Secundus hujus eremi Moderator, e Majori Cartusia accersitus; antiquas regularis observantiæ semitas tenuit, ne latum quidem unguem ab ea discedens. Ecclesiam curavit dedicari. Eidem Tractatus famosus de Vita solitaria a Guillelmo Theodoricense dicatus fuit. Qui aliquantis annis postea ad Allobroges rediens, sancto Anthelmo charus, eidem cum venerabili Giraldo reconciliavit Hubertum Sabaudiæ comitem. Claruit anno 1150. E vivis excessit die 28 Octobris, juxta Necrologium Montis Dei et Chronicon ejusdem monasterii.

AYMO DE AUGUSTA

PRIOR MAJORIS CARTUSIÆ

Anno 1313 assumptus ad totius Ordinis moderamen, clavum tenuit usque ad annum 1330, quo per generale Capitulum ad suam magnam instantiam exauctoratus, subsequente anno decessit, die 28 Octobris : uti constat ex Charta anni 1332, ubi ejus obitus signatur in hunc modum : « Quinto Kalendas Novembris obiit felicis memoriæ D. Aymo, olim Prior Cartusiæ, qui habet Monachatum per totum Ordinem. »

Ex his præludiis emendari poterit Chronicon vetus Majoris Cartusiæ, ubi minus accurate describitur tempus regiminis illius. Sic autem Aymonis refert Elogium, cap. 17 :

« Anno Domini 1314, dicto beato Bosoni, Dominus Aymo, monachus Cartusiæ ejusdem, in Prioratu successit. Qui scientia multa et discretione præditus, vitaque et districtione exemplaris, cum dictam Domum et totum Ordinem laudabiliter quindecim annis gubernasset, amore quietis et contemplationis accensus, pondere prælationis et sollicitudinis prægravatus, a Capitulo generali *misericordiam* petiit et accepit.

« Sub cujus Prioratu (quod reticeri non debet) Domus Cartusiæ fuit tota combusta, ac fere ad nihilum redacta. Cum enim Dominus de Grandesono, pro una Domo Ordinis per ipsum ædificanda, pro licentia obtinenda Cartusiam venisset tempore Capituli generalis, famuli ejus incaute ignem in camera, in qua dormiebant, retinentes, totius Domus ruina per incendium extiterunt. Ob hoc Priores, qui ad Capitulum venerant, necnon divites et pauperes, Nobiles et ignobiles, ejusdem Domus destructione nimium condolentes, erga reparationem ipsius liberalissimi extiterunt. Nam subito de lapidibus eam ædificantes (quæ ante de lignis erat), sine comparatione in melius commutaverunt; ita ut non minus de ejusdem reparatione universi gauderent, quam de ipsius doluerant combustione.

« Aliud quoque factum tempore sui Prioratus evenit, per quod zeli ejus sinceritas pro Domo Cartusiæ demonstratur. Dominus Intermontium, Aymarus [al. Guillelmus, Aymari consanguineus et hæres], magnus baro comitatus Sabaudiæ, occasione cujusdam jurisdictionis quam infra terminos Cartusiæ habere se prætendebat, sub ipsius prætextu (tempore Capituli generalis) cum satellitibus suis pontem Cartusiæ non est veritus infringere, aliasque violentias irrogare. Cumque dictus Prior timeret hanc imposterum injuriam Domui Cartusiæ effici in detrimentum vel ruinam, Comiti Sabaudiæ et Delphino Viennensi hanc violentiam statuit intimare : de et super præmissis petens justitiæ complementum. Sed non proderat ei hujusmodi sermo contra dictum Baronem, quem multum diligebant.

« Tunc dictus Prior perspicacis ingenii, zelo Domus suæ accensus, hanc violentiam Regi Franciæ studuit intimare. Ob cujus rei gratiam dictus Rex fortiter commotus, dictis Comiti et Delphino mandavit, quatenus de dictis Barone et sociis ejus facerent justitiam ad ipsius Prioris voluntatem ; alias dictam Domum Cartusiæ usque ad solum faceret destrui, in contemptum ipsorum, eamque multo melius in regno suo fundaret. Quod illi audientes (multum enim gloriabantur dictam Domum in territorio eorum fuisse constructam, siquidem dividit, seu posita est in confinibus Comitatus et Delphinatus prædictorum), dictum Baronem una cum sequacibus suis cum fune ad collum ire ad Cartusiam mandaverunt, ac se submittere pedibus et misericordiæ dicti Prioris. Quam misericordiam statim ab ipso Priore misericordiarum pleno obtinere meruerunt : confecto tamen publico Instrumento ad cautelam futurorum, per quod dictus Baro omni juri, quod se habere prætendebat infra terminos Cartusiæ, perpetuis temporibus renunciavit. »

PETRUS A GROTTERIA

PRIOR SS. STEPHANI ET BRUNONIS

A juventute sua regularis observantiæ tenacissimus, paucis ita semper utebatur verbis, ut nunquam loquebatur nisi cogente necessitate. Paupertatis eximius cultor, Superior constitutus, monachos omnes antecellebat studio paupertatis. Humilitati etiam summopere deditus, sustinuit cum admirabili patientia tribulationes plurimas, labores ac infirmitates : silentii semper et solitudinis custos. Anno 1588 cum interesset Comitiis nostris, dum Conventus Majoris Cartusiæ postulasset R. P. Hieronymi Lignani Generalis absolutionem, et ipse ejus exauctorationi noluisset subscribere, ad instantiam monachorum Cartusiæ Majoris statim in Ordinem redactus fuit. Naturæ debitum persolvit Procuratorem agens in Domo suæ professionis, anno 1594, 28 Octobris.

Ex Catalogo Priorum hujus Domus.

PETRUS CALDES

PRIOR MAJORICENSIS

Patria Majoricensis ; ante Ordinis nostri ingressum adscriptus inter Franciscanos, ob ingenii sui præstantiam a Superioribus suis missus est ad Academiam Salmanticensem studiorum causa. Habuit ibi magistrum in Theologia Fratrem Dominicum de Soto, virum percelebrem, qui primam cathedram adeptus fuerat. Sub tanto Doctore Petrus per multos annos Theologiæ operam strenue ac diligenter navans, condiscipulis suis scientia antecelluit : adeo ut sic excultus, sic consummatus ad suos

remeans, quasi navis mercibus pretiosissimis onusta et de longe portans panes, spiritualem videlicet cibum, ab ipsis electus est in Superiorem perantiqui cœnobii Majoricensis.

Præter impositum munus, quo laudabiliter fungebatur, de rebus divinis dicebat ad populum magno cum plebis concursu, fructu ac plausu : acriter siquidem se invehens in vitia, nemini parcebat. Mirabantur omnes doctrinam, quæ ex ore illius emanabat ea cum fœcunditate ac venustate, ut totus videretur refertus spiritu Angelici Doctoris, cujus lac suxerat in schola Dominici de Soto. Unde hujus Sancti sententias frequenter in ore habebat, hunc Auctorem sæpe sæpius citans, se seque quamvis Franciscanus, corde tamen Thomistam profitebatur.

Dominus Didacus de Arnedo, Majoricensis antistes, cui perspecta erat Petri doctrina et dicendi facundia, ad totius sui Capituli instantiam designavit ipsum qui per Quadragesimam concionaretur in Cathedrali : quod et peregit maximo prorsus plurimorum emolumento. Quin etiam, cum præfatus Episcopus suam lustrabat diœcesim, illum adjungebat sibi in collegam, ut verbum Dei ubique tanquam seminator egregius dispergeret.

Postquam autem in Franciscanorum familia multos Christo lucrifecisset, veritus dum aliis prædicans ne ipse fieret reprobus, se se recepit apud Cartusianos Majoricenses; ubi se se tam exemplariter, tam religiose gessit, ut ipsum semper egisse Cartusianum credidisses. Unde ob vitæ meritum bis fuit admotus officio Prioris. Quo in munere naturæ debitum persolvit, anno 1595, die 28 Octobris, ætatis 68. Natus enim fuerat anno 1527; quindecim annos transegerat in Ordine Franciscanorum et 25 in Ordine nostro.

Ejus Vitam idiomate Hispano typis mandavit Bartholomæus Valperga, ad calcem Vitæ Sororis Catharinæ Thomasiæ : quam hic fere de verbo ad verbum transtulimus.

GABRIEL BALANÇAT

MONACHUS VALLIS CHRISTI

Patria Valentinus; qui in extrema constitutus salutis linea, cum dæmonum spectris perterreretur, statim Beatissimæ Virginis conspectu mirifice confortatus, dixit : « Eamus et nos, eamus Sanctissimam Deiparam amplexuri : ecce advenit. » Quibus cum ingenti lætitia prolatis, placidissime expiravit, anno 1627, die 28 Octobris, Religionis anno 17.

Ex Annalibus Vallis Christi.

FRANCISCA DE VIGNEU

SUBPRIORISSA SALETARUM

Soror Annæ de Vigneu, ejusdem parthenii sanctimonialis, virtutibus præ-

stantissimis effulsit. Hujus religiosissimi mores continebant omnes in regularis observantiæ praxi, quamvis aliunde Francisca in alios benigna, sibi soli impenderet severitatem. Austeræ etenim fuit admodum vitæ; sollicitaque multum, ne sua virtus patefacta laudaretur ab hominibus, latere studebat, satagebatque plurimum vivere in abscondito faciei Dei. Ambulans semper in ejus conspectu, dum in cellula manuum operi vacabat, plerumque genibus flexis effundebat cor suum coram Domino. Nusquam sedere visa est, nisi dum rebus conventualibus assisteret.

Cumque stando sic vim sibi intulisset, contraxit venarum fracturam, quæ ipsi subministravit patientiæ segetem. Inter varias afflictiones et pressuras nihil unquam remisit de animi tranquillitate : ad Deum etenim confugiebat Patrem misericordiarum et Deum totius consolationis; hujus sola delectabatur præsentia, nihilque præter eum in terris volebat possidere. Unde si quid haberet, quod aliis credebat necessarium, lubenti animo, quamvis hoc indigeret, sibi detrahens, clam Sororibus, dum aberant a cellula sua, deferebat. Materna prorsus ubera singulis exhibens, omnia imprimis charitatis officia præstabat ægrotis, quarum diu noctuque curam agebat. Transacto autem per sexaginta tres annos Vitæ cœnobiticæ decursu, desideratæ diu beatitudinis præmia consequitur anno 1657, die 28 Octobris.

Ex Mss. hujus parthenii.

FRANCISCUS GODDES

PRIOR NANNETARUM

Evangelica simplicitate laudatissimus, quam ea prudentia exornabat, ut Magnates quique consilium ejus exquirerent, ipsiusque arbitrio committerent res maximas atque difficiles. Nec immerito sane. Quamvis enim esset verborum parcissimus, nihilque in eo appareret nisi simplicissimum, tam certo tamen sapientique judicio ponderabat negotia, ut suum cuique distribueret, nemine reclamante, innata dissidia componeret, sancito pacis fœdere reconciliaret inimicos. Summa erat apud Polemarchum de la Mailleraye, Britanniæ Aremoricæ proregem, in existimatione simul et authoritate.

Porro corpus suum omni genere severitatis ita confecerat, ut per plures annos cum morbis cruciatibusque gravissimis sit conflictatus eá animi firmitate et tolerantia, ut nihil de sua austeritate remitteret. Cibi somnique semper parcissimus, post Nocturnas preces attritum frigore et infirmitatibus corpusculum nusquam igne refocillabat; iisdemque in hyeme, quibus per æstatem vestibus utebatur. Cursu confecto ac fide servata, cum tempus coronarum instaret, eodem die quo naturæ debitum persolvit, pulsanti Domino ostium aperturus reptat se se bonus senex ad ecclesiam, ut occurreret venienti; ubi

summa cum devotione facta suorum peccatorum Exomologesi, Jesum Christum excepit. Mox in cellam redux, ibidem inter manus benignissimi Judicis sancte expirat, anno 1659, die 28 Octobris.

XXIX DIE OCTOBRIS

GERARDUS DE NOVIOMAGO

PRIOR TREVIRENSIS

Ante Ordinis ingressum Canonicus ecclesiæ SS. Apostolorum in urbe Coloniensi; vir vere dulcis, pius, non ætate tantum sed magis venerandus virtute, omnibus gratus ac amabilis. Qui postquam Domos Argentinensem, Hollandiæ ac Trevirensem sapienter simul et utiliter gubernasset, tandem senio confectus, Vicarium agens Cartusiæ Trevirensis, bonorum operum percepturus mercedem ad Dominum migravit, anno 1361, die 29 Octobris.

Ex Chronico Cartusiæ Trevirensis.

LUDOVICUS

REDDITUS SACERDOS MOGUNTIÆ

Hujus obitum refert ad hanc diem in suo Martyrologio Cartusiensi Franciscus Ganneron, nulla tamen mentione facta temporis quo vixit. Cum autem nullus hoc nomine recenseatur in Syllabo monachorum hujus cœnobii, quem excerpsimus e Chartis capitularibus, præter duos ejusdem nominis Priores, magis crediderim hunc esse Ludovicum cujus obitus signatur in Charta Capituli generalis anni 1365 his verbis : « Obiit Domnus Ludovicus, Redditus sacerdos Domus Moguntiæ, habens Tricenarium per totum Ordinem. » De eo Dorlandus noster sic agit in Chronico Cartusiensi, libro 5, cap. 19 :

« Raro viri sæculares nostrum Ordinem (quia paulo videtur rigidior) aggredi tentant, nisi aut superna revelatione aut interna inspiratione permoti. Excipio tamen eos (quod sine gemitu nequit audiri) qui Zabulo instigante, ac Deo permittente, Ordinem subeunt, ut vel delicatius vel quietius vivant, vel ut sanctos Fratres tentent, vexent, examinent, coronent. Enimvero quod per se dæmon facere non potest, per sua id sæpe membra molitur. Hos non Spiritus Sanctus, sed diabolus vocavit.

« At aliter iste, de quo nunc loquimur, sacerdos venit : qui ante nos fuit Moguntiæ non satis commendatæ vitæ. Unde uno dierum, cum in majori ecclesia Missam celebraret, audivit vocem ad se de supernis illapsam in hæc verba : « Ocyus festina Cartusiensem in-

gredi Ordinem, et scito te, hoc completo biennio, moriturum. » Ille non surdus Divinæ vocis auditor, animum intendit; Ordinem intravit, et ita vitam ad veram virtutem instituit, ut omnes palam adverterent eum fuisse cœlitus destinatum. Ingrediens autem Ordinem, crus secum intulit tabefactum, corrosum undique et diuturno vulnere scissum: quod tamen præter spem cito convaluit, divino medicamine confovente. Vixit vero hic Ludovicus (hoc enim viro nomen erat) biennium totum in Ordine disciplinate plurimum et religiose, ac statim post, salutifero fine quievit. »

LAMBERTUS BORT

DONATUS WESALIÆ

Anno 1583, die 29 Octobris, (quo tempore grassabatur hæresis per Galliam, Belgium et Germaniam) Geusii monasterium hoc invadentes, diripientes, Fratrem Lambertum, hujus Cartusiæ Donatum, in odium Fidei Catholicæ immaniter trucidarunt.

Ex Charta Capituli generalis anni 1584, et ex antiquis hujus monasterii Monimentis.

JOANNES BROYERES

VICARIUS BRUXELLENSIS

Diu fuit hujus Cartusiæ Procurator cum bona probitatis ac castitatis fama, simplex, taciturnus, deditus lectioni. Nusquam equitavit, sed villas circuivit pedes. Diligentissimus in choro frequentando, nusquam noctu aberat aut veniebat serius. Semper omnia persolvit Officia Defunctorum, prout alii monachi. In cantu Missæ totis cantabat viribus. Postea factus Vicarius, ob senium tandem absolvitur. Tactus apoplexia decessit anno 1627, die 29 Octobris, cum in Ordine vixisset pie admodum et pacifice 53 annos.

Ex Chronico Cartusiæ Bruxellensis.

XXX DIE OCTOBRIS

LUPUS MARTINEZ

PROTOPRIOR DE PAULARI

Alumnus Scalæ Dei. Jam olim ad Cartusiarum Vallis benedictionis et Vallis bonæ regimen assumptus, Provinciarum etiam Provinciæ et Aquitaniæ curam aliquando egerat; sed vir humilis quietem solitudinis officiorum sollicitudinibus præponens, post aliquot annos Domum Scalæ Dei repetierat. Diu tamen non potuit delitescere. Anno etenim 1390, Patres Ordinis, qui

ejus in rebus agendis peritiam noverant, præcipua Domorum Cataloniæ negotia ei licet simplici monacho demandarunt. « Volentes (inquiunt per Chartam Capituli generalis) quod Priores Cataloniæ pro suis negotiis et dubiis habeant recursum ad Priorem Scalæ Dei et D. Lupum Martini in dicta Domo residentem, quibus quoad dictas Domos usque ad sequens Capitulum generale committimus vices nostras. »

Cum autem Lupi virtutum fragrantia ubique diffunderetur, a Joanne I, Castellæ rege, Domus de Paulari Fundatore, selectus est qui novam hanc plantationem regeret totumque promoveret opus. Pro quo stabiliendo cum ascendisset ad Ordinis nostri Comitia, et incorporationem hujus monasterii obtinuit, et ipse ex Rectore primus Prior renunciatus est, ad Henrici III Regis instantiam, anno videlicet 1393; ut ex Charta Capituli generalis constat, in qua hæc leguntur : « Incorporamus Ordini novam fundationem Regis Castellæ, quæ est in diœcesi Toletana, quam volumus nuncupari Domum B. Mariæ de Paulari, cujus est Fundator principalis inclytus Princeps D. Joannes, quondam rex Castellæ; cui concedimus per totum Ordinem plenum cum psalteriis Monachatum, non obstante Tricenario pro eo alias persoluto. Obiit autem die S. Dionysii et sociorum ejus, quæ est dies 9 mensis Octobris, anno nonagesimo; et volumus, quod ejus nomen in Calendariis conventualibus die prædicto scribatur. Et D. Lupum Martini, Rectorem dictæ Domus, ibidem præficimus in Priorem. »

Cum hanc eremum suæ pietatis ac prudentiæ radiis illustraret, dignus in quem omnes tanquam in monasticæ perfectionis exemplar aspicerent, dignusque ævo longiori, præmatura morte rapitur ad beatam immortalitatem, anno 1396, die 30 Octobris. — Anno 1375 demandata ei fuit Visitatio Domorum Germaniæ.

De Lupo Martinez perhonorifica fit mentio in antiquis Monumentis Domus de Paulari.

EMMANUEL

PRIOR VALLIS PISII

De quo tale extat Elogium in quodam hujus monasterii Manuscripto : « Venerabilis Pater D. Emmanuel, ex Comitibus Vintimilii, tantæ fuit humilitatis, ut suæ nobilitatis immemor, etiam Prior cum famulis operaretur. Unde tunc de ipso Priore Vallis Pisii, qui factus Prior Papiæ, tale exivit proverbium : « Num fornarius Vallis Pisii, Prior Domus Papiæ ? » Qui postea necessitate sui monasterii Vallis Pisii revocatus in Priorem, strenue laboravit pro defensione ejusdem Domus. In cujus sanctitatis testimonium sequens exemplum sufficiat : quod divus Bernardinus Senensis, Ordinis Minorum,

coram omni populo illum e suggestu honorare voluit. Nam aliquando is Sanctus in basilica S. Francisci civitatis Montis Regalis sermonem ad populum habens, contigit eum Patrem Emmanuelem pro verbo Dei hominis suscipiendo ecclesiam ipsam intrare. Quem prædicator Bernardinus intuens, et in Spiritu qualis erat cognoscens, quamvis alias nunquam vidisset, suum interposuit sermonem, donec ei datus fuisset locus. Animam efflavit anno 1444, die 30 Octobris. »

JOANNES BAPT. SURENTINUS

PRIOR NEAPOLIS

Dictus etiam Neapolitanus; olim Ordinis Eremitarum sancti Augustini, in quo semper amplissimos honores gesserat; in Hispanias non semel missus, ut quædam Ordinis sui monasteria in observantia languentia in pristinum disciplinæ asceticæ splendorem restitueret. Post quietem anhelans, solennia Cartusiensium vota in insula Capri nuncupavit, anno 1518.

Sed quas fugiebat dignitates, ipsum etiam inter nos insectatæ sunt. Anno enim 1524, suadente Priore Neapolitano Provinciæ suæ Visitatore, qui Comitiis nostris aderat, a Patribus primariis Prior Trisulti institutus fuit. Anno 1527 Domui Neapolitanæ et toti Provinciæ præficitur. Bis etiam in Hispanias delegatus, anno 1525 visitavit Domum Montis hilaris in Catalonia. Per Chartam anni 1535, ad lustrandam totam Castellam missus fuerat; sed morbo præreptus, anno eodem migravit ad beatam immortalitatem, die 30 Octobris.

De eo meminit Alphabetum Augustinianum Antonii Herrera his verbis:

« Joannes Baptista Neapolitanus, quem Pamphilus, sub annum 1491, Theologum et virum admodum gravem et religiosum vocat, et simul cum Augustino Interamnensi Umbro in Hispaniam et Lusitaniam cum Literis Sedis Apostolicæ profectum asserit, ut aliquot in illis Provinciis monasteria ab Ordinis institutis plus æquo dilapsa repararet. Ejus insignis probitas et sanctimonia satis clara est ex Registris Generalium, et Diario Seripandi. Gratianus enim de Fulgineo, die 23 mensis Januarii, anno 1491, ei, tunc Sancti Joannis de Carbonaria Priori, concessit, ut pro quietiori statu animæ suæ posset transire ad quamcumque Congregationem Observantiæ, sive in Italia, sive extra Italiam; et die 16 mensis Aprilis, anno 1502, eum instituit Vicarium, Visitatorem, et Reformatorem generalem in Provincia Aragoniæ et Cataloniæ; et die 11 Octobris, datis literis ad Regem Hispaniarum, gratias egit Regiæ Majestati de favore collato F. Joanni Baptistæ in reformatione locorum Hispaniæ; eumque in Italiam revocat, ut Congregationem Carbonariæ in meliorem sta-

tum reducat, ei in regno Aragoniæ M. Martino Sanchez subrogato.

« Verum rebus Sodalitatis Carbonariæ pacatis, vel per alium corrigendis, Prior Generalis Joannem Baptistam in toto regno Hispaniæ Vicarium remisit, anno 1504, die 14 Aprilis. Sed ejus successor Augustinus Interamnas, die 24 Augusti ejusdem anni, infra quinque menses Vicariatum revocavit. Ejus hortatu, anno Domini 1507, Hieronymus Seripandus, Cardinalis futurus, nuntium remisit sæculo in Conventu Carbonariæ, cujus Priorem, die 11 Junii, anno 1514, et die 27 Februarii, anno 1515, agebat noster Joannes Baptista. Postea anno 1518, ut in suo Diario Seripandus adnotavit, strictioris Vitæ amans quietem et solitudinem anhelans, ad Ordinem Cartusiensem transmigravit, eumque anno 1520 Capreis morantem Seripandus invisit. Ibi quod concupierat tenens, ad cœlestem patriam plenus annorum et bonorum operum ex humanis excessit. »

PETRUS CORTEZ

VICARIUS DE MIRAFLORES

Juxta hujus Cartusiæ Manuscriptum vocatur Petrus; in Charta autem Capituli generalis, ubi ejus obitus signatur, nominatur Didacus Cortez. Describitur autem in Manuscripto hujus Cartusiæ illius Elogium his verbis :

« Vir fuit mira morum gravitate, religione ac pietate conspicuus ; qui regularem observantiam tam sibi stricte custodiendam statuerat, ut ab ea ne latum quidem unguem discederet. Primus semper aderat divinis Officiis eo cum spiritus fervore, ut jam senex effectus decumberet vestitus, ne cum pulsaretur ad Matutinas, impeditus gravitate senectutis tardius veniret ad ecclesiam. Vicarium agens hujus monasterii, maxime invigilabat circa divinum cultum, sollicitus plurimum in erroribus corrigendis. Satagebat etiam, ut altaria et sacra supellex astantes sua munditie provocarent ad internam mentis devotionem. Singulari veneratione prosequebatur Augustissimum Altaris Sacramentum, ac Beatissimam Virginem Mariam, quam impense diligebat.

« Septuagenarius licet, nihil tamen remisit de Ordinis abstinentiis ; imo factus in ætate devexa vegetior, pro virili divinas, quibus intererat semper, decantabat laudes. Columbæ simplicitatem ita conjunxerat cum prudentia serpentis, ut omnia sapienter simul et suaviter perageret. Vir emunctæ naris, solitus erat servare silentium, dum alios audiret in colloquiis communibus de negotiis nimis contentiose tractantes. Erga infirmos charitate præcelluit, sicut etiam erga Novitios et juniores : omnes consolabatur, fovebat et juvabat optimis et salutaribus consiliis. Fuit etiam Procurator hujus Domus et Vicarius de Aniago. Cumque in Ordine quinquagin-

ta annos religiose fuisset conversatus, plenus bonorum operum, vivere desiit, anno 1597, 30 Octobris. » In Charta Capituli generalis dicitur tantummodo vixisse in Ordine laudabiliter 40 annos.

MARCUS DE TERAN

CONVERSUS DE PAULARI

Patria Toletanus; vir multum exemplaris, religiosus, castigatæ admodum conversationis. Ob eximias animi dotes magna fuit in existimatione apud domesticos simul et extraneos. Per viginti quinque annos demoratus in hospitio Segoviensi, Episcoporum hujus urbis sibi conciliaverat amicitiam, imprimis autem perillustris Præsulis Melchioris de Moscoso (de quo egimus ad diem 1 Septembris), qui Marci consilio utebatur, propter ejus in rebus agendis peritiam. E vivis excessit Segoviæ, anno 1641, die 30 Octobris; sepultusque est in monasterio Hieronymitarum.

Ex Manuscriptis.

PETRUS BENEDICTUS

CONVERSUS VALLIS CHRISTI

Patria Valentinus; anno 1605, die 31 Decembris, annumeratus inter hujus eremi Conversos, inter cæteras virtutes, silentii, obedientiæ et regularis observantiæ studio excelluit. Cumque ob senium orbatus esset oculis, ita assiduus erat in divinis Officiis frequentandis, ut illum nonnunquam Sacrista cogeret ab ecclesia recedere. Decessit anno 1648, 30 Octobris, mortis suæ præscius.

Ex Annalibus Vallis Christi.

XXXI DIE OCTOBRIS

BRITIUS

PRIOR BELLILARICI

Auctor quidam anonymus Chronici Bellilarici Vitam Britii, sexti hujus Cartusiæ Prioris, circa hoc tempus vel potius mensem defuncti, describit in hunc modum :

Britius vir valde reverendissimus, quondam Antissiodorensis decanus, Prior extitit sextus. Qui dignitate et honore Decanatus contempto, ad humilitatem et attritionem Cartusiensis Ordinis humiliter se transferens, in Domo nostra sacræ Religionis habitum cum miro devotionis affectu et desiderio suscepit. Et quia vir erat fidelis et prudens quem constituerat Dominus super familiam suam, sentiens se velle ad

altiorem perfectionis statum emigrare, noluit sancti certaminis campum absque pœnitentiæ armis ingredi : certior factus, quod quis contra versipellem et triplicem adversarium, contra scilicet mundum, contra carnem, contra dæmonem, fortiter et legitime non certaverit, coronam de lapide pretioso a Domino non accipiet. Arma quippe pœnitentium, cinis et cilicium. Qualis autem et quantus et quam fortis Christi athleta etiam sæcularis extiterit, ambigi non potest, cum et cilicia, quibus antea carnem suam cum vitiis et concupiscentiis olim domuerat, secum in sacculo reposita asportavit.

Verum quia valde literatus erat et Sanctarum amator Scripturarum, adeo etiam ut super coætaneos et contemporaneos, prout ab omnibus dicebatur, in decori scientia dictaminis specialiter eminebat. Sciens vir devotus, quod legendo frequenter didicerat, quam bonum et quam jucundum quamque salutiferum sit legere et intelligere, maxime cellitis et solitariis, elegit specialiter ducentas libras, prout mihi visum est, quas quidem in scribendis libris jussit integre deputari.

Hæc sunt itaque volumina et nomina librorum quos de proposito scribi fecit : Augustinum videlicet *super Joannem* in tribus voluminibus (ipse tertium volumen propria manu scripsit); necnon et *Enchiridion* B. Augustini cum quibusdam sermonibus et versibus ab eo appositis in uno volumine; Augustinum *de Civitate Dei* in duobus voluminibus; Augustinum *de Confessionibus* in uno volumine; Augustinum *de vera Religione;* Augustinum *de Disciplina Christiana; Regulam Sanctimonialium* ab eodem editam et digestam; Paschasium *de Sacramento Altaris* in uno volumine; *Moralia Job* in septem voluminibus. Hoc agens consideranter, scienter et industrie, ut videlicet monachi singuli in cellis singulis *Moralium* volumina singula haberent : ut nimirum in eis studiose sua etiam cum devotissimis lachrymis corda purificantes, ad amorem et desiderium cœlestis patriæ inflammarent. Quos omnes utique libros cum tanta diligentia, cum ingenti cura et ferventi studio emendavit, ut ei longissima dies non sufficeret. Quod quidem veraciter patet in rubricis et notarum signis, quæ in margine crebro inseruit ; ut videlicet citius Lector adverteret, de quo et quid auctor sermonum in serie loqueretur.

Interea quoque hanc orandi consuetudinem, sive in ecclesia prostratus esset, sive in cellæ secreto, hunc ipsum virum Dei habere diligenter consideravi : ut videlicet toto porrecto corpore super terram vel pavimentum vel asserem, aperto ore, lingua extracta ex ferventissimæ devotionis affectu, locum, quem lingua ejus lingebat, vel ex inundatione lachrymarum seu ex oris vaporatione, totum madidum relinquebat. Erat etiam iste Dei servus ita misericors et pius ægrotis, compatiens et

benignus, ut profecto per noctes de strato suo frequentius surgeret, et ipsos infirmantes humiliter et devote retegeret. Verumtamen erga superbientes et tumidos, rebelles et improbos, ita severa ac acerba reprehensione se durum et austerum exhibebat, ut a plurimis crudelissimus diceretur. Propter quod et ipse de se ipso jocose dicebat : « Meum quippe loqui, pulchre est profecto litigare. » Reprehendere etenim vitia, officium est bonorum virorum et benevolorum.

Igitur quia ea quæ virtutis sunt factus apud nos Religiosus fecerit, breviter explicavimus, nunc ad illa virtutum insignia, quæ adhuc sæcularis egerit, stylum vertamus. Michael vir Religiosus, hujus Dei servi nepos et consanguineus, qui ab eo a pueritia fuerat nutritus et de ejus secretis plurimum conscius, audita morte viri istius, scripsit epistolam cuidam socio suo, qui cum eo similiter extitit educatus. Nos vero ad laudem ipsius ac posterorum exemplum huic nostro operi dignum et justum duximus adnectendum.

« Charissimo Fratri suo et amico speciali, J. Suppriori Sancti Mariani, suus Michael de Bellavalle salutem et talentum sibi commissum a Domino strenue et fideliter erogari. Elapsum est tempus non modicum ex quo inter nos leves epistolæ discurrere desierunt. Hujus rei defectum non plene intelligens, partem aliquam vobis adscribo, residuum totum mihi, et principaliter occupationibus hinc inde obortis. Quia, ut verum fatear, multoties scribere proposui, sæpe manum schedulæ applicabam, quam tamen casu aliquo emergente vel cogebar relinquere imperfectam, vel subito nuncio recedente factam manibus discerpebam. Unde aliquantulum refriguit in me propositum applicandi ingenium ad scribendum, videns circa me occupationes undique discurrentes. Sed absit ut pro hac desidia refrigescat in me charitas, quam enutrit vestræ orationis instantia et inflammat. Sane aliud potest esse in causa, quod vos forte melius nostis, et illud vellem mihi diligentius aperiri.

« Præterea materia suspiciosa præsentem intercidit cartulam, cum tangit cor et anxiat recordatio obitus Domini et Patris nostri, quem sicut uno affectu merito diligebamus, ita eodem affectu et pari merito per nos et amicos nostros tenemur eidem propensius subvenire. Et quid dico subvenire? Nam luce clarius constat, quod Sancti qui mundum perfecte reliquerunt, cum Domino residentes, cæteros judicabunt. Et beatus Gregorius testatur in *Dialogo,* quod perfectorum animæ, mox ut hujus carnis claustra exeunt, in cœlestibus sedibus recipiuntur. Unde Paulus dissolvi desiderat et esse cum Christo. Credamus igitur necesse est, ipsum inter illos Sanctos receptum in gloria, quorum vitam et mores imitari studuit in terra.

« Quis, rogo, veritatem ferventius deffendit? Quis humilius sua pauperi-

bus erogavit? Quis sapientius carnem spiritui servire coegit? Conversatus in sæculo, asperrimum cilicium gerebat ad carnem, splendidis desuper indutus vestibus; sexta feria in pane et aqua abstinens, sicut scitis; et ut plenum perhibeam testimonium veritati, vidi et scivi aliquando, quod diem transegit integrum sine cibo corporali : sanus existens et aliorum necessitatibus occupatus. Dicite si vidistis aliquando mensam ejus sine pauperibus et egenis : mensam voco domum refectionis. Consuetudo quippe illi erat ad portam pauperes eligere, tres quotidie, vel quinque sive septem, et mensam apponi faciebat eis sæpe coram se, aliquando alicubi secretius propter hospites et extraneos, et ministro deputato diligentius procurari, nolens pasci inani laude hominum pro pauperum pastione. Mensa ejus frugalis non superflua, ornata Clericis et personis Religiosis, si possent aliquando reperiri. Ibi semper aut collocutio de honestis, aut disputatio de casibus in Curia emergentibus, vel eruditio de obscuris sententiis sacræ Legis. Sobrius in potu, sine aqua vinum aliquantulum non bibebat. Tam æstate quam hyeme, post prandium non cœnabat, nisi aliquando propter hospites et hoc raro.

« De extensis denique vigiliis, quas nocte qualibet faciebat, hoc modo sufficiat enarrare, quod circa noctem mediam surgens, calceatis pedibus vaccinis sotularibus usque ad genua propter lutum, aliquo clericorum gestante lumen in laterna, exibat tanquam peregre proficiscens, visitabat ecclesias circumquaque positas, stationes faciens ad ostia singularum. Tunc audiri poterat frequens pectoris percussio, frequentior genuflexio, frequentissima gemituum emissio; facto magno intervallo surgens, inde ad aliam ecclesiam properabat, et ibi faciebat similem stationem.

« Cum demum pervenisset ad cancellos ecclesiæ Beati Germani, se totum extendebat in modum crucis super nudum pavimentum. Tunc plorabat, tunc se totum immolabat. Ego in hac peregrinatione sæpe ei lumen præferebam. Sed cum tandem veniremus ad Sanctum Germanum, sicut dixi, ego quidem sciens quam facturus erat moram, ornata ibi laterna ne lumen deficeret, in aliquo angulo loci illius sopore multoties deprimebar. Qui surgens ab oratione, me leniter excitabat; et reversus per ecclesiam B. Stephani, si Sacristæ moram facerent surgendi ad Matutinas, ipsos pulsans ad valvas cum lapide excitabat. Et rediens in domum aliquantulum pausabat, donec signum ultimum pulsaretur; et tunc ecclesiam cum cæteris introibat.

« Hæc et his similia vera sunt argumenta, quod modo vere vivat in Domino, qui sic vixit in sæculo : quod clarius eniteret, si modum conversionis suæ et conversationis in Ordine subtilius pensaremus.

« In his ergo quæ præmisi non gero personam docentis, sed discentis potius

et dolentis. Cum enim proponerem cartulæ modum non excedere, pro pietate Patris crevit materia in immensum. Desiderabam enim vobis ad memoriam reducere ea quæ mecum plenius didicistis de ipso et cognovistis, ut cætera quæ non novi vel modo non recolo, quod vos scitis, a vobis mihi merear aperiri; et maxime ut certior efficerer, si hæc ita se habeant, aut in aliquo plus minusve dixerim, quam exigit regula veritatis. Vellem enim, si consenseritis, hæc et alia virtutum ejus charismata palam fieri conservis ejus, his, in quorum castris usque ad bravium militavit: ut qui corpus ejus habent in pignus salutis, haberent et occulta virtutum ipsius insignia, quæ ipse vivens noluit publicari. Quidquid autem utile ad hoc recolitis, præsenti sedule subscribatis schedulæ. Nam multa recolo, quæ hic causa brevitatis præterivi, ut est ejus constantia quam habuit in carcere Petri de Bruillat, familiaritas ad Dominum Papam, et multa alia in hunc modum, quæ tamen vellem a vobis plenius enarrari. Valete. »

Porro quod Frater Michael supradictus, hujus sancti Viri nepos, causa brevitatis captionem et captivitatem ipsius se præterire asserit, ego quoque non penitus obmittam : ut scilicet ab omnibus vere sciatur quanta virtute constantiæ Christus suum debellatorem in hac tribulatione fortiter roboravit. Cum vero, sicut ipso narrante aliquando didici, pro causis Antissiodorensis ecclesiæ deffendendis in carcere Petri captus esset, propriis illum vestimentis irreverenter expoliantes, cum mitra in capite apposita, ne videlicet persona esse ecclesiastica nosceretur, tunica cujusdam armigeri vario colore colorata turpiter vestierunt : nimirum in hoc assimilatus Filio Dei, qui veste purpurea sive candida indutus est in opprobrium et derisum.

Sed quid faceret exul a patria, relegatus in carcerem? Nempe arripiebat cytharam sive organum Spiritus Sancti : psalterium scilicet cum tunc præ manibus non haberet, corde tenus tam dulciter psallebat, inter parietes solus habitans, ut levius se haberet, nec eum malignus Spiritus occasione præsentis infortunii amplius agitaret. Quod quidem sancti otii opus tanto perfecit devotius ab Angelis comitatus, quanto ab hominibus secretius extitit segregatus. Et cum probata virtus corripit inquietos, tanta authoritate et austeritate verborum prædonem suum comminando arguebat, ut etiam furore arreptus propemodum in ipsum ferociter insiliret. Cui contra Vir sanctus respondebat, quod nec tantæ temeritatis ausu, nec tanta præsumptionis audacia in eum irruere non deberet, quod sine dubio non impune aliquo tempore præteriret.

De familiaritate vero Summi Pontificis, de qua et superius idem Frater mentionem facit, ab eo similiter, et ab alio aliquando audivi, quod cum ipse ad expedienda negotia venerabilium vi-

rorum Antissiodorensis et Aurelianensis Episcoporum Romam pluries expetisset, imprimis ibidem fortes adversarios invenit, et tribulationes multas et malas sustinuit, adeo ut a præsentia Domini Papæ per ostiarios turpiter expulsus foras ejiceretur : ob hoc siquidem quod nimis instanter pro causa sua summum Pontificem expetebat. Quo viso, consodalis ejus quasi compatiendo potuit dicere ei : « Modo potestis requiem capere. » — « Nec propter hoc certe, ait, quiescam, donec ab isto magnifico Domino egrediatur ut splendor justitia ejus, id est, donec desiderium cordis mei secundum jus super hac causa plenarie fuerit consummatum ; et ideo humiliter et secure expectabo donec veniat petitio mea. »

Cum ergo fervida calliditate introitum et accessum explorator sedulus observaret, vel per se, vel cum aliis ingredientibus se immiscens, quocumque modo poterat, se ingerebat. Cujus sedulitatem, instantiam atque fidelitatem Dominus Papa considerans, quadam die ait illi : « Lege tu ipse literas istas. » Quibus lectis, dixit ei : « Quid dicis, et quid tibi videtur ? » — « Quid ego dicam, Pater Sancte, cum et ipse in conspectu tuo totus tremebundus et pavidus assisto ? Verumtamen hæc et illa legendo mihi esse contraria bene percipio. Quapropter, Domine, sciatis certissime, quod nunquam ad Dominos meos verbum dubium reportabo, sin autem in meam patriam vacuus remeabo. »

His igitur verbis Dominus Papa exasperatus, sedens in cathedra huc illucque se vertebat, dicens : « Vis contendere mecum ? » Et quia, sicut ipse dixit mihi, Dominus Papa Innocentius III hoc in se habebat proprium, ut quos in suo negotio esse sollicitos cerneret, mira eos affectione diligeret ; unde et ad ultimum, etsi non eo quod amicus ejus esset, attamen quasi per improbitatem illius, dedit ei quotquot habuit necessaria. O virum virtutibus plenum ! qui nec prærogativa Summi Pontificis gratia per superbiam elatus se jactitat, nec per minas et carceres impii prædonis tyrannidem, ut Joannes Herodem, ipse incarceratus fidenter arguere non formidat.

His igitur, quæ vel ante vel post Decanatum fecerit, explicatis, ad felicem vitæ suæ finem breviter recurramus. Post multum itaque temporis, cœlesti afflatus desiderio, Decanatu dimisso, habitu Religionis assumpto, Prior Luviniaci extitit. Deinde vocatus ad nos venit. Qui nimirum in utriusque Prioratus officio quantæ virtutis quantæque strenuitatis, probitatis et sanctitatis fuerit, præcedentia declarant ; cum et nobis impossibile sit ad plenum omnia aperire. In ipsa itaque die solstitii æstivalis a Luviniaco adveniens, Domum istam causis arduis, periculosis et difficilioribus vexatam et oneratam invenit. Circa Festum Angelorum febris eum quartana arripuit, quæ illum usque ad diem ultimum tanquam in purgatorio

affligere non cessavit. Quæ enim vox vel lingua retexere poterit, quoties Trecas pro causa terminanda adierit? Dominum ejusdem civitatis Episcopum interpellaverit? in ipsis itineribus eundo et redeundo, frigore et ardore infirmitatis propriæ debilitatus, de equo corruerit?

Denique causis undique, adjuvante Domino, efficaciter terminatis, sicut de beato Martino legitur, decidit in lectulum, et cœpit sanguinem excreare. Ubi cum venisset vir eruditus Prior S. Mariæ de Balneolis vel de Espaulo, constantius videns sputa et excreationes illius ex pulmonis putredine procedere, nunciavit hoc esse evidens mortis indicium, et proximum illius obitum imminere. Ego quoque, cum secus eum solus sederem, et diceret mihi quod me semper dilexerat, et in orationibus suis cum magistro Petro Porreta et cæteris specialibus amicis mei memoriam fecerat, consolabar eum, dicens : « Vos pristinam, miserante Domino, recuperabitis sanitatem. » — « Nequaquam (ait, palmum extensum quatiendo et tremulando erigens), quia mihi totam viam jam video præparatam. » Præfuit itaque nobis fere per annum, et quadam secunda feria illucescente, nobis præsentibus, obiit ad Dominum in senectute bona et plenus dierum. »

Hactenus Bellilarici vetus Chronicon. Post annum 1223 Britius Ordinem nostrum ingressus, decessit circa annum 1236 vel 1238.

ANONYMUS

MONACHUS MAJORIS CARTUSIÆ

Hujus meminit Ganneronius noster in suo Martyrologio Cartusiensi, ad diem 31 Octobris. Excerpsit autem hanc Historiam ex libro 6, cap. 1, Chronici Cartusiensis Petri Dorlandi, quæ ab eodem Dorlando describitur in hunc modum :

« Olim ecclesia cathedralis Gratianopolitana Canonicum habuit, qui corde compunctus Majorem Cartusiam est ingressus. Hic post aliquot menses, cum novus ille fervor jam pene intepuisset, cœpit de vomitu cogitare. Semper enim tepor non longe distat a vomitu. Huic tepori importuna se diaboli tentatio sociabat, et tam frequens tamque continua, ut novella plantatio et parum adhuc gratiarum fluentis irrigata, tempestates tam assiduas ferre non posset. Non enim recurrebat ad orationis suffragia, nec piorum Patrum monita capiebat. Victor igitur diabolus, miserum eo perduxit, ut nocte jam instante, clam turpem fugam meditaretur.

« Sedente igitur illo super murum qui cingit cœnobium, horto suo proximum, suum (qui illum in Novitiatu jam pridem instruxerat, quique jam mortem obierat) e cœlis ad se venientem vidit Magistrum, multa luce conspicuum et magna circumdatum gloria, dicentem sibi : « Quorsum, o fili, tu fugere maturas in perditionis tuæ periculum? Mane,

mane et in Ordine persevera, et ego tibi promitto perpetuæ felicitatis regnum, quod ipse percipies, si in Ordine ad finem usque laudabili conversatione duraveris. » Ille territus primum, dein apprime animatus, se se ad mentem saniorem recepit, cellam introiit, habitum resumpsit, et virtute ac longanimitate proficiens, felicissimo est fine consummatus. »

MICHAEL URGELLES

MONACHUS SCALÆ DEI

Patria Dertusensis; anno 1510, die 20 Novembris, habitum Religionis in Cartusia Scalæ Dei suscipiens, morum integritate, simplicitate columbina, vitæque innocentia ita refulsit, ut Deo et hominibus amabilis, cum sanctitatis opinione spiritum suo Creatori æterna gloria beandum reddiderit, anno 1543, hospes in Domo de Fontibus.

Ex Libro fundationum Domorum Hispaniæ Josephi de Valles et ex Annalibus Scalæ Dei. »

CLARA STABANT

MONIALIS BRUGIS

Vitæ admodum exemplaris; quæ cum Margaretæ Van Hove hujus Gynæcei Novitiarum Magistræ morienti flens adesset, Margareta ad eam conversa, dixit ei : « Noli flere, brevi mecum eris. » Quod et contigit. Nam vix sepulta erat, cum Clara statim cœpit ægrotare; paucisque ante obitum suum diebus, Margaretam cœlesti gloria perfusam se ad Agni nuptias invitantem conspexit. Qua visione recreata, pie defuncta est in Domino, anno 1592, die 31 Octobris.

Ex antiquis hujus cœnobii Monumentis.

MENSIS NOVEMBER

I DIE NOVEMBRIS

FESTIVITAS OMNIUM SANCTORUM ORDINIS CARTUSIENSIS

Horum numerum sola Dei novit Sapientia; qui quamvis nobis ignoti sint, in Libro tamen Agni, qui et Vitæ, nomina scripta habent, qui suo tempore in reparatione sæculorum agnoscentur quando libri aperti erunt : et ii, qui sub modio humilitatis in cellulis soli Deo noti delituerunt, computabuntur inter Dei filios; et sedebunt cum senatoribus terræ, qui sorduerunt inter hujus sæculi purgamenta. Cum autem tot amicos Dei nemo dinumerare possit, modicum quid ex hac magna Sanctorum Cartusiensium turba delibabimus ex Rerum Nostrarum Scriptoribus, ex Dorlandi videlicet libro 5 Chronici Cartusiensis, cap. 26. Sic autem loquitur :

« Fuit Romæ adolescens quidam, qui in conscientiæ nitidissima puritate diem clausit extremum. Qui et ad Paradisum, atque post, ad Cœlum translatus, vidit et gustavit, quæ illic sibi gaudia parabantur. Multa etiam illic (nec mirum) secreta conspexit. Cum jam duodecimus dies volveretur quo fuerat traditus sepulturæ, et jam esset pene a parentibus oblivioni traditus, revelatum est a Domino cuidam sanctæ Reclusæ quæ Romæ erat, ut convocatis parentibus, juberet, aperto sepulchro, juvenem exhumari. Parentes, assumpto sacerdote et innumera vulgi multitudine, sepulchrum pandunt, et viventem post tot dies juvenem educunt.

« Ille primum apud se stupidus aliquamdiu permanens, ob res mirabiles, quas viderat in Cœlis et in suppliciis : dehinc, astante ad hoc spectaculum innumera hominum multitudine, aperiens os suum, cœpit quæ viderat stupenda enarrare. Accurrit et Prior S. Crucis Ordinis Cartusiensium. Qui domum ingressus ubi hic loquebatur, ob turbam propinquare non poterat. At juvenis repente in Spiritu agnoscens adesse Priorem, surgit, et viam sibi per populos faciens, cum venisset ad Prio-

rem eumque reverenter salutasset, apprehendens vittam superioris vestis, quam nos *cucullam* dicimus, conversus ad astantem plebem dixit : « Scitote, fratres, quod Cœlum omne talibus personis plenum sit. » Hæc dicens, S. Patris ferme hora integra manibus contrectans, tandem iterum salutatum abire permisit. Præclarum de nostro Ordine deque ejus sanctitate præmium! Tribuat misericors Deus, ut Fratrum nostrorum in numerum, quos hic vidit apud Superos, adscribi mereamur.

« Cumque hic adolescens sancta adhortatione plurimos tum Prælatos tum subditos et castigasset et convertisset, explessetque omnia pro quibus eum miserat Deus, post decimum suæ resuscitationis diem, placida requievit in pace. »

Idem Dorlandus, lib. 5, cap. 27, hæc refert : « Daventriæ in cœnobio Fratrum, quos divi Hieronymi appellamus, contigit, quod narrabo, jucundissimum exemplum. Nam Frater religiosus, simplex ac devotus, pestilentiæ morbo deductus est ad extrema. Cumque jam per horas plurimas ita jaceret, ut mortuus crederetur, tandem quasi de gravi somno expergefactus, corpus suum arcte contraxit, et læto nimis ac placido vultu cœpit eos, qui astabant, cunctos aspicere. Et aperiens os suum, narrabat quæ et quanta viderit in Cœlis ; nempe Dei gloriam, altitudinem, majestatem, potentiam et Sanctorum omnium inenarrabilem beatitudinem. Mirabantur omnes in verbis gratiæ, quæ Frater ille suo promebat ore.

« Narrabat etiam, se plurimos illic diversorum Ordinum Religiosos homines conspexisse. Porro Dominus Godefridus, illius tunc Congregationis Prior seu Pater, cum præsens esset, quærit a Fratre, an etiam inter cæteros illic viderit Cartusienses qui hic tam duram ducunt vitam, et rigidam peragunt abstinentiam. Cui ille cito et læta voce respondit : « Vidi, inquit, mi Pater, vidi ; et quasi apum examina illic confluunt atque ebulliunt Cartusienses. Cœlum iis plenum est. » Hæc ubi dixit, cæteraque, quæ dicere jussus fuerat a Deo, obdormivit in Domino. »

Subjiciam in Patrum nostrorum sanctitatis et beatificationis argumentum, quod legitur apud Sutorem, lib. 2, tract. 3, cap. 4, de Vita Cartusiana : « Primum aggredientes probemus tum exemplis, tum rationibus, innumeros Cartusiani Propositi sectatores, cœlestem gloriam fuisse consecutos. Enimvero (ut aliquid exemplorum imprimis proferatur in medium) quadam mirabili visione monstratum est, Cœlestem regionem Cartusianis plenissimam esse.

« Sub venerabili Patre Joanne Birello, Majoris Cartusiæ Priore vigesimo secundo, Novitius quidam in eadem Domo regularem sarcinam graviter ferens spirituque instabilitatis percitus, Domum ipsam prorsus missam facere decrevit. Quod quidem ut latentius opportuniusque moliri posset, noctur-

num tempus censuit captandum. Cum igitur, suo voto satisfacere cupiens, intempestæ noctis silentio cella egressus per claustrum deambularet, en duo viri habitu Cartusiano induti protinus ante oculos mirantis apparuere. Quibus visis, protinus invasit eum stupor ingens, quod contra morem Cartusianum regularemque observantiam, Religiosos extra septa cellæ videret. Cum autem juxta illos transire opus illi esset, quod alio ingredi non liceret, alter eorum manu stupefactum apprehendens, graviter increpavit. « Quid, inquit, fugis, ah demens ? quo, miser, properas ? Revertere ad cellam tuam, infelix, revertere, habituque resumpto viriliter perseverato : alioqui de te actum puta. Juramus enim tibi per Viventem in sæcula, omnes in hoc cœmeterio sepultos in conspectu Dei Sanctos esse, præter Conversum unum, qui propter scelus proprietatis magnis addictus est pœnis. » Quibus dictis statim tenues in auras discessere.

« Huic exemplo non ita dissimile est, quod ab ipso Birello dictum fuisse legitur. Etenim cum super lapidem quemdam, in quo post funus defuncti Fratres lavari solent antequam tumulentur, quidam ex suis monachis lavandus positus fuisset, in hæc verba prorupisse fertur : « Usque adeo de Divina misericordia spero, confidoque indubitanter, nullum monachum super hunc lapidem lotum esse, quin Sanctus in conspectu Dei habeatur. »

« Forsitan profiteris, monachos illos, qui in illa horrenda Majori Cartusia victitant, indubie salutem consequi perennem ; at vero non ita facile quoad cæteros forsitan assentiris, qui loca non ita aspera colunt. Aliud igitur exemplum subjiciamus, quod et tuam hæsitationem pellere, et rem propositam confirmare possit.

« Romæ quidam puerulus materna domo egressus, dum per vicos urbis vagaretur, et gurgitem seu puteum quemdam despiceret, cadens in præceps submersus est. Quem anxia mater sollicite perquirens, tandemque forte in gurgitem prospiciens, sui pignoris charissimi birretum seu pileum super undas natantem animadvertit. Tum gravissimis affecta doloribus, maximisque singultibus plena ejulare aurasque implere cœpit. Cœpit et prudentius ferventissimis precibus beatum Nicolaum pulsare, totaque illi mente extinctum filium commendare. Res mira ! Resedit, qui erat mortuus : qui (inquam) obrutus aquis, miserabiliter fuerat deploratus, super aquas vivus hilari vultu prospectabatur. Quid plura ? Diligenter extractus, sine læsione invenitur. Gratiæ ingentes aguntur, rumor per urbem volitat, qui et Pontificis aures pulsat, solennis processio pro gratiarum actione instituitur, concurritur, atque in loco edito puerulus collocatur. Qui vagis oculis omnia lustrans, Cartusianorum unum (qui tum aderat) inter cæteros animadvertens, citato gressu eum adiit,

cucullamque illius arripiens, in hæc verba prorupit: « De istis esse volo, de istis esse volo. In superna enim patria immensum istorum numerum vidi; æterna illa gaudia istis plena coruscant. » Quibus dictis sub cuculla delitescens, fortiterque manu tenens, vix dimoveri potuit. »

ABEL POYEN

PRIOR LUVINIACI

Ob religiositatem et venerandam canitiem multum spectabilis, Cartusiæ Parisiensis alumnus; qui cum utiliter Domos Divionis et Luviniaci calamitosis temporibus administrasset, anno 1590 ob decrepitam ætatem (nonagenarius etenim erat) exauctoratus, in solitudinis quiete meritis dives naturæ debitum persolvit, anno 1591, 1 Novembris.

Multum in Charta Capituli generalis anni 1590 commendatur his verbis : « Priori Domus Luviniaci, de Ordine et dicta Domo et Divionis ac Bellilarici bene merito, ob suam decrepitam ætatem (fere enim nonagenarius est) fit *misericordia*. Cui volumus et mandamus provideri tam in iis quæ ad victum pertinent quam in aliis, ita liberaliter et suaviter, quam bene promeretur, deputato illi ad obsequium famulo etiam si non petierit, Religioso autem ad Officium si petierit, sive manere eligat in dicta Domo, sive ad propriam suæ professionis Parisiensem vel aliam quamcumque Ordinis Domum migrare eligat. » Hæc describi mandavit in Charta R. Pater Hieronymus Marchant, qui probe noverat spectatissimam Abelis virtutem ; cujus paternam plane curam gerens, anno 1591, per præfatam Chartam « Rectori Domus Luviniaci commendat venerandum senium D. Abel Poyen in quibuscumque rebus opportunis eguerit remediis, ad suarum infirmitatum sublevationem præter senectutis, quæ incurabilis est, prout bene meruit. »

ONUFRIUS ILLEZ

PROCURATOR MONTIS HILARIS

Frater germanus Bartholomæi, hujus Cartusiæ Conversi; vir summæ sanctitatis et patientiæ, qua per triginta septem fere annos, quibus vixit in Ordine, maximas tum in spiritu tum in corpore sustinuit tribulationes : quibus tanquam aurum in camino probatus et purgatus, singulari erga Deum et proximum charitate præcelluit. Beatissimam Virginem Mariam impense diligens, devotissimus etiam erat erga virgineum ejus Sponsum S. Joseph. Scriptor egregius, tempus suum impendebat utilissime tum pia scribendo pro Fratrum suorum ædificatione et solatio, tum Domus tabulas : cujus labores nulla delebit vetustas temporis. Cum autem Procuratoris munus prudenter obivisset, postquam diu cu-

piisset dissolvi et esse cum Christo, tandem sexagenarius felici morte ad eum pervenit, anno 1616, die 1 Novembris.

FRANCISCUS MONTERO

NOVITIUS VALLIS CHRISTI

Jam erat Sacerdotio initiatus cum Cartusianis nomen dedit; cujus vocatio ad Religionem accidit in hunc modum. Cum in sæculo degeret, semper aberat a funeribus, debitam sibi distributionem cæteris Ecclesiasticis libenter cedens. Contigit aliquando, ut sæcularis cujusdam cadaver deferretur ad Cartusiam Vallis Christi tumulandum. Franciscus non tam lucri causa quam impulsu Divino prosecutus exequias, ita jacentis in feretro mortui spectaculo motus fuit ut, nulla interposita mora, D. Henricum Tristany cœnobii Moderatorem conveniens, vestem monasticam petierit. In ipso Sanctorum Omnium solemnitatis pervigilio anni 1636 inter Novitios adscriptus, silentium solitudinemque imprimis colens, fuit addictissimus sensuum mortificationi, rerumque cœlestium meditationi.

Cumque tam præclara essent illius tyrocinii præludia, placuit Deo illum educere in Sanctorum sortem. Gravi etenim correptus morbo, in extrema constitutus salutis linea, nondum evoluto probationis tempore, professionis diem prævertens, in suo lecto vota sua Domino reddidit. Post triduum, illucescente jam Sanctorum Omnium die natalitio, monachis concinentibus nocturnæ synaxis Invitatorium *Gaudete et exultate, quia nomina vestra scripta sunt in Cœlis,* Franciscus placido mortis somno captus, anno 1637, 1 Novembris, cum vix in stadio virtutum cucurrisset, feliciter accepit bravium.

Ex Chronico Hispanico Vallis Christi D. Joachimi Alfaura.

FRANCISCUS SCHOTTE

PRIOR LYRÆ

Natione Belga, patria Bruxellensis, e nobili Schottorum familia, quæ inter septem clariores urbis numeratur. Jam humanioribus literis apprime instructus, dabat operam Philosophiæ, cum bellicoso suadente animo, dimissis Musis, arma tractare cœpit; et cuidam non inferioris notæ Hispano, summo copiarum equestrium Præfecto, adhærens, obsidioni Ostendæ ac Bommeliæ multisque aliis expeditionibus bellicis interfuit, in quibus non obscura suæ magnanimitatis edidit specimina. Hunc Deus ad abrupta vitæ licentioris properantem, miro suæ Providentiæ arcano, retraxit et suo addixit cultui.

Contigit enim, dum Bruxellæ moraretur, ut in domo Principis cujusdam, apud quem agitabantur choreæ, cum

nescio quo jurgaretur. Is Schottum, quem strenuum noverat, palam lacessere non ausus, aggressus per insidias a tergo pugione confodit. Faustum atque felix vulnus, quo omnia animæ ejus vulnera sanata fuere! Vix enim plaga coaluerat, cum jam relicto Marte intermissa repetit studia, Philosophiæ operam navat, et clericalem habitum suscipiens, anno ætatis suæ trigesimo sexto ad Sacerdotium promovetur.

Tunc jejuniis vigiliisque vires corporis, ne adversus spiritum rebellarent, cœpit atterere; solique Deo servire gestiens, sibi cellulam in eminentiori loco domus maternæ (nam pater jam obierat) construxit. Ibi hominum conspectum fugiens, permanebat in oratione; nec unquam prodibat in publicum, nisi ut Sacrum operaretur : atque ideo templa minus frequentata, vel etiam sacella carcerum eligebat, reos et captivos incruento Missæ Sacrificio ac eleemosynis solaturus.

Verum pertæsus hujus vitæ rationis tanquam nimium incertæ, perfectiorem indagavit. Franciscus nuncupabatur, et nomine pro omine accepto, se inter Franciscanos adscribendum existimabat. Totum tamen se Divinæ voluntati committens, nihil aggressus est tam inani conjectura fretus. Quapropter pulsabat Cœlum assiduis precibus, cupiens se alicui religioso Ordini mancipare, Deumque, quocumque vocaret, sequi. Nocte tandem hunc Psalmographi versiculum *Quoniam in te, Domine, speravi, tu exaudies me, Domine, Deus meus* sæpius repetente, repetitis ictibus ad cubiculi fenestras pulsavit Angelus tutelaris, ei significaturus suas preces ab omnipotente Deo esse exauditas. Nullam tamen adhuc in partem movebatur; dubius hærebat, nescius quodnam sectaretur Institutum.

Postea, nec sine Divino instinctu (uti credere fas est), virginem quamdam Deo sacratam non longe ab urbe solitarie viventem adiens, suumque sæculo valedicendi consilium aperuit. Hæc Schottum multis ac piis monitis instructum dimittens, etiam imagine donavit S. Brunonis. Ubi primum ille conjecit oculos in hanc effigiem, non mediocri Vitæ nostræ desiderio incensus, se sensit interius vocatum ad illam amplectendam. Ne autem arduum et tanti momenti negotium conatu temerario aggredi videretur, probavit se ipsum, et post menses aliquot vestem monasticam, quam instanter a Cartusianis Lovaniensibus petierat, impetravit.

Anno probationis expleto, superatis diaboli insidiis, qui Novitium importunis strepitibus et clamoribus ad sæculum revocare nisus fuerat, vota cum intimo devotionis et spiritualis lætitiæ sensu nuncupavit. Tantis virtutum effulsit exemplis, ut paulo post fuerit constitutus super sanctuarii custodiam: quod munus per totum septennium, silentii legibus nunquam violatis, pie ac religiosissime obivit. Hinc, ut virtus sibimet præconium est et tuba, Car-

tusienses Capellæ suo orbati Pastore, Schottum, quem fama solummodo noverant, communi votorum omnium calculo sibi præfecerunt in Superiorem.

Quanto cordis dolore ab amica solitudine avulsus fuerit atque a portu tranquillissimo rejectus in temporalium rerum pelagus procellosum, facile conjiciet quisquis studiosus est suæ professionis et osor dignitatum. Ne autem Schotti virtus pace et quiete languesceret, quasi non satis ipso muneris pondere et sollicitudine premeretur, multos Deus eidem casus adversos et tribulationes adjecit, quibus probavit servi sui patientiam : cui quidem Prioratus Cartusiæ Lyræ, quem iniit anno 1625, subministravit amplissimam segetem.

Interim dum internas ac domesticas sustineret ærumnas, magna authoritate pollebat apud extraneos Magnates, et sibi conciliabat omnium venerationem ob innatam morum comitatem, affabilitatem, cæterasque animi dotes, quæ bonum Pastorem decent. Inter quas hæc semper imprimis enituit, mira in adversis et illatis injuriis patientia : unde cum imperturbatus permaneret, invictum nunquam quolibet casu relaxabat animum ab oratione, jugiter rerum cœlestium contemplationi intentus.

In Vigilia cujusdam Festi, advesperascente jam die, domum redierat. Nimio fatigatus labore itineris, dormiebat in utramque aurem, dum somno nondum expleto a Sacrista ad antelucanas preces persolvendas excitatur. Hæsit aliquamdiu, secum deliberans an exiliret e lecto. Hinc defessum corpus a decumbente debitam sibi exigebat requiem ; hinc campanæ pulsus cunctantem advocabat ad ecclesiam. Dumque lectulo affixus, quo se verteret cogitabat, audit percussum ab aliquo valide cubiculum. Tunc se ab Angelo suo Custode, qui nihil vel minimum in Schotto relinquebat impunitum, intelligens admoneri, e strato protinus exiliens properavit ad nocturnam synaxim. Deus autem qui, juxta illud Davidis, aures illius perfecerat, illuminavit et oculos : concessit enim ut monachum non ita pridem defunctum ignibus circumseptum videret. Hunc pœnis cruciatum æternis quidam crediderunt, quas moribus irreligiosis meritus fuerat.

Dum vacabat orationi suspensam in Deum mentem gerens, quantuscumque circa eum strepitus excitaretur, nihil penitus audiebat : a sensibus alienatus, totus absorbebatur in divinis. In hujus rei argumentum, sufficiat unum, quod subjicio, exemplum. Quidam aliquando adolescens conveniens Schottum ad altaris gradus post oblatum Missæ Sacrificium divino Numini gratias agentem, bis terque voce altiori orantem compellavit ; in quem, cum non responderet, intuitus, conspexit illum attonito vultu similem magnum quid meditanti. Cum autem aliquamdiu expectasset num sibi loqueretur, exiit e sacello ; rursusque cum majori strepitu ostium aperiens, ædem sacram repetit, obstrepit, donec

pius Pater ad se reversus blande stantem adolescentem affatur, rogat quomodo sit ingressus in sacellum quidve peteret quærit.

Vir ita cœlestibus intentus, mira cum devotione et reverentia divinum recitabat Officium, ita quidem composito corpore, ut quasi unus ex Angelis stans ante Dei thronum appareret. Beatissimam Virginem Mariam, singularem Cartusianorum Protectricem, summopere colebat; statasque ab Ordine nostro preces ad patrocinium ejusdem Dei Genitricis obtinendum persolvebat cum ingenti spiritus fervore. Summa erga omnes, præsertim autem in pauperes charitate afficiebatur : horum inopiam sublevabat iis, quibus poterat, modis, paternaque erga afflictos gerebat misericordiæ viscera.

Prohibuerat ille, authoritate usus Visitatorum, ne publicæ preces, quæ hactenus recitatæ fuerant contra ritum Ordinis, in sacello anteriori fierent. Quidam tamen monachus contumax, spreta Superiorum ordinatione, cum aliis quibusdam sibi consimilibus ad hanc ædem sacram accedens, induit cucullam ecclesiasticam Collectas dicturus coram populo. Verum subito muta lingua faucibus hæsit; et Divina manu pertinax durities fracta fuit, quæ jussu Visitatorum flecti noluerat. Recessit itaque ille, se seque recepit in cellulam perturbatus.

Cum autem Schottus in dies amplificaret monasterium, et ecclesiam augustiorem construere meditaretur, hujus rei gratia perrexit ad Ordinis Comitia. Cumque sibi demandata fuisset Visitatio Domorum Tornaci et Valencennarum, in Belgium redux, dum ibi per aliquod tempus substitisset, se se accingit ad iter præfata monasteria visitaturus. Verum ex equi agitatione correptus hernia, adhibitis frustra remediis, cum se se Sacramentis rite perceptis præparasset ad adventum Domini, sancte decessit in Tornacensi Cartusia, in ipsa Sanctorum Omnium solennitate, anno 1639.

Ejus Elogium nobis Gallico idiomate submisit D. Angelus Schotte, ejus nepos, nobilis quondam pedestris militiæ Ductor, postea Cartusiæ Bruxellensis alumnus, vir valde religiosus; decessit Coadjutor Lyræ, circa annum 1662.

II DIE NOVEMBRIS

GODEFRIDUS

PROTOPRIOR MAURBACH

Vir morum probitate et vitæ sanctimonia celeberrimus; e regimine Domus Seiz, quam jam ab anno 1301 sapientissime gubernabat, a Reverendo Patre Aymone totius familiæ Cartusiensis generali Præposito, ad instantiam prænobilis Friderici ducis Austriæ et Styriæ, Fundatoris amplissimi Domus Maurbach, in primum ejusdem monasterii Priorem, anno 1314, sabbato post festum Assumptionis, institutus, possessionem novæ dignitatis iniit cum ingenti Magnatorum Austriæ gaudio. Ita autem se in brevi virtutum meritis et exemplo Fundatori serenissimo probavit, ut Principibus in conscientiæ tribunali jus, in secretiori concilio sententiam sæpe dicere juberetur : eam in rem Aulæ Palatinæ cum quatuor equis adscriptus, privilegio etiam ad posteros transituro.

Inopinato interim fato decessit in Calabria Henricus Romanorum Imperator Augustus, qui eumdem secum in tumulum pacem Germaniæ, concordiam Principum, et Imperii felicitatem in plures deinceps annos intulit. Nam eo demortui Cæsaris nuncio, septem viri in factiones consternati, uni cœlo duos soles, Romano Imperio duos Cæsares, Fridericum Austriæ ducem et Ludovicum Bavariæ, fratres consobrinos, præficiunt; et illum Coloniensis Bonnæ, hunc Moguntinus Aquisgrani sacri Electores infulis Imperii insigniunt : quæ discordia calamitatibus Europam auxit et novo Fundatore Cartusiam Maurbacensem.

Præerat sacris Palatinis Austriæ vir industrius R. D. Gerlachus parochus in Dreskirchen, quem Fridericus jam Romanorum rex, Electorum suorum studia bello prosecuturus, novæ plantationi suæ cum potestate præfecit : qui provinciæ sibi demandatæ incubuit tanta fide et solertia, ut intra tertium annum major ecclesia solennem acciperet consecrationem, sicuti jam diximus ad diem decimam sextam Aprilis.

Sublato ad meliorem vitam Gerlaco, vixdum ex integro cicatricem hoc vulnus obduxerat, vix abstersæ de Gerlaci morte nimium præmatura Cartusiensium Maurbacensium lachrymæ filiales, cum gravior repente procella non Cartusiam modo sed Austriam universam prope obruit et evertit. Rem Spondanus ad annum 1322, § 10, sic refert :

« Initum est autem prælium (ut plures asserunt) 4 Kalendas Octobris in Vigilia S. Michaelis juxta oppidum Muldorffium Bavariæ Inferioris, quam Fridericus invaserat; et ab ortu solis usque ad occasum decem vel duodecim continuis horis varia inclinatione et repetitis certaminibus acerrime gestum. Aderant Ludovico, inter alios Principes, Joannes rex Bohemiæ et Balduinus ejus frater archiepiscopus Trevirensis. Fridericus ardore pugnæ, inexpectato alio fratre Leopoldo qui cum magnis copiis ex Suevia et Rheno prope aderat, solo equitatu suo et Hungarorum, qui suppetias venerant ad quatuor millia, pugnam iniit, in armis Regiis insignis apparens: Ludovico sub fictis, ne dignosceretur, latitante. Eaque pugna post multos manu propria, ut erat robustissimus et strenuissimus, occisos, tandem captus est, una cum fratre Henrico et multis Proceribus, plerisque aliis cæsis. Henricus a Rege Bohemiæ abductus, paulo post liber factus est, datis in redemptionem nonnullis castris et magna pecunia; nec diu supervixit. Fridericus autem a Ludovico consobrino suo custodia fere triennio detentus, tandem et ipse dimissus est certis conditionibus, ut dicetur suo loco. » Hactenus Spondanus.

Nemo in acerbissimo casu sibi similior quam Fridericus, qui utramque fortunam prosperam et adversam ex æquo ferre doctus, maluisset fœtori carceris (si res ita ferret) immori, quam per nefas se se in libertatem asserere. Quod quidem patet ex Chronico Alberti Argentinensis, cujus verba subjicio:

« Invenit autem Leopoldus tunc temporis expertum nigromanticum, cum quo de eductione Friderici tractavit. Confidentibus autem ipsis duobus solis in camera bene firmata, Leopoldo et magistro faciente characteres suos, ecce venit dæmon, stans coram eis in specie viatoris habentis calceos corruptos, et pileum in capite, oculosque lippos. Cui Leopoldus ait: « Nosti me? » At ille ait: « Bene nosco te. » Et quæsitis aliquibus, injunctoque sibi ut absque omni periculo deduceret Fridericum a captivitate; dæmone respondente quod sic eum deduceret, dummodo ei consentiret, Leopoldus nimis perterritus est. Itaque dæmon veniens ad castrum Trausznit in specie scholaris cujusdam in partibus Ergoviæ, habentis pannum circumvolatum per collum, ac si in eo panes portare vellet, dixit Friderico: « Ingredere hunc pannum, et ducam te ad fratrem tuum Leopoldum. » Quo interrogante quis esset, et illo respondente, « Non cura; si ingrederis, secure te ducam, » Fridericus, facto signo Crucis et invocato Christi nomine, dæmonem effugavit: dicens custodibus suis, ut per aliquas Reliquias vel preces a dæmone se custodirent. Quod et factum est diligenter. » Hæc Alberti Chronicon.

Interim ut Fridericus emanciparetur, urgebat Pontifex Romanus censuris,

Reges exteri legationibus, armis Duces Austriæ, Proceres imperii precibus; sed obfirmati animi victor Ludovicus, neque hos neque illos audiebat : quippe Godefrido Priori Maurbach, juxta nominis etymon, conciliatæ pacis et liberati Principis gloria debebatur. Indefessis ille precibus et gemitibus cum universo Religiosorum cœtu, et quotidianis corporis macerationibus divinum sibi Numen placaverat. Cum ea fiducia Ludovicum aggressus, aheneum illud pectus singulari dexteritate penetravit; et Fundatorem suum iis legibus, quas a victore non expectes, nempe ut imperarent pari ambo cum potestate, impetravit.

Sistitur Ludovico Fridericus, et angelo pacis Godefrido præeunte, stipulantur dexteræ : atque præter amnestiam præteritorum, juratur concordia; nec non in sacrosancti fœderis æternum robur, Godefridus utrique Cæsari delicta confitenti aures accommodat, et in magna Principum corona, Sacris operatus, ex eadem numero Hostia communicat utrumque : qui sumpto amoris Sacramento mutuos charitatis iverunt in amplexus : plaudente Germania, triumphante Bojaria (Bavaria) atque Austria : piis vero Religiosis mistas gaudiis lachrymas ex animi teneritudine non tenentibus, quod præter suavissimum suum Fundatorem, viderent Romani etiam Imperii fasces a cucullo monastico pacificationem admittere.

Ita restitutus Austriæ anno 1325 Fridericus, apud Godefridum et suos Cartusianos, asceticæ vitæ delectatus dulcedine, magnam deinceps temporis partem exigere; cœlestium quam sublunarium regnorum potiorem habere rationem; curis et sollicitudinibus coronæ tam infidæ, tot aculeis armatæ, tot spinis horridæ quot radiis illustri Ludovico permissis, augustius ipse diadema et ingentia quæ sursum sunt æternitatis spatia mente complecti; placando Numini tam ipse sollicitus allaborare, quam viros Religiosos deprecatores adhibere. Quos piissimos animi motus supremo diplomate Cartusiæ Maurbacensi dato luculenter ostendit, dum ait :

« In nomine Domini, Amen. Labilis humanæ conditionis exposcit memoria, gesta perenniter duratura scripturarum serie futurorum notitiæ reserari. Nos igitur Fridericus, Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, et Nos Albertus et Otto, eadem gratia Duces Austriæ, sui germani, ad universorum notitiam cupimus pervenire tam præsentium quam futurorum, quod juxta doctrinam Evangelicam, qua primum jubemur quærere regnum Dei, delectamur ex intimis, ut a terrenis principatuum titulis, quibus dono pollemus Altissimi, per pietatis exercitia virtuosa ac per divini instaurationem ac ampliationem ministerii attingere et nancisci queamus præcipuum Principum principatum commutatione summe desiderabili, pro instabili statu stabilem, pro luteo incolatu sydereum, et

pro terreno principatu cœlicum lucrari. Sanctam itaque ac contemplativam virorum Religiosorum Prioris et Conventus monasterii Vallis Omnium Sanctorum in Maurbach Ordinis Cartusiensis devotorum nostrorum et dilectorum conversationem, et cælibis ac monasticæ Vitæ ipsorum rigidam observationem in Domino complectentes, ipsosque tanquam Dei domesticos debitis temporalium et donorum nostrorum sustentaculis confovere cupientes, et ubertate nostri dominii non carere, ut eorum interpellatione supplici commissorum facinorum nostrorum expiationem et omissorum bonorum suppletionem consequi valeamus, etc... Datum in Inspruka, 5 Kalendas Januarii, 1327. »

Interim Fridericus præsentiens, ob affectam valetudinem, immaturam sui corporis resolutionem, collocat omnem curam ad pie emigrandum, in quo statuerat summam hominis felicitatem, familiari suo lemmate : Morte beata nihil beatius. Quæ pientissimo Cæsari Sacramentis rite præmunito juxta votum, in arce Guldenstein obtigit, anno 1330, 13 Januarii. Unde ad Cartusiam Maurbacensem funere regio conductus, inter suorum nostrorumque lachrymas in medio chori tumulatus est.

Porro Godefridus noster post stabilitam in utroque foro Cartusiam, administratam longo tempore Provinciam, multis interim pro honore et rigore Ordinis perfunctus laboribus, annis septem Fundatori superstes, de universa Austria meritissimus, morte beata quæ vitæ laudabiliter actæ coronis est decessit, Kalendis Novembris, anno 1337, juxta Chronicon Cartusiæ Maurbach, vel die 2 ejusdem mensis, juxta Chartam Capituli generalis anni 1338, ubi hæc leguntur : « D. Godefridus Prior Vallis Omnium Sanctorum obiit 4 Nonas Novembris, qui habet Monachatum et duplex Officium. »

Vir fuit plane magnus, et inter præcipua Cartusiensis Instituti sydera non immerito collocandus : in rebus agendis exploratæ prudentiæ. Apud viros Principes ob vulgatissimam vitæ sanctitatem in ea erat existimatione, ut, cum a glorioso liberati Principis facinore Cartusiam Majorem et in ea generale Capitulum accederet, cultus honoribus, cum iis mandatis rediret, quæ ex ipsis Godefridi aliorumque litteris hic legere est :

« Reverendis in Christo Patribus D. Haymoni, venerabili Priori Cartusiæ, totique Capitulo generali congregato ibidem, Fratres Joannes Vallis S. Joannis Baptistæ in Seiz, Petrus Vallis S. Mauritii in Gyriaco, Hermannus Vallis S. Mariæ in Vroniz (Freidniz) et Godefridus Vallis Omnium Sanctorum in Maurbach, Domorum Priores prædicti Cartusiensis Ordinis, cum omni subjectione obedientiam filialem.

« Nosse dignetur vestræ pietatis Clementia paternalis, quod, anno Domini 1328 (postquam ego F. Godefridus Prior prædictus, rediens a Capitulo generali,

assumpto socio, personas linguæ Gallicæ in exilio et tædio multo in partibus Alemaniæ, scilicet in Valle S. Mauritii in Gyriaco et in Valle S. Mariæ in Vroniz nostri Ordinis degentes, sufficientibus datis expensis ad Domos sui idiomatis nostri Ordinis, quas elegerant, omnino sine strepitu cum reverentia et tranquillitate misissem, Prioribus et aliis personis illius patriæ ibi locatis, aliisque rebus et negotiis, prout melius fieri poterat, dispositis, sicut mihi prædicto F. Godefrido in generali Capitulo injunctum fuit in virtute sanctæ obedientiæ et mandatum, prout in Litteris majori sigillo Domus Cartusiæ signatis, quarum rescriptum sub sigillo Domus nostræ transmitto, plenius continetur),

« Nos prædicti Fratres, videlicet Joannes, Petrus, Hermannus et Godefridus in Domo Vallis S. Joannis in Seiz, in die S. Agathæ anni ut infra, dicta Prima una cum Conventu, in Capitulo pariter congregati, habita deliberatione, de maturo consilio et concordi consensu Conventuum nostrorum, Missali libro super altare posito, pro Prioribus et Conventibus nostris atque successoribus nostris juravimus ad Sancta Evangelia Dei, quæ singulatim manibus corporaliter tetigimus, Ordini nostro, scilicet Cartusiensi, immobiliter adhærere; Priori et Conventui Cartusiæ ac generali Capitulo humiliter obedire; Visitatores Ordinis, prout consuetum est, reverenter recipere et ipsorum Ordinationibus salubriter assentire; contra rebelles quoslibet, cujuscumque status extiterint, sive subditi sive Rectores fuerint, constanter insurgere, et ipsorum contumaciam seu rebelliones de communibus consilio, adjutorio, expensis ac laboribus, secundum constitutiones ac pœnas ab Ordine institutas.... dicto Ordini, ad cujus jus, regimen, proprietatem et dominium dictæ Domus et omnia earum bona mobilia et immobilia, possessiones, redditus et jura cum omnibus suis pertinentiis, ut publice confessi sumus, de jure pertinent, omni conamine subjugare; fraternas admonitiones de honestate et observantiis Ordinis vicissim charitative facere; ac universa negotia tam in pecuniis quam in aliis factis, pro utilitate et profectu Domorum, communicato consilio eorum qui requirendi sunt, religiose et fideliter agere et tractare. Præterea D. Joannes Prior Vallis S. Antonii existens in Valle Omnium Sanctorum, pro se et Conventu suo, et pro D. Joanne Priore Lapidis refugii et eorum successoribus, sub juramento promisit prædicta omnia fideliter observare.

« In quorum omnium robur, præsentes litteras sigillis prædictarum quatuor Domorum vestræ Paternitati transmittimus communitas : supplicantes humiliter et attente, quod si tenorem prædictorum in aliquo decernitis alterare, nobis demandetis : quia, in his et in omnibus aliis, vestris beneplacitis promittimus sub voto Religionis nostræ humiliter obedire. De cæteris Domno

Tyloni Vicario Domus Vallis Omnium Sanctorum exhibitori præsentium dignemini, ac si præsentes essemus, fidem credulam adhibere. Datum in Valle Omnium Sanctorum, in Maurbach, anno Domini 1329, in die S. Ambrosii. » Id est 4 Aprilis : tunc enim hac die in Ordine nostro celebratur S. Ambrosii festum.

Neque vero tantum apud Aymonem Ordinis Præpositum Godefridus fuit in veneratione, sed cum apud omnes bonos suo semper sit virtus in pretio, in viri quoque amorem et admirationem illectus est R. P. Clarus, etiam Generalis vitæ sanctimonia clarissimus : a quo arduarum mandata rerum et totam Capituli generalis auctoritatem cum plenitudine potestatis Godefridus accepit publico Decreto, quod hic adjungimus :

« Dilecto in Christo Fratri suo, Domno Godefrido, Priori Vallis Omnium Sanctorum, Clarus Prior Cartusiæ, salutem in Domino sempiternam.

« Cum Domos nostri Ordinis in Sclavonia et Alemania constitutas, tam in capitibus quam in membris, correctione et diligentis discretæque Visitationis remediis intelleximus indigere; et propter itinerum prolixitatem nimiam, plenam periculis, nequeamus personas sufficientes invenire, qui ad exercendum Visitationis officium illuc audeant proficisci : Nos de bonitate vestræ conscientiæ, quam zelo justitiæ, rigoris et honestatis Ordinis, donoque discretionis provide Divina largitione dotatam esse credimus, firmiter confidentes; auctoritate Capituli generalis, cujus vices gerimus super annum, vobis præsentium tenore concedimus plenam, efficacem et liberam potestatem visitandi præfatas Domos et singulas tam in capitibus quam in membris, toties quoties eas aut earum aliquas Visitationis remedio noveritis indigere, etc.... Datum in eadem Domo Cartusiæ, 29 Aprilis, anno 1334. »

Hæc collegimus ex Chronico Cartusiæ Maurbacensis, quod nobis submisit D. Leopoldus Benner (al. Brenner), tunc Procurator Maurbach, vir eruditissimus; qui, hoc anno 1676 quo hæc scribimus, agit Priorem Walditz et suæ Provinciæ Convisitatorem.

BARTHOLOMÆUS DE MIRRA

PRIOR FERRARIÆ

Hujus eximii Patris Elogium nullum hic honorificentius possum describere, quam illud quod extat in Charta Capituli generalis anni 1540 his verbis : « Obiit venerabilis Pater D. Bartholomæus de Mirra, primo professus Domus Astensis, secundo Domus Ferrariæ; qui in Ordine 71 annos, ac in Prioratibus Domorum Astensis, Boloniæ, Parmæ, Papiæ, Florentiæ et Ferrariæ sexaginta annos laudabiliter et commendabiliter peregit, et multis annis Visitatoris et Convisitatoris offi-

cium religiosissime exercuit. Et habet per totum Ordinem plenum cum psalteriis Monachatum. Sub die secunda mensis Novembris scribatur obitus ejus in Kalendariis conventualibus Domorum Ordinis. Insuper habet unam Missam de Beata, etc. »

FRANCISCUS DE DAVID

CONVERSUS GLANDERII

Generis sui nobilitatem eximia humilitate ac sui ipsius contemptu nobilitans, se se ita humillimum omnium servum exhibuit, ut vilia quæque munia obiret avidissime; grandi honori et lucro reputans Procuratoris et cæterorum Officialium, etiam extraneorum ocreas detrahere, calceos tergere et alia hujusmodi præstare obsequia. Cumque videret se a Nobilibus non solum, sed a Religiosis viris ob suam sanctitatem visitari sæpius, petiit alibi collocari. Missus igitur ad Domum Vallis claræ, postea ad Caturcensem, ibidem plenus meritis spiritum Deo reddidit, anno 1613, 2 Novembris.

BRUNO GAUDE

PROCURATOR AVENIONIS

Hujus monasterii alumnus, vir morum maturitate haud vulgari præditus, et valde timoratus; cum, anno 1633, Majorem Cartusiam venisset et die Sanctorum Omnium natalitio divinis interfuisset Officiis, dixit R. Patri D. Justo Perrot : « O beati, qui hic moriuntur et sepeliuntur! utinam hoc mihi concederet Deus ! » Respondit R. Pater : « Morere hic, et hic te sepeliemus. » Die crastino pergit ad Villetam, Gratianopolim reversurus. Cumque ibi ardentissimo moriendi desiderio flagrans, dissolvi et esse cum Christo a Deo instantissime petiisset, voti sui compos factus, die 2 Novembris post Completorium, in grangia Villetæ feliciter expiravit. Sicque ejus cadaver in Cartusiam relatum in communi cœmeterio depositum est.

Ex Schedis D. Hugonis Buat ad nos transmissis.

NATALIS OZAN

MONACHUS MAJORIS CARTUSIÆ

Cenomanensis ; professus Cartusiæ primo Novembris, anno 1600 ; hospes in Domo Partis Dei. Singulari pietate clarus et minime ignarus literarum, varios de oratione mentali, de vita contemplativa, de vitiis fugiendis, de acquirendis virtutibus et de regulari observantia composuit Tractatus, qui quidem miram spirant devotionem. Cum autem Deo esset acceptissimus, necesse fuit ut illum probaret tentatio,

in qua se fidelem exhibuit. Percussus etenim cæcitate, hoc incommodum sustinuit patientissime per novennium, factus in rerum Divinarum contemplatione perspicacior. Tandem cum eremum Partis Dei suis virtutibus illustrasset, exactis in Ordine 45 annis, spiritum Creatori suo reddidit, anno 1644, die Omnium Fidelium Defunctorum.

Ex Schedis D. Hugonis Buat.

III DIE NOVEMBRIS

HENRICUS GANSÆUS

PRIOR BUXIÆ

Professus Friburgi, doctrina ac pietate præstantissimus; qui cum Domos Friburgi, Ittingen ac Buxiæ maxima cum laude et dexteritate administrasset, abdicato Prioratu, plenus dierum et bonorum operum decessit, anno 1501, 3 Novembris.

Ex Chronico Buxiæ.

ANTONIUS DE ATRIO

PRIOR VALLIS S. PETRI

Vir ob exemplarem vitam spectatissimus; percussus epidimiæ morbo, die 3 Novembris, anno 1522, vitam hanc calamitosam cum immortali commutavit. Hic cum cerneret ex vi morbi diutius superstitem haud se futurum, convocatis residuis Fratribus (nam nonnullos pestis sustulerat), multa eis de observantia regulari et emendatione morum prolocutus, in nullo pavidus, ac si ad convivium invitatus fuisset lætus et alacer et quasi jam securus de gloria, Deum in flagellis benedicens, inter verba exhortationis et laudis naturæ debitum persolvit : coram cunctis adstantibus et mirantibus, Deoque gratias agentibus immensas, quod qui vitam in omni virtute consummatam dederat, etiam morte gloriosa servum suum cohonestasset. Ejus obitus in Necrologio Vallis S. Petri notatur his verbis : « Die 3 Novembris obiit D. Antonius de Atrio, qui bene vixit et beate obiit coram cunctis Fratribus. »

Ex Chronico Vallis Petri.

JUDOCUS HESSUS

PRIOR ERFORDIÆ

Alumnus Erfordiæ; primo Prior Domus in Astheim, e cujus regimine, anno 1534, assumptus ad Erfordiæ modera-

men, ibidem podagra exhaustus et laboribus diuturnis, fatis concessit, anno 1539, hac die. Vir laudatissimus ob omnigenam eruditionem, pietatem, insignem Religionis zelum et mores castigatissimos.

Ex Chronico Cartusiæ Erfordiensis.

MARIA DE LA CLOIE

SUBPRIORISSA GOSNAY

Hoc munus per viginti quinque annorum spatium obivit summo cum Sororum plausu. Anno ætatis suæ quinto ad hoc monasterium in canistro delata fuerat; ubi ad omnem instituta pietatem et lacte devotionis enutrita, crevit in virginem perfectissimam, cæteris Sororibus exemplo magis quam verbo iter vitæ sanctioris demonstrans. In extrema senectute, post persolutas Matutinarum preces, reliquam noctem in oratione transigebat. Cumque solita esset Sacristinam excitare ad pulsandum pro nocturnis Horis, aliquando de more consurgens ad illud officium eidem præstandum, pia Mater accensura candelam ad extremam dormitorii partem pergens, acerbissimo casu ad ima graduum delapsa, statim expiravit, die 3 Novembris, anno 1611. Reliquit apud omnes ingens sui desiderium : diu siquidem hanc eremum suis virtutibus illustraverat. Juxta tabulas domesticas, vixit in Ordine septuaginta annos; et in ipsa senectute nunquam in Dei famulatu senuit, quæ in dies renovabatur indefesso sui spiritus fervore.

Ex Schedis Mariæ Margaritæ de Brongniart.

PETRUS CASES

MONACHUS SCALÆ DEI

Oriundus ex urbe de Reus in diœcesi Tarraconensi; habitu monastico donatur anno 1596, die 13 Aprilis. Expleto tyrocinii curriculo, vota professionis emisit die 20 præfati mensis. Chori religionem summo studio prosequebatur. Quæ, cum Angelis cognata sit, qui in cœlestes Choros dissecti laudant Dominum universorum, tantopere ejus animum afficiebat, ut haud secus, quam si inter beatissimos Spiritus fuisset, in templo versaretur : læta semper facie atque in cœlum, quo spiritus tendebat, erecta, pro virili psallens cum ea animi exultatione. Summam venerationem et reverentiam erga res divinas præ se ferebat. Orationis velut panopliæ virtutum erat studiosissimus; cui, cum perpetua quædam sensuum mortificatio, morum honestas, mansuetudo, abstinentiarum Ordinis observantia, summusque paupertatis amor accederent, nihil quod ad perfecti Cartusiani constitutionem necessarium esset, in eo desiderari videbatur.

Insigni etiam præditus charitate, non quæ sua erant quærens, ex cellula sua emigravit in aliam, alteri monacho fa-

cturus satis cum Superioris licentia. Eodem ipso die, videlicet 3 Novembris, anno 1617, magna accidit eluvio, cujus aquæ monasterium superantes (effracto ab innatantibus arboribus ostio) Domum fere totam inundaverunt, non sine tum librorum tum supellectilis ingenti jactura. Versabatur per id temporis pius Pater in novo domicilio, quod decurrentibus aquis patebat. Quarum exuperantiam declinare non valens, ab ipsis suffocatus periit; dum cæteri monachi se se supra tectum cellarum recipientes, periculum evasere. Hujus venerabilis Religiosi corpus in ejus hortulo postea repertum est, ubi ad rei memoriam Crucis salutiferæ vexillum fuit erectum.

Annales manuscripti Scalæ Dei; Joseph de Valles in Libro fundationum Cartusiarum Hispaniæ.

ANTONIUS WIDMAN

MONACHUS BUXIÆ

Anno 1653, die 3 Novembris, octogenario major peregrinationem suam complet hospes in Domo Ittingen. Religiosissimus plane monachus, Sacrosanctam Virginem puerperam summa veneratione coluit et filiali affectu dilexit. Animarum in Purgatorio æstuantium refrigerio consuluit, ad ferventia pro eis impendenda suffragia earumdem fletibus passim excitatus. Revelationibus etiam claruit, quas inter suam prænovit migrationem e vivis.

Ex Thesauro Chronologico Caroli Jacobi Morotii.

IV DIE NOVEMBRIS

BERNARDUS FONTONA

MONACHUS VALLIS CHRISTI

Valentiæ natus anno 1390, in ipso ætatis suæ flore Lutetiam Parisiorum petiit litteris operam navaturus. Ibi peracto Theologiæ cursu, in hac alma Academia Doctoris gradum nanciscitur cum ingenti omnium plausu : Divinarum etenim rerum scientia præcellebat. Per id temporis invisebat Cartusianos Parisienses, erga quos ob eorum vitæ sanctimoniam jam erat propensissimus. In patriam revocatus a sua matre, cui cum debita pietatis persolvisset officia, sui tum juris factus compos, suis imposterum rebus consulere statuit. Decurrebat sub ea tempestate annum ætatis vigesimum septimum, cum superno illustratus lumine, inter Vallis Christi Novitios adscribi petiit a Joanne Sancio

tunc cœnobii Moderatore. Annuit Joannes Bernardi votis, perspecta illius morum maturitate et insigni modestia.

Porro cum Ordini nomen dedisset, viam Dei mandatorum currens, brevi comprehendit monasticæ perfectionis apicem. In eo siquidem relucebant rerum terrenarum contemptus, studium mortificationis et orationis, et singularis observantia jejuniorum. Excellebat imprimis humilitate haud vulgari, qua sibi ipsi vilescens se se vel minima hominum existimatione indignum reputabat. Cumque staret semper super sui custodiam, abstinebat a Confratrum suorum familiaritate; nihilque statis animi relaxamentis indulgens, degebat in cellula solitarius, dum alii diebus condictis spatiabantur. Quod si interdum ad aliquam remissionem animi sollicitaretur, respondebat cum Propheta : *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Adeo ut continuo lectionis et meditationis studio perfectissimum Anachoretam et solitarium numeris omnibus absolutum repræsentaret.

Bernardi virtus cum summa eruditione conjuncta philtrum atque illex erat ad Cartusiam alliciens viros regni spectatiores, qui in rebus dubiis et in salutis negotio ad illum tanquam ad oraculum confluebant. Omnibus pius Pater faciebat satis magna cum charitate, quamvis non sine detrimento suæ consolationis internæ : molestus etenim ei erat tot sæcularium concursus. Quorum declinaturus frequentiam, apud Superiores egit instanter ut liceret sibi secedere in Domum remotiorem, ubi procul a patria in silentio salutare Dei præstolaretur; nam hunc congressum non suæ virtutis et eruditionis famæ, sed parentum et amicorum confinio adscribebat. Verum hunc errorem postea deposuit sospitans in Cartusia Scalæ Dei. Qui enim Bernardum in monasterio Vallis Christi degentem adierant, convenerunt etiam apud Patres Scalæ Dei demorantem : quibus se se viri celebriores civitatum Illerdæ et Tarraconæ adjungentes doctrinæ et sanctitatis illius opinione permoti, de rebus gravissimis illum consulebant, ejusque sententiam, ut qua nihil esset aptius, maxime probabant. Sic ibi a suo fraudatus desiderio, cum suæ solitudini nimis obstreperent sæculares, ad Domum suæ professionis remeavit, exceptus cum ingenti monachorum gaudio.

Maria Aragonum regina, conjux Alphonsi V (regni Moderatrix ob viri sui Neapolis expugnatoris absentiam), cum exploratas haberet Bernardi eximias animi dotes, ad eum consultandi gratia sæpius accedebat. Cumque tanti viri opera et consilio indigeret frequentius, scripsit Summo Pontifici et Ordinis nostri generali Præposito, ut sibi liceret Bernardum adhibere in Confessarium simul et consiliarium. Annuit Reginæ postulatis Romanus Pontifex; cujus Apostolicis Litteris R. Pater Cartusiæ Majoris Prior adjecit Diploma, quo in virtute sanctæ obedientiæ Bernardo

præcipiebat, quantumvis reluctaretur, licetque Statuta vetarent excipere mulierum Confessiones, adire nihilominus nulla interposita mora Reginam, aures præbere confitenti, simul et ei consulere et quacumque posset ratione juvare.

Non sine doloris sensu tam acerbum vir Dei mandatum recipiens, amicam dimisit solitudinem, ex littore pacatissimo se projectum cernens in procellosum pelagus. Verum coactus obedientiæ jugo collum submittere, venit ex eremo ad aulæ tumultum, e cellula ad palatium tanto cum hujusmodi mansionis fastidio et cordis amaritudine, quanto magis suo adventu Reginam et Proceres lætificabat et solabatur. Per octennium vixit, imo quotidie moriebatur, quasi piscis extra aquam eductus, languebat in Regiis ædibus, quæ ipsi carceres erant, ad suam anhelans semper solitudinem, quam suspiciebat tanquam paradisum voluptatis. Tanta autem vehementia cupiebat ex hac, ut aiebat, captivitate asseri in filiorum Dei libertatem, ut esset infirmiori valetudine.

Hoc Regina perspiciens, religione tenebatur e cellula sua extraxisse Bernardum; qui Mariæ scrupulum adaugens, identidem ei dicebat cœlum aulæ esse insalubre Cartusianis, seque semper male habiturum, quamdiu e claustro suo eliminatus, invitus detineretur in Regiis. Quamvis autem Regina multum egeret venerandi Patris consilio et prudentia, nefas existimans hominem aulæ strepitus pertæsum diutius in suo palatio tenere, tandem desiderio cordis ejus acquiescens, ipsum muneribus in usum ecclesiæ adauctum dimisit. Secessit Bernardus effusus in Dei laudes, milliesque Reginæ regratiatus quod suis votis annuisset.

Plane revixit, ubi primum rediit ad tutissimam solitudinis stationem. Hic vidisses Dei servum in alterum revolutum hominem, qui nihil hactenus se fecisse existimans, se tanquam omnium Domus novissimum credebat; grandemque adhuc sibi restare viam ad monasticam perfectionem arbitratus, novum vitæ genus adorsus est, spiritualibus exercitiis deditior. Licet autem silentii et solitudinis esset appetentissimus, cupidiorque intra suæ cellulæ amicos recessus jugiter latitandi, quam ut se in cujusquam colloquium daret; tamen facere non poterat, quin interdum Reginam et Prælatos regnique Proceres exciperet. Sæpe etiam Reginæ litteris cohonestabatur, cui utilia et salutaria consilia impertiebat.

Pro his serenissima mulier aliquid rependere Bernardo desiderans, Episcopatum Segobricensem, per id temporis possessore vacuum, a Rege cum bona Summi Pontificis venia impetravit, ad hanc dignitatem evectura servum Dei, quem infulis longe amplioribus judicabat dignissimum. Aulicus quidam rem scripsit Bernardo, tam fausto, ut opinabatur, nuncio captaturus novi Præsulis benevolentiam, eidemque gratulaturus. Verum ad hæc expavescens

vir sæculo plane mortuus, non honorem sed dignitatis onus attendens, tanta verborum efficacia per epistolam ab hoc consilio Reginam deterruit, suam causatus imperitiam et alia hujusmodi, ut Maria virum propositi tenacem animadvertens, Diploma Pontificium remiserit Regi, ut alium in illius locum sufficeret.

Nec mirum si pius Pater, qui Episcopatum declinaverat, dignitates etiam Ordinis respuerit; nam a suis electus in Priorem, maluit ex innata animi humilitate subesse aliis, quam præesse. Tantis igitur virtutibus dives, vitæ cursum absolvit anno 1460, ætatis 70, Religionis vero 40.

Ex Annalibus Vallis Christi et Chronico D. Joachim Alfaura Exprioris Vallis Christi.

FRANCISCUS VALLEJO

VICARIUS DE PAULARI

Vir castigatissimæ conversationis, et eximiæ virtutis; ad beatam immortalitatem emigrat anno 1540, die 4 Novembris.

Ex Manuscriptis.

WILHELMUS HORNE

CONVERSUS LONDONIARUM

Anno 1537 ad squalidum et fœtidum carcerem cum aliis monachis raptus, postquam per quadriennium ibidem mansisset sociis fœtore confectis superstes, tandem ex tali tantaque miseria educitur, anno 1541, 4 Novembris, consimili morte, et eodem suppliciorum genere, quo V. Joannes Houghton Prior et socii ejus extincti fuerant. Nam crudeliter eviseratus, omnibusque dilaceratus membris, dirissimeque et præ aliis diutissime divexatus et excarnificatus, martyrium ob sanctæ Sedis Apostolicæ legitimæ potestatis confessionem consummavit.

Ex Historia Martyrum Angliæ, cap. 14.

PAULINUS BELOTTUS

MONACHUS FLORENTIÆ

Patria Florentinus; anno 1615, die 4 Novembris, omni virtute clarus, vita donatur meliori.

Ex Kalendario Domus Florentiæ.

V DIE NOVEMBRIS

JOANNES FERRERII

MONACHUS VALLIS CHRISTI

Unicus R. Patris Bonifacii summi Cartusianorum Præfecti filius, sanctique Vincentii Ferrerii nepos, quem pater sæculo valedicens sub leviri cura infantulum dimiserat; nunc pubescens juvenis divesque, parentis exemplo motus, spretis divitiis et honoribus, militaturus Domino sub labaro Cartusiensium accessit ad Domum Vallis Christi. A sene Bonifacio læte admodum et obviis ulnis excipitur, et (quod raro factum legimus) illius admotis manibus (quasi sacrificio novi Isaac) Religionis nostræ habitum induit in Vigilia S. Joannis Baptistæ, anno Domini 1412. Quo facto, maturus et sane venerabilis senex, sumpto themate ex illo versu secundi Psalmi *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, graviter admodum et erudite hortatur natum suum ad perseverantiam in proposito, ad jugem charitatem, ad sui vilipendium et despicientiam, ad vivum denique annosi patris exemplum. Quod maxime Joannes imitatus, sufficiens avitæ sanctitatis et indolis dedit specimen in Religione; ubi, cum exemplariter conversatus fuisset, e vivis excessit. Ejus obitus signatur in Charta Capituli generalis anni 1451. Cujus perhonorifica fit mentio in Manuscripto Vallis Christi et in Vita Bonifacii Ferrer.

NICOLAUS ARNAW

MONACHUS ERFORDIÆ

Vir eximiæ devotionis et haud vulgaris pietatis; qui propter verba labiorum Domini duras custodiens vias, ita sibi rigidus erat et severus, ut necessaria sibi denegans indumenta, ex immoderata austeritate et ex frigore nimio multas infirmitates contraxerit. Quas cum patientissime sustinuisset, animam efflavit anno 1486, die 5 Novembris.

Ex Chronico Cartusiæ Erfordiensis.

SANCIUS MARTINI

PROCURATOR SCALÆ DEI

Patria Valentinus, ex oppido de Nules; anno 1446, die 26 Julii, habitum Religionis suscipiens, evoluto tyrocinii sui tempore vota monastica nuncupavit, in

ipsa S. Michaelis solemnitate. Cui cum postea Procuratoris officium demandatum fuisset, vix unum annum in hoc munere exegerat, cum redditus solitudinis quieti, devotionis addictus exercitiis et se se custodiens immaculatum, plenus bonorum operum ad metam feliciter pervenit. Ejus obitus signatur in Charta Capituli generalis anni 1495.

Ex Annalibus Scalæ Dei et Libro fundationum Joseph de Valles.

MARIA VAN RYE

PRIORISSA BRUGIS

Ante Religionis ingressum in conjugem promissa fuerat cuidam viro, qui cum fidem mutasset, illa fideliorem sponsum elegit. Itaque sæculi rebus renuncians, totam se mancipavit obsequio Sponsi Cœlestis in hoc monasterio; ubi tantis effulsit virtutibus, ut ad Priorissæ munus assumpta fuerit, circa annum 1569. Hanc dignitatem exornavit admirabili prudentia, insigni spiritus fervore, zelo disciplinæ regularis eximiaque in omnes charitate. Non modicæ patientiæ specimen edidit, dum sacrarum virginum agmen e sedibus ab Hæreticis pulsum deduxit in civitatem Brugensem: quod fortis mulier inter impiorum hominum (qui postmodum etiam urbe potiti sunt) minas et blanditias in sancto Instituti Cartusiensis proposito conservavit illibatum.

Ad cumulum patientiæ misit illi Deus morborum examina, quibus affixa lectulo, Prioratu se abdicavit. Huic aliquando graviter infirmanti adfuit Christus: felicem ex hac valle miseriarum exitum, vel vitam per annum in variis languoribus protractam proponens, jubet, optionem faciat. Illa non nescia Numini nihil acceptius esse sacrificio propriæ voluntatis, rem totam Dei beneplacito commisit. Unde magis animata decurrens ipsum annum in palæstra patientiæ, tandem attrita corporis doloribus, morbis, vigiliis, jejuniis carnisque macerationibus, evolavit ad nuptias Agni Cœlestis, anno 1589, die 5 Novembris, relicta sanctitatis opinione. Annos fere viginti præfuerat huic parthenio.

Ex Catalogo Priorissarum.

VI DIE NOVEMBRIS

DOMINICUS CENTERO

DONATUS PORTÆ CŒLI

De quo Joannes Baptista Civera in suo Chronico Portæ Cœli, cap. 14, agit his verbis :

« In oppido Alpuente Valentini regni ortus est Dominicus Centero, qui primum pro Præbendario, et deinde pro Donato receptus fuit in præsenti Domo, anno 1459 : vir certe devotus et in Christi amore ferventissimus. Nam tam vehementer et stabili mente adhærebat Deo, quod multoties ab aliis interrogatus, propriæ responsionis sensum non advertens respondebat. Sed et aliquando a Patre Priore quidpiam facere jussus, respondebat statim, « Placet »; sed quo vel ad quid, nesciens ibat, quousque ad se rediens, ad Priorem revertebatur sciscitaturus quid ei præcepisset. Tanto etiam aliquoties fervore intus ardebat, quod eum ferre non valens, alta voce cogebatur respirare. Extra Domum ambulans semper fere Hymnum *Ave Maris Stella* vel *Salve Regina* aut Dominicam Orationem alta voce cantabat.

« Cumque postrema laboraret ægritudine, et in hospitiolo ante portam S. Mariæ moraretur, Sanctissimum quod recepturus erat Sacramentum, eodem instanti quo sacerdos altaris gradum cum Venerabilissimo Sacramento descendit, ipse jam Dominicus venire cognovit, et affectuosis vocibus clamare cœpit : « Sustollite me et erigite, Fratres, quia Dominus venit, Dominus venit. » Sensit itaque spiritu quod propter nimiam distantiam circumstantibus erat impossibile et auribus carnis sentire. Sicque obiit in pace, anno 1477. »

ANTONIUS DE VILLA CORTA

PRIOR DE CAÇALLA

Professus de Paulari, nepos Cardinalis Javera archiepiscopi Toletani; spreto generis splendore, vixit cum admirabili sui despicientia et contemptu, multum orationi deditus. Ad beatam migravit immortalitatem anno 1557, die 6 Novembris, fatis functus in Cartusia de Covis.

Ex Manuscriptis.

MATTHÆUS LE CENDRIER

MONACHUS PARCI

Antiquior hujus eremi; qui diu subsacristam egit, ob pacificos mores et religiosam conversationem laudatissimus. Ex hac vita ad meliorem migrat anno 1584, die 6 Novembris.

Ex Kalendario hujus Domus.

ARTAUDA DE GRINDE

PRIORISSA BERTAUDI

Licet nobili genere orta, præ humili tamen sui dejectione, non Nobilis, non Priorissa, non tot virtutibus prædita sibi videbatur, sed monasterii sui peripsema, cæterarum ancilla et miseriis plena. Quæ tanto deprecandi Dominum nocte ac die in ecclesia desiderio tenebatur, et tantis corpus suum macerabat abstinentiis, ut, per singula fere momenta pavimento sacræ ædis adhærens (cum inde vix discederet), unquam solo sorbitiunculæ haustu ab una ex Sororibus sustentaretur ibidem : mirantibus aliis qui corpus humanum tot spiritualibus attenuatum in pedes consistere posset. Nec sane immerito, qui eam viderunt et agnovere, asserunt meritis ejus ab Hæreticorum feritate servatam Domum illam : quando quidem in illa regione nullum neque templum neque monasterium remansit incolume ab Harpiis illis hæreticis, qui ubique omne Deo sacratum impiis manibus vel exciderunt, vel profanarunt. Demum cum venerabilis hæc Mater filias suas, prout sinebant temporum angustiæ, in sancta Statutorum observantia continuisset, ad beatam immortalitatem migravit, die 6 Novembris, prout Ganneronius noster refert in suo Martyrologio. Ejus obitus signatur in Charta Capituli generalis anni 1585.

SUSANNA DOGNIEZ

MONIALIS GOSNAY

Calcatis sæculi delitiis, humilitatem, modestiam, mansuetudinem, honoris contemptum omnesque religiosas virtutes cum natalium splendore conjunxit. Erat enim e nobilioribus Belgii familiis progenita. Hæc cum singulariter divam Catharinam Senensem coleret, eamdem omnibus instillabat devotionem : nihil sibi unquam denegatum affirmans, quoties ejus opem imploraverat. Perillustris et clarissimus vir Balthazar Zuninga, Regis Hispaniarum orator ad Regem Christianissimum delegatus pro matrimonio Annæ Austriacæ Hispaniarum Infantissæ, per Flandriam iter faciens nupsit venerabilis Matris Susannæ nepti; qui cum ad eam visitationis gratia venisset, tanti modestiam illius fecit, ut Susannam existimaret alteram sui sæculi Cathari-

nam Senensem. Multis hoc parthenium donis parentes ejus locupletaverunt, quæ sunt in hujus ecclesiæ decorem et ornamentum. Cum autem Susanna 52 annos in Religione transegisset, anno 1626, die 6 Novembris, e vivis excessit, ætatis anno 64.

Ex Manuscriptis.

VII DIE NOVEMBRIS

JOANNES FERDINANDUS

PRIOR DE COVIS

Professus primo Scalæ Dei anno 1385 ; inter primos incolas et professos Vallis Christi adscriptus, postea Lupo Martinez Protopriori de Paulari, anno 1396, successit. Vir fuit insignis virtutis ; silentii solitudinisque adeo studiosus, ut continua instantissimaque prece absolutionem a suo Prioris officio, regressumque in cellulam Vallis Christi a Comitiis generalibus anni 1401 obtinuerit. Dum autem Priorem ageret in Domo de Paulari, anno 1400, delegatus fuerat a R. P. Guillelmo Raynaldi ad tractandum negotium fundationis Domus de Covis. Ubi etiam postea, anno 1407, præfectus, cum per decennium sapientissime simul et cum magna morum probitate injuncto munere perfunctus fuisset, obdormivit in Domino, die 7 Novembris, anno 1417.

Ex Catalogo Priorum de Paulari et de Covis, et antiquis Monumentis Vallis Christi.

PETRUS DE JULIACO

MONACHUS COLONIÆ

Ob singularem doctrinam in sæculo Magister non incelebris; factus in Cartusia Coloniensi humilis Christi discipulus, cum ibidem per quinquaginta quinque annos se se exemplar bonorum operum præbuisset, meritis dives, pie obiit, anno 1446, die 7 Novembris.

Ex Chronico Cartusiæ Coloniensis.

JOANNA DU BOIS

PRIORISSA GOSNAY

Dicta etiam de Boyeffle; cujus pater, nobilis Dominus du Bois, toparcha erat de Boyeffle. Anno 1492 in Priorissam electa, hoc cœnobium gubernavit summa cum prudentia et eximia charitate erga infirmas, quibus Valetudinarium construxit. Ad laborum messem evocatur anno 1516, die 7 Novembris.

Ex Catalogo Priorissarum hujus parthenii.

GONSALVUS HERNANDEZ

CONVERSUS PORTÆ CŒLI

Vita ejus extat in Chronico Joannis Baptistæ Civera, cap. *33*, his verbis :

Natus est hic famulus Dei in Cantillanæ oppido, juxta Hispalim ex humilibus sed honestis parentibus. Qui dum adolescentulus esset, ministravit in Cartusia de Covis ejusdem Hispalensis civitatis, et postea inservivit in Cartusia de Xeritio. Anno autem 1575 ad lucrandas Jubilæi Indulgentias Romam petiit. Deinde in Hispaniam reversus, dum Valentiæ esset, summopere desideravit videre Domum hanc.

Ad nostri ergo foras monasterii pervenit, proceræ staturæ homo, venustæ faciei, et satis honeste vestitus; quæsivit a Religioso janitore, utrum esset aliquod ministerium in quo se occupare posset in Domo. Ille vero deduxit eum ad Procuratorem, qui negavit aliquid esse in cœnobio, ubi ministrare posset. Non quidem, quia non indigeret ejus industria, sed quia virum tam honeste vestitum ad illa opera, quibus tunc indigebat, minime idoneum judicabat. Erant enim ea, quæ desiderabantur, coquinæ et famulis mercenariis præsto esse. Sed quoniam ille, mente intenta in Deum, ad hoc venerat, ut Domino in quibuslibet humilibus obsequiis famulari posset, haud vilitate et abjectione ministerii deterritus, respondit se se libenti animo id facturum, et quidem illud obsequium majus esse suis meritis.

Incœpit igitur alacri animo suo officio fungi. Et revera si passionum suarum mortificationem et sui ipsius contemptum quærebat, id totum abunde reperit. Quibusdam enim rusticis et indisciplinatis famulis suberat, qui sive propter potus et cibi parcitatem, sive per alia patientiæ exercitia quotidiana, amplam illi merendi materiam præbebant. Duos annos in hoc ministerio transegit, quibus ejus devotio et humilitas satis superque probata fuit.

Sed non minora patientiæ suæ indicia dedit serviendo Fratri Damiano Rodriguez, postquam ejus curæ fuit commissus. Paralysi enim laborabat hic Conversus; et omnibus membris captus, nec manibus nec pedibus uti, nec loco se se movere poterat. Communibus necessitatibus nisi alterius adjutorio satisfacere non poterat, nec cibum potumve sumere nisi alterius manu. Inter alios ergo qui hujus ægroti ministrationi ex fervore charitatis se se obtulerunt, hic Gonsalvus Hernandez unus fuit; qui tam sedulo et absque aliqua nausea ei inserviebat, ut in eodem poculo biberet et in eadem lance (Christum Jesum in ægroto sibi proponens) victitaret. Et in hoc famulatu octo annis perseveravit, sex quidem adhuc sæcularis, duobus vero jam Religiosus effectus. Jucundum sane spectaculum erat conspicere diebus festis, quomodo suis illum humeris impositum ad ecclesiam,

ut divinis interesset Officiis, deferebat, peractoque Sacrificio in cellam deportabat : velut alter sanctus monachus Martyrius, de quo meminit S. Gregorius, homil. 39 in Evangelia, qui inventum semel in itinere Christum in specie leprosi humeris suis imposuit, longoque tractu deduxit. Noster autem Hernandez non semel aut bis, sed millies pauperem hunc infirmum amore Dei super humeros sustulit et deduxit.

His experimentis et probationibus hic servus Dei abunde satis exercitatus, facile ad habitum Religionis admissus est. Perspicue enim colligere poterant Patres virum illum perfectum aliquando futurum. Anno itaque 1574 suscepit habitum. Et quidem tam in juvenili sua ætate quam etiam in senectute, prompte et hilariter exercuit quascumque Obedientias sibi a Præsidente injunctas, nunquam petens ab una in aliam mutari, donec Prior aliter disponeret, totum se ipsius beneplacito et voluntati relinquens : quamvis, cum jam senex esset, valde desideraret Patri Sacristæ inservire, ut diebus ac noctibus coram SS. Sacramento assistere posset. Quia etsi ubique præsentem haberet Deum, usitatum tamen illi erat, ubi primum aliis rebus non necessariis se subducere poterat, properare statim ad ecclesiam ante SS. Sacramentum, ut effundere posset cor suum ante conspectum Domini Dei sui. Quærebatur multoties per Domum a famulis et Religiosis; et cum non inveniretur, dicere solebant : « Ut quid eum huc et illuc perquiritis? Ite in ecclesiam, nam ibi ad pedes alicujus altaris latitantem reperietis. »

Quotidie quotquot Missas poterat, audiebat; et quia interim desiderabatur in sua Obedientia, quandoque præcipiebatur ei, ut uni tantummodo interesset. Et licet tunc obediret, post paucos tamen dies, ad pristinum morem revertebatur. Amabat enim intentissime summum illud Bonum, quod sub Sacramento Altaris absconditur : et ideo nunquam satiari poterat jucundissimo Christi aspectu. Si dum pranderet, aliquis sacerdos vocaret eum ut sibi in Missa ministraret, dimisso prandio, festinus accurrebat. Habebat licentiam communicandi ter in hebdomada, Dominica scilicet die et feriis 4 et 6. Et dum esset Domus ostiarius, quoties propter hospites advenientes oportebat eum ire ad cellam Prioris ut adventum eorum nunciaret, non pertransibat ecclesiam insalutato SS. Sacramento; et si fores essent clausæ, ad januam ipsam flectebat genua et paulisper orabat. Octavæ Pentecostes et Corporis Christi, etsi anno integro durassent, nunquam tamen longæ illi videbantur. Mirum enim quantum in illis feriis, gratiis et donis spiritualibus animus ejus augebatur.

Ubicumque colloquendi se se offerebat occasio, protinus agebat de illa Terra viventium, ubi facie ad faciem Deum videbimus. Nunquam fatiscebat loquens de Deo ac Sanctis ejus deque futuræ felicitatis bonis, quia *Qui ex Deo*

est, verba Dei audit, et *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Nam ex abundantia cordis os loquitur. Solebat in montes exire, et Canticum *Te Deum laudamus* materna lingua devote cantabat cum magna audientium ædificatione.

Totum suum studium, desiderium affectusque omnes in uno solius Dei amore et dilectione collocarat. Quo factum est, ut fere semper quasi extra se positus cogitabundus incederet : nunc oculos et manus in cœlos attollens, Dei magnalia contemplabatur, nunc terram despiciens, vilitatem rerum mundanarum contemnebat. Quibus meditationibus mens ejus ita occupabatur, ut (quemadmodum ipsemet confessus est) quandoque per claustrum incedens in parietes impingeret, abstractus, nesciens quo pergeret. Dum Matutinis laudibus intererat, copiosum imbrem lachrymarum fundebat ex abundantia Divinæ communicationis : quæ tanta erat, ut frequenter cogeretur extra chorum exire ad refocillandum animum, et ne a circumstantibus conspici posset.

Orationem mentalem nunquam intermittebat, suspensum semper in Deum animum gerens ; et post preces prolixas confessa membra super nudas tabulas in hyeme pariter et in æstate, aliquid somno indulgens, deponebat. Sacerdotes summa reverentia summoque honore prosequebatur, adeo ut ubicumque eis occurrisset, sistebat gradum, et profunde caput inclinans, reverenter stabat donec transissent. Et dum esset Domus janitor, advenientium sacerdotum manus non sine spectantium ædificatione, positis in terram genibus, deosculabatur.

Contigit autem, ut superveniret quidam homo Valentinus nomine Joannes Plaça; quem cum claudicantem Frater Gonsalvus Hernandez vidisset, interrogavit causam infirmitatis illius. Ille vero ostendit tibias ulceribus plenas. Quas cum misericordiæ et compassionis affectu motus Gonsalvus benedixisset, aliquasque preces recitasset, eadem die infirmus sanitatem recepit : sicut idem sæcularis post obitum nostri Gonsalvi narrare solebat.

Tandem cum 36 annos in Ordine cum ingenti religiosæ sanctæque conversationis exemplo peregisset, tantaque semper humilitate excelluisset, ut inter Religiosos habitare se se indignissimum existimavisset, meritis dives ac bonis operibus plenus, ad cœlestes sedes conscendit anno 1610, ætatis 72.

VIII DIE NOVEMBRIS

S. GODEFRIDUS

EPISCOPUS AMBIANENSIS

In lucem editus non sine divinis auspiciis apud Suessionenses, patre Frodone, matre Elizabeth. Quinquennis Godefrido, abbati Sancti Quintini ad Peronæ mœnia, instituendus in omni religione et liberali disciplina traditus, brevi fuit miris ornatus virtutibus et divinarum rerum egregia cognitione præstans. Cum, ætate juvenis, honorem senectutis jam sibi peperisset, raptus ad Novigenti monasterii gubernationem, desolatam Domum tam muris quam moribus instauravit. Nec ædibus tantum reparandis, instituendis monachis, augendo cœtui, animum adjecit; juvandis etiam pauperibus, fovendisque ægris intentus, habitacula iis extruxit, censuque munivit : ibi singulorum vestes pedesque abluens, ulcera curans, cibos quibusque præbens, et si quæ corpora erant defunctorum officiosissime mandans sepulturæ.

His dum incumbit pietatis exercitiis Abbas optimus, Gervinus episcopus Ambianensis, vir modicæ prudentiæ, quibusdam vexatus adversis, suis viribus diffidens sedem suam plane deseruit. At cum nobilis illa Ecclesia sine magno animarum detrimento diu vacare non posset, post jejunia precesque per totam diœcesim habitas, tandem Godefridus, nihil minus quam Episcopatum appetens, communi omnium consensu est electus, et in Trecensi Concilio sane celeberrimo confirmatus. Et ille quidem fugam meditabatur; sed Richardi Cardinalis, qui Apostolicæ Sedis Legatus Concilio præsidebat, studio interceptus ac industria, et infula Pontificali a Manasse metropolita Remensi solemniter decoratus est.

Ea igitur auctus dignitate et honore, multa cum humilitate ingressus est urbem sibi commissam; imprimisque suprema ope implorata, opus Dei miro cum ardore pietatis inchoavit, sobrietate et continentia, malorum fuga, bonorum cultu, conspicuus spiritu devotionis. Superbis vir Dei rigidus erat, benignus humilibus, fortis in adversis, sobrius in prosperis, temperatus in omnibus, in quavis officii parte strenuus et pervigil : hoc jugiter satagens, ut Deo in omnibus placeret, gregique suo quicquid ad salutem conferre posset, quæreret ac impertiretur. Quibus nitens affectibus sanctis, dici reipsa nequit, quanta pauperibus solatia, infirmis re-

media, ignaris documenta, exempla denique omnibus præstiterit. Qui tamen impuros Clericos dum a chori sacris liminibus arcet, multis ab his lacessitus conviciis, etiam et veneno appetitus est : quod sibi oblatum divinitus agnovit. Passus est etiam a Sancti Valerici monachis immorigeris plerasque contumelias. Quorum falsa privilegia obtendentium, ut detegeret vafritiam et proterviam retunderet, Romam profectus, Paschali Pontifici eorum perditos mores et contumaciam renunciavit; a quo acceptis sacris apicibus, reversus est munitus authoritate, quâ eos sibi ut Patri ac Pastori legitimo obedire cogeret, coerceretque intra Canonicæ disciplinæ terminos.

Pertæsus tamen jurgiorum et quietioris vitæ appetens, se contulit ad Majoris Cartusiæ solitudinem, atque in optatum diu locum, cœlestia tantum (cum terrena prorsus fastidiret) contemplaturus, abdidit. Rem autem Nicolaus monachus Suessionensis, author Vitæ S. Godefridi, narrat apud Surium his verbis :

« Perpendens autem vir prudens, quam molestum atque adeo intolerabile sit tot sæcularium tumultuum perferre tempestates, ubi comperit præclaram servorum Dei famam, qui in Cartusia non longe a Gratianopoli degebant, relictis omnibus, illo igne quem Dominus Jesus misit in terram suaviter ardens, eo celeriter profectus est, ut quietius uni Deo vacaret. Præerat tum Cartusiæ Guigo, vir egregie doctus et vitæ integritate conspicuus, omnium ore prædicandus. Is ut vidit vultus angelici et simplicis naturæ virum, gratias immensas agit Christo, statimque illum sanctissimo Fratrum collegio adjunxisset, ni veritus esset Romanum Pontificem, Remorum Archiepiscopum, aliosque Galliarum Præsules minime passuros ut illic permaneret. Interim tamen cellulam ei attribuit. Separatim enim degunt singuli in domiciliis, quæ cellas vocant; ad ecclesiam certis horis pariter conveniunt, inde taciti redeunt ad cellas suas; ad nudam carnem asperis induuntur ciliciis; quarta et sexta feriis pane et aqua victitant; divinæ contemplationi adeo adhærent, ut jure possent dicere cum Apostolo, *Nostra autem conversatio in Cœlis est,* illorumque precibus et Sanctorum meritis mundus constare videatur. Sed de eorum excellenti meritoque ab omnibus prædicanda conversatione, aliis plura dicenda relinquimus, atque ad institutum redimus.

« Servus Christi Godefridus hac re summopere delectatus, quod imperturbata animi puritate et tranquillitate frueretur, licet etiam in illa populi frequentia et importunitate animo ad cœlestia contemplanda se erexisset, postquam optatæ solitudinis locum divinitus se adeptum vidit, jejuniis, precibus, lachrymis, sacris meditationibus, divinis lectionibus adeo fervens incumbebat, ut quamvis a primis ætatis initiis, ut dixi-

mus, in his assiduus fuerit, jam tamen primum Deo se servire cœpisse mirifice gratularetur. Sordebant terrena viro, subit æthera votis, cum Propheta plorat nimis prolongari incolatum suum.

« Cum autem quandoque venerandus Pater Guigo cellulas monachorum pia sollicitudine inviseret, etiam ad beatum Godefridum pervenit, invenitque eum nescio quæ divina scripta legentem et uberes fundentem lachrymas, seque hostiam vivam Christo Salvatori mira suavitate in cordis ara immolantem. Valde autem ejus amore incensus, et nosse cupiens utrum posset æquo animo ferre injurias, ita ait ad eum : « Solebasne, Episcope, pro sacris Ordinibus aurum et argentum et id genus munuscula recipere? » Multi enim per id tempus hoc vitio, proh dolor! infecti erant, ut vix cuiquam sine pretio sacros Ordines conferrent. Respondit cum multo gemitu Episcopus : « Equidem, Pater beatissime, non nummos expetebam ab aliquo, sed vel invitus sæpe humani favoris aura inani inficiebar. » Id audiens Guigo, miratur eum minime se palpare, sed humiliter accusare etiam extrema quæque.

« Interim (anno videlicet 1114) Conon Cardinalis, Pontificis Maximi Legatus, et Radulphus Remorum archiepiscopus, apud Bellovacum Synodum celebrant. Ad eam accedunt Ambianensium Legati, conqueruntur se destitutos optimo Pastore suo. Ad quos Remensis Archiepiscopus : « Qua fronte, inquit, hæc apud nos proponere ausi estis, qui virum pudicum, orthodoxum, virtutibus cunctis ornatum, vestra improbitate a sua sede expulistis? Quem illi parem, nedum sanctiorem, unquam habituri estis Sacerdotem? O vos miseros, qui tanto Pastore vel ad momentum caruistis! Num vos illum turpia lucra sectantem, libidini vacantem, ecclesiastica Beneficia venundantem unquam deprehendistis? » Illis respondentibus ab his illum plane immunem esse, subjecit Archiepiscopus : « Ite ergo et tam peritum ovilis Dominici custodem perquirite, et inventum vobiscum reducite. Testor enim Dominum Jesum, donec ullus erit in Godefrido vitalis spiritus, nullum alium vos Episcopum habituros. »

« Dum hæc geruntur, en adsunt nuncii, apportantes litteras beati Godefridi, quibus ille significat se Episcopatu abdicasse : hortatur, ut alium Patrem sibi quærant; se nunquam rediturum affirmat; ostendit se ineptum et inidoneum qui Episcopi munere fungatur : se verbis quidem docuisse subditos suos, sed mala vita corrupisse et perdidisse. Quæ cum legerentur, pene omnes lachrymati sunt, admirantes tanti viri humilitatem, qui cum esset meritis summus, infra omnes infimos se abjicere videretur. Sane cum interdum de his quidam Reverendissimi Patres, qui tum præsentes adfuere, inter se colloquuntur, video eos lachrymas tenere non posse : adeo illorum animis affixa est

epistola illa, qua in tantum se vir tantus extenuavit.

« Tandem statuunt Patres apud Suessiones ad Domini Epiphaniam convenire, et quid faciendum sit, deliberare. Ubi eo ventum est, jubente Ludovico Francorum rege, accitus ab eis est Henricus abbas S. Quintini, in quo monasterio vir Dei Godefridus ab ipsis pene incunabulis sobrie et pie educatus, ad summum virtutum apicem pertigerat. Vocatus est etiam Hubertus, magnæ authoritatis vir, et celeberrimi monasterii, quod Cluniacum vocant, monachus. Hos duos cum suis litteris mittunt ad Fratres Cartusiæ; orant, imo imperant, ne Godefridum Ambianorum præsulem apud se diutius morari sinant, sed ad Sedem suam ocyus redire compellant. Addunt mandata ad ipsum Godefridum, ut celerrime ad desolatum gregem suum se recipiat; ostendunt non debuisse illum semel susceptam Ecclesiam tam facile deserere : plus eum apud Dominum demereri, dum sinit per abrupta vitiorum præcipites ire oves suas, quam possit promereri, dum privatim in quantumvis remota solitudine vivit etiam severissime. Tum quoque docent sacros vetare Canones, ne quis Episcopo viventi subrogetur, nisi vel infirmitate cogente id ipse petat, vel ob crimen deponendus sit.

« Hæc ubi Godefridus accepit, animo valde consternatus, ad pedes monachorum se prostravit, cum multis lachrymis orans, ne sinerent ipsum a se avelli. Flent pariter etiam illi; attamen multis eum consolantur modis. Et quia Regis et Episcoporum authoritati resistere non poterant, in pace illum a se dimittunt.

« Obiter hic annotare visum est, quando in mentem venit, beati hujus viri cingulum et pectinem, cum apud Suessiones in ecclesia SS. Crispini et Crispiniani defunctus esset, Odonem ejus loci abbatem sibi reservasse. Is Odo postea coactus suscipere regendum monasterium S. Remigii, quod apud Remos est, ad Magnam Cartusiam certas ob causas se contulit, et illic aliquot dies apud Fratres egit sanctissime. Ad eum quandoque veniens memoratus Guigo Cartusiæ Prior, inter alia non sine gemitu mentionem faciebat Godefridi Episcopi, et quam religiose inter ipsos vixisset; summopere autem admirari se dicebat tantam animi ejus compunctionem, ut pene jugiter ab ejus oculis lachrymæ manarent : quod quidem cœlestis gratiæ munus nemo negare ausus erit, puritate et simplicitate cordis eum impetrasse. Respondebat ad hæc Odo, se hæc reipsa comperisse : quippe qui summa ejus familiaritate fruitus esset, et defuncti corpusculum in ecclesia SS. Crispini et Crispiniani (qui in eadem ecclesia conditi sunt) suis manibus sepulturæ mandasset, atque ejus cingulum et pectinem, tum pro sua erga illum devotione, tum sui tuendi causa semper apud se ab eo tempore gestasset. Quod ut audivit Guigo ille

venerabilis, dici non potest quanto affectu ea osculatus sit, Christum testificans revera felices eos esse, qui non modo cineribus ejus, sed vel fimbriis vestimenti ejus potiri mererentur. Talis fuit piorum de Godefrido sententia et existimatio. Equidem hæc ab ipsius V. P. Odonis ore accepi, quæ etsi præpropere, non tamen, uti spero, infructuose hic mihi commemorata sunt.

« Porro autem beatus Godefridus a Cartusia non tam sponte sua, quam vi propemodum adactus, exiens, crebro ad eam reflectebat oculos lachrymis madentes : se miserum et infelicem summo animi dolore proclamans, cui in illo angelico contubernio non licuerit usque ad supremum vitæ diem permanere, et soli Deo divinæque contemplationi vacare. Fuit autem in Cartusia a feriis beati Nicolai Episcopi, quæ aguntur 8 Idus Decembris, usque ad Quadragesimæ initium, admodum interim exultans in Domino, quod a terrenis curis absolutus, optata quiete frueretur. Multa illic reliquit virtutis et sanctitatis exempla, ut hodieque de illo inter se crebro conferant. » Hactenus Nicolaus Suessionensis monachus.

Reversus est itaque pius Pater. Sed mox, nova insurgente procella, a Clericis, quos ad observantiam Quadragesimæ impellebat, multa perpessus est opprobria. At vir Dei fortis nil de præscripto statuto remisit. Quinimo, adveniente Dominicæ Cœnæ die, rebellibus hanc irrogavit mulctam, ut a Sacrosancta Eucharistia, ad secundam usque Paschatis feriam, abstinerent. Fuit unus, qui spreto Antistitis mandato Sacræ Synaxi se ingerere haud dubitavit, muliebri habitu sexum prætendens fœmineum, ne forte a probis sacerdotibus agnitus repulsam pateretur. At vidit ejus fraudem Divinus oculus, dextraque Christi Antistitem suum ulciscentis rebellem derisoremque compressit. Ecce enim sumpta Eucharistia tantis pseudoclericus ille tamque acerbis viscerum doloribus torqueri cœpit, ut, humi stratus, spumas ex ore cruentas ejiceret, et Divinum pignus, quod indigne sumpserat, multo cum sanguine cunctis cernentibus evomeret.

Hæc tamen et similia rebellium facinora, mire pii Patris animum exulcerabant : malevolorum insuper quotidiana fere convicia versutæque machinationes rursus ei fugam suadebant. Hærebat illius animo eremus Cartusiæ, et suavissima sanctorum Fratrum recordatio lachrymas illi frequentes eliciebat. Et eo sane quamprimum advolasset, nisi vitæ finis jam propinquasset. Adeo enim multis erat angoribus confectus et obrutus, ut vitæ quoque tæderet; adeo supra vires affligebatur et discruciabatur, ut crebro rogarit Dominum, ne ipsum sineret in ea regione mori. Exauditus est sincerus Christi famulus piæ pro merito servitutis. Cum enim Remos peteret, nescio quæ negotia cum Radulpho Archiepiscopo tractaturus, apud Suessiones natale solum in febrim inci-

dit; cujus vim cum aliquot diebus in cœnobio SS. Crispini et Crispiniani tolerasset, confectus morbo, post Sedis annum nonum actuosæ vitæ finem adeptus, æternæ et beatæ optatum limen attigit, anno 1118, die 8 Novembris, divinis post mortem signis coruscus.

Surius; Annales Baronii; Martyrologium Romanum, Gallicanum; et alii.

LAZARUS

PROTOPRIOR DURBONIS

Professus Cartusiæ; anno 1116 cum aliquot monachis a R. P. Guigone summo Ordinis Præside missus ad hujus monasterii fundationem, cum in magna rerum terrenarum penuria ibi diu vixisset, virtutibus dives, post laudabilem et fructuosam hujus eremi administrationem vitæ cursum absolvit, anno 1145, die 8 Novembris : præfuerat 29 annis. Huic præfatus Guigo dedicavit Epistolas B. Hieronymi.

Ex Catalogo Priorum Durbonis.

DEDICATIO MIRACULOSA ECCLESIÆ VALLIS S. HUGONIS

Domus hæc fundata fuit anno 1173 in territorio et loco, cui nomen Vallis *de Ben* antiquitas dederat, nunc Vallis S. Hugonis nuncupata. Cujus constructionis talis assignatur causa. Cum in parte quadam ipsius vallis ruricolæ habitarent, quidam ipsorum sæpius viderunt in loco, ubi nunc monasterium extructum est, Episcopum quemdam Pontificalibus ornatum, procedentem cum duodecim monachis Cartusiensis Ordinis habitu præcandidis; unde arbitrati sunt ipsum Episcopum fore S. Hugonem Gratianopolitanum quondam Episcopum, qui jam e sæculo migraverat. Venit vero ut prædicta visio in auribus multorum devotorum Nobilium virorum ac mulierum vulgaretur; quorum Deus corda tangens, locum ipsum unanimi devotione fundantes, ac nobiliter dotantes possessionibus, montibus et terminis spatiosis, tandem Domum Vallis S. Hugonis nuncupari voluerunt. Fuerunt vero septem singulares Fundatores.

Cœpit itaque ista Domus inhabitari anno 1173. Consummatis autem ecclesiæ ædificiis, vocati sunt duo Episcopi ad eam dedicandam. Et cum, ex eorum more peragentes officium, venissent ad locum, ut altare consecrari et inungi sanctificato Chrismate deberet, videntibus ipsis Episcopis descendit unctionis Chrisma sanctum de cœlo, ipsumque altare inunxit et consecravit. Mirantes autem quod factum fuerat, Episcopi dixerunt : « Quod Deus consecravit, homo consecrare non debet. » Et ita Chrisma quod secum ferebant non apposuerunt. In cujus rei signum servantur ibidem usque in hodiernum diem

corporalia et palla altaris, super quæ unctio divina descendit. Hæc autem miraculosa Consecratio facta est anno 1189, 6 Idus Novembris.

Ex antiquis Monumentis hujus Cartusiæ.

MARGARETA

PRIORISSA PRATIBAJONIS

In hoc parthenone claruit sanctimoniæ fama; nobilissimæ ac religiosissimæ conversationis virgo, natione Delphinas, inclyto Montimororum sanguine propagata. Priorissæ munus non paucis annis strenue ac sapientissime cum exercuisset, divinis signis miraculisque corusca, feliciter animam in Cœlum emisit, die 8 Novembris, anno 1193.

Ex Historia ms. Nicolai Molini.

Hic refert Margaretam egisse Priorissam Excubiarum; verum in nostro Volumine Provinciæ, huic Pratibajonis cœnobio ipsam præfuisse probavimus.

HENRICUS DE VROEDE

PRIOR BRUGIS

Dictus Sapiens seu Prudens; cujus doctrina in scriptis, sed sancta conversatio, quæ fuit multum devota et Deo dedita, potius emicuit in vitæ meritis. Anno 1465, mense Septembri, ex Procuratore Brugis per Visitatores institutus Prior, præfuit usque ad annum 1477, quo exauctoratus, anno subsequente assumptus est ad moderamen Domus S. Sophiæ. Ubi cum talentum sibi creditum fideliter prudenterque juxta nomen suum multiplicare studuisset, tandem fatis functus, anno 1484, die 8 Novembris, intravit in gaudium Domini.

Bostius. Petræus. Catalogus Priorum Brugensium.

JOANNES MESDACH

PRIOR BRUGIS

Vir omni laude dignus; qui præfuit Domibus Leodii, Ziriczææ et Brugis, ob zelum et pietatem commendatissimus. Qui cum diligentissima administratione nomen sibi immortale comparasset, ad Superos abiit anno 1540, 8 Novembris (al. 20 Octobris).

Ex Catalogo Priorum Brugis.

HUGO HEBERT

COADJUTOR BELNENSIS

Rothomagæus, natus anno 1609. Vota professionis in Cartusia Belnensi emisit, anno 1632, die 15 Augusti. Functus in Domo Luviniaci officio Procu-

ratoris et in Domo Belnensi Coadjutoris munere, tandem pie et sancte decessit anno 1685, die 8 Novembris. Vir fuit religiosissimus et exemplaris, modestus admodum, gravis, pacificus, amator paupertatis. Qui per multos annos morbum articularem cum admirabili patientia et animi tranquillitate tulit; et quamvis omnibus membris captus hæreret lecticulo affixus, nusquam tamen se fecit immunem a recitatione Breviarii. Orationi addictus semper, ac strictissimæ solitudinis custos.

IX DIE NOVEMBRIS

NICOLAUS

CONVERSUS MAJORIS CARTUSIÆ

De quo Nicolaus Molin in Historia Cartusiensi agit his verbis : B. Nicolao Cartusiæ Converso ægrotanti cum medici longiorem vitam promitterent : « Ut quid, ait, mihi promittitis, quod præstare non valetis? Ecce crastina die moriar, et in Cœlum fœlix abibo. Nam sancti Patris nostri Martini Generalis XII et Bernardi Vicarii hujus Domus nuper defuncti precibus, ac Divæ Dei Parentis Virginis meritis, scio quia Christus mihi morienti variis hujus nostri Ordinis sanctissimis Patribus constipatus apparebit, meque ad regna sua tali hora evocabit. » Dixit, et divinis Sacramentis rite susceptis, die quam prædixerat, diluculo in Cœlum evolavit. Mortuus sub regimine R. P. Hugonis, qui præfuit ab anno 1242 usque ad 1253.

CLAUDINA

MONIALIS PRATIBAJONIS

Cognomine Montemauresia ; virgo sacra cumulatissimæ sanctitatis ad gaudia Cœlorum rapitur. Duos tantum annos nata ac pene adhuc infans, mortem patris majorisque natu fratris prædixit.

Ex Historia ms. Nicolai Molin.

JOANNES MONCHIN

MONACHUS VALLIS PROFUNDÆ

Septuagenarius, professus Vallis profundæ, hospes Luviniaci; qui multa ab hæreticis Calvinistis ob Fidem Catholicam perpessus, spiritum Deo reddidit Divioni.

Ex Charta anni 1567.

LUDOVICUS POART

PRIOR VALLIS S. PETRI

Hujus virtus, in durioribus morbis præsertim septempliciter probata, modestiam, insignem pietatem, in afflictos commiserationem, disciplinæ zelum et alias animæ religiosæ dotes, quibus ornatus erat, non fucatas aut minus perfectas fuisse perspicue ostendit. Conversationis namque maturitas ea fuit, quæ in adversis æque ut in prosperis virum devotissimum in æquilibrio constitueret, soli Deo inhærentem, de omnibus nihilominus et etiam dyscolis in omnibus bene meritum.

Erat Ludovicus ex ingenuis et valde claris parentibus progenitus. Ejus pater, curiæ Parisiensis speculum ob integritatem ac probitatem, a curia primaria delectus fuit in tutorem et curatorem liberorum Domini de Marillac, quorum unus Franciæ Procancellarius, alter Marescallus fuit. Vota monastica nuncupavit Ludovicus in Cartusia Vallis S. Petri : cujus fuit insignis benefactor et Domorum Abbatisvillæ et Monstreolensis. Electus in Priorem anno 1603, in hoc perseveravit officio usque ad suum obitum, qui contigit anno 1616, die 9 Novembris.

Multum commendatur, ut jam diximus, ob claustralis observantiæ studium et amorem. Sollicitus erat circa se et suos in minimis, leviusculas negligentias haud impune abire permittens. Non tamen ideo importunus, ut assolet, habebatur; eo enim plus diligebatur, quo in se ipso suam doctrinam exhibebat. Cura quoque ejus hæc non postrema erat, ut quibuslibet necessariis subditi instruerentur, sed ita tamen, ut debitis tenerentur satisfacere. Quanquam, naturali complexione ad melancholiam inclinatus, esset tristior, nulli unquam tamen, vel natura morosior, oneri fuit. Et cum in lectulo ultimæ ægritudinis constitutus, naturæ, quod suum erat, redderet; omnibus probitatis illius admiratoribus pro omni legato singultus et lachrymas reliquit.

Singulari in omnes effulsit charitate. Norunt omnes quanto compassionis affectu cuidam ex suis fuerit opitulatus. Cum enim corpus haberet scabie respersum, et in quibusdam corporis partibus ulcera fœtidissima ita scaturirent sanie, ut vix ullus ad eum accedere auderet; seposita ad horam Prioris persona, Ludovicus balneum medicinalibus herbis et aromaticis speciebus præparavit eidem per semetipsum, in quo propriis manibus ægrotum abluit, et restituit in sanitatem. Neque vero hoc solo contentus, quasi retributionem ab ipso quæsiisset, petivit humiliter, ut vice versa ægrotus ignorantias ejus et defectus declararet. Quod ubi vir ille, ad id idoneus satis utpote loquacissimus, fecisset, pius Prior de quibusdam impositis sibi satisfactionem omnimodam dedit, de cæteris emendatione promissa.

Ex Chronico Cartusiæ Vallis S. Petri.

MARGARETA VAILLANT

SUBPRIORISSA GOSNAY

Mira morum simplicitate et humilitate exornata, studiosissimaque observantiæ regularis, hanc eremum fragrantia suarum virtutum perfudit. Ab ineunte ætate addicta orationi, pervenit ad summum vitæ mysticæ gradum, de qua Tractatus descripsit plane cœlestes. Hujus rei gratia sustinuit a multis contradictionem, adeo ut Episcopus Atrebatensis Margaretæ scripta jusserit comburi. Nonnulla tamen evaserunt incendium, quæ miram spirant devotionem. E vivis excessit anno 1676, die 9 Novembris, relicta sanctitatis opinione, cum in Ordine sexaginta tres annos exegisset.

X DIE NOVEMBRIS

HUMBERTUS DE BAUGÉ

ARCHIEPISCOPUS LUGDUNENSIS

Antiqua et nobili ortus prosapia, Ulricum dominum Balgiaci et Brexiæ patrem habuit, matrem vero filiam Amedei I comitis Sabaudiæ et Maurianæ; frater fuit Stephani Matisconensis episcopi, et Raynaldi Balgiacensis dynastæ. Anno 1123 erat Archidiaconus Cameracensis; postea Canonicus et Archidiaconus Æduensis, a patruo hujus Ecclesiæ Pontifice nominatus. Inde Episcopus Æduensis eligitur, anno 1140; tandemque ad Archiepiscopatum Lugdunensem assumptus est, anno 1148. De hujus promotione Historia ms. Vezeliacensis Abbatiæ ita loquitur : « Cum esset Humbertus Æduensis episcopus, genere clarissimus, morum honestate ac pietate decentissimus, Ecclesia Lugdunensis Antistite suo destituta, Archipræsulem sibi eum petebat. Quo assumpto, suscepit Episcopatum Æduensem Henricus, Ducis Burgundiæ germanus. Eodem anno consecravit ecclesiam Cartusiæ Portarum, et nominatur anno 1149 cum Pontio Matisconensi antistite. »

Perperam autem Paradinus, Severtius aliique fundationem Cartusiarum Sellionis et Montismerulæ Humberto adscribunt. Certum est autem, abdicato Archiepiscopatu Lugdunensi, illum in Cartusia Vallis S. Mariæ habitum suscepisse Religionis, et anno 1180 in Cartusia Sellionis, cujus erat benefactor, egisse Priorem, ibidemque relicta ingenti sanctitatis opinione fuisse sepultum. Hujus meminit Ecclesia Lugdunensis cum honorifica donationum mentione ad 4 Idus Novembris, quo decessit. Quod autem vestem monasticam induerit in Cartusia Vallis S. Mariæ,

non autem in Domo Sellionis, constat ex verbis Martyrologii Lugdunensis, ubi hæc de Humberto referuntur : « Humbertus Vallis S. Mariæ monachus et quondam Lugdunensis archiepiscopus, qui dedit S. Stephano unam casulam et duas tunicas, et duo candelabra quinque marcarum, et in eleemosyna scyphum argenteum cum cochleari. » Ex his verbis liquet alumnum fuisse monasterii Vallis S. Mariæ, quod constructum est in diœcesi Diniensi. Vitam autem suam protraxit usque ad annum 1180 ; nam tunc præerat Sellioni, et funeri Raynaldi domini Balgiaci nepotis sui cum Stephano Matisconense præsule germano interfuit.

HENRICUS DE DIEPACH
PROCURATOR TREVIRENSIS

Eximiæ devotionis et angelicæ castitatis monachus : diu Procuratoris officio solerter perfunctus, ad beatam immortalitatem migravit anno 1459, die 10 Novembris.

Ex Catalogo Monachorum Cartusiæ Trevirensis.

MARTINUS ADOURNES
PRIOR BRUGIS

Clara Genuensium nobilitate oriundus, filius Petri Adournes, Cartusiæ Brugensis Clerici Redditi, professi et sacerdotis; vestigia parentis optimi sectatus, Cartusiensem lacernam induens in præfato monasterio, ibidem postea Prior inclaruit et Teutoniæ Visitator. Cujus pro Domo Dei sedulitas et religiosa pro suorum salute sollicitudo, sed magis infracta vitæ piissime ex Deo peractæ integritas, famam ejus apud homines gloriosam, sed apud Deum gloriosiorem effecit. Abiit ad vitam meliorem pius senex anno 1507, die 10 Novembris.

Ex Catalogo Priorum Brugensium.

PETRUS RUCH VEL AB HOORNE
PRIOR BRUGIS

Ob exemplarem et religiosissimam conversationem spectatissimus ; cum per decennium hanc Domum laudabiliter administrasset, vitæ contemplativæ desiderio incensus, Prioratum dimisit. Ejus Elogium notatur in Necrologio Cartusiæ Brugensis his verbis : « Monachorum exemplar singulare, virque maximæ abstinentiæ, Frater Petrus Ruch obiit anno 1555, 10 Novembris, ætatis suæ anno 71, professionis 43, Prioratus sui anno 11. Vocabatur aliter Petrus ab Hoorne, juxta Catalogum Priorum hujus Domus Brugensis et Manuscriptum, ubi dicitur Petrus ab Hoorne, alias Ruch.

JOANNES BRILLOT

MONACHUS VALLIS S. PETRI

Sylvanectensis ; ante Ordinis ingressum puer chorista apud ædem B. Mariæ Sylvanecti, in symphonetam evaserat egregium. A prima die conversionis ad senium extremum usque infatigabiliter in choro pervigil existens, contra morem veteranorum, nunquam voci pepercit, quam habebat supra omnes sonoram et suavem. Podagra duriori laborans et plusquam septuagenarius psallebat alacriter atque perseveranter, et qui jam labente memoria titubabat, non recusabat ex libro psallere cum Novitiis. Ad Cartusiam Majorem tempore R. P. Joannis Michel evocatus fuerat, ut erudiret juniores, et circa pausas illas, quæ in Gradualibus rubrica distinguuntur, laboraret : quod et peregit studiose, et mandato R. Patris per universum Ordinem observari decretum est. Cæterum austeritati multæ addictus, ciliciis trivialibus indui delitias reputans, crassiori et hispido quod ex pilis equinis pure constabat, eoque manicato, solebat uti, quod ad modum nodosissimi retis ipse contexere erat solitus. Pie moritur anno 1630, die 10 Novembris.

Ex Chronico Vallis S. Petri.

XI DIE NOVEMBRIS

FRANCISCUS DE ARANDA

DONATUS PORTÆ CŒLI

Ejus Vita extat in Historia Portæ Cœli, cap. 7, descripta a Joanne Baptista Civera his verbis :

Convenienter quidem post Vitam D. Bonifacii, Vitam nobilis viri Francisci de Aranda, Donati præsentis Domus Portæ Cœli, scribere oportet : sequitur enim discipulus magistrum, et filius patrem. In Religione enim habuit hic præclarus vir magistrum Patrem Bonifacium, et in itineribus, quæ pro bono Ecclesiæ universalis peregit, fidelissimum socium.

Ortus est igitur in civitate Terulensi, anno 1346, ex nobilibus et divitibus parentibus, Petro videlicet Fernandes de Aranda et Sancia Perez. Morabantur nobiles isti conjuges in vico, qui vulgo dicitur *Divitum hominum,* et nati sunt ei tres filii : nempe Petrus, Joannes et Franciscus. Joannes fuit Jurisperitus insignis et valde honoratus. Sed noster Franciscus cæteris fratribus evasit præstantior. Educatus est a parentibus in omni virtute et urbanitate; et cum ætatis esset annorum quindecim,

cum decenti famulorum comitatu miserunt eum ad Curiam regis Aragonum Petri IV, ut illi ac serenissimis Principibus ejus filiis ministraret, atque illorum gratia et benevolentia sic acquisita, divitias et honores amplissimos ab eis acquireret et impetraret.

Nec fraudati fuerunt parentes a spe sua. Nam post paucos annos ob suam urbanitatem et strenuitatem ejus in ministrando, Infans Martinus, secundus filius Regis, constituit eum Præfectum equorum suorum : sic enim eum vocat Hieronymus Zurita historiographus (in Annalibus Aragoniæ) prima vice qua de eo mentionem facit. Scribit enim, quod dum Rex Petrus morti appropinquaret, uxor ejus Sibylla de Forcia timens male tractari a filiis Regis (et non suis) post ipsius mortem, congregatis multis divitiis et permulta supellectile pretiosa, occulte aufugit. Insecutus est autem eam Infans Martinus cum suo equorum Præfecto Francisco Aranda, et comprehensam cum sequacibus suis reduxit in palatium. Mortuo Rege Petro, successit ei in regno filius ejus major Joannes, dux Gerundensis. Et cum eo tempore Infans Martinus profecturus esset in Siciliam, quia rebellaverat insula, noluit Rex Joannes quod Franciscus Aranda abiret cum eo, sed quod esset secum a consiliis, sperans posse juvari ab eo in regni negotiis tractandis.

Placuit etiam et hoc Infanti Martino, ut, eo absente, noster Franciscus fidenti animo assistere posset Dominæ Mariæ ejus uxori, et ut sollicitaret subsidium militum, quod Rex ei missurus erat ad bellum prosequendum. Utrique muneri perfecte satisfecit noster Franciscus. Nam Ducissæ Mariæ tam fideliter inservivit, ut una vice providerit ei ex sua pecunia quingentos florenos auri pro necessitatibus occurrentibus : in quorum remunerationem et gratitudinem tanti servitii, dum jam esset Regina, ipsa et vir ejus Rex Martinus dederunt illi salinas Armillarum prope civitatem Terulensem sitas, de quibus infra tractabimus. Et de subsidio militum mittendo in Siciliam ita sollicitus fuit, ut ipsemet Valentiam venerit, ubi congregatam militum copiosam multitudinem in insulam Siciliæ cum omni celeritate misit.

Regi quoque Joanni fuit valde gratus, tantæque apud eum æstimationis et confidentiæ, ut unius filii sui parvuli curam commiserit ad educandum bonis moribus et documentis, sicut Principem decebat. Quod certe munus honorificum, magnum illi aditum præstabat ad majora speranda et consequenda. Deus autem, qui omnia ad utilitatem nostram ordinat et disponit, quique Franciscum nostrum ad altiora evehere decreverat, permisit illi quoddam infortunium evenire, quod totius salutis initium illi fuit. Nam quadam nocte, dormiente cum parvulo Principe cum omni sospitate et valetudine, facto mane invenit eum juxta se mortuum, causam obitus ejus omnino ignorans. Turbatur Rex cum

omni Curia propter infausti casus eventum; et licet, inquisitione diligenti facta, innoxius repertus fuerit Franciscus Aranda, nihilominus captus fuit, et ductus ad arcem oppidi Morellæ, ibique in carcerem trusus : ubi, quamdiu prædictus Rex Joannes vixit, detentus fuit.

Solet frequenter Dominus noster electis suis revelari et innotescere mediis tribulationibus et ærumnis, juxta illud Psalmi : *Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine.* Nam, adveniente adversitate, homo in se reversus et res humanas ærumnis et acerbitatibus plenas considerans, oculos suos ad Deum levat, Deum invocat et in ipso affectum suum reponit. Hoc eodem modo dignatus est Omnipotens illuminare et convertere Equitem nostrum. Cum enim se captum carcerique mancipatum, et a tanto honore felicique statu absque culpa sua in puncto privatum cerneret, cognovit quam vana sit gratia Principum, quanto labore acquiratur, quanta vigilantia conservetur, et quam facile amittatur. David enim dicit : *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum in quibus non est salus.* Considerabat insuper quam brevis et incerta hominis vita (inductus præmaturæ mortis Principis exemplo), quam terribile Judicium extremum, quam horrendum ac formidabile æternum supplicium.

Hujusmodi considerationibus et inspirationibus illuminabat Deus animum ejus ad discernendum et judicandum inter terrena et cœlestia, temporalia et æterna. Quapropter jam lectione spirituali et colloquiis Religiosorum delectabatur, orationi ac piis exercitiis vacabat, et frequentius ad altiora cor levabat : magnos progressus se facturum in Dei obsequio promittens, si Deus ipse de illo carcere illum liberare dignaretur. Et hæc concepta desideria dilatione quotidie crescebant et augebantur, donec Rex Joannes infeliciter obiit. Nam in venatione lupum quemdam persequens, ex equo cecidit et subito mortuus est, anno 1395.

Mortuo Rege Joanne absque liberis, successit ei in regno Infans Martinus frater ejus; qui cum eo tempore in Sicilia (sicut dixi) versaretur dum factum illi nuntiaretur, Domina Maria uxor ejus ab omnibus ut Regina vocata et proclamata fuit. Cumque Franciscum nostrum valde diligeret, statim eum libertate donavit, ac Regium consiliarium constituit : quod postmodum Rex Martinus laudavit et approbavit, et ad altiores honores et dignitates eum evecturum significavit. Ille vero erat ita eruditus ex præteritis et edoctus a Deo, ut cum mundus illi arridere videbatur, tunc eum contemnere ac relinquere cogitabat, et ex tanti honoris sublimitate ad profundum humilitatis et abjectionis statum descendere : videlicet induendo habitum in hac præsenti Domo. Et ne in posterum aliqua tentatione vel eventu impeditus propositum mutare posset, dum esset in quadam ecclesia

civitatis Barcinonæ, accessit ad altare S. Annæ, et manibus super aram positis, vovit Deo se omnia relicturum et statum Donati in Domo Portæ Cœli assumpturum. Et hoc factum fuit anno 1396.

Et non multo post, scripsit Priori et Conventualibus, petendo cum omni humilitate quatenus dignarentur eum recipere in suum consortium. Et ut illis statim benefacere inciperet, præcepit unum claustrum novum construi suis sumptibus cum septem cellis; et pro sustentatione Religiosorum, qui in eo victuri erant, dedit triginta quinque millia solidorum; insuper bono animo promisit se daturum quotannis, quamdiu viveret, quinquaginta scuta in festo Natalis Domini pro necessitatibus Domus sublevandis. Et statim ut rescivit promptam Conventualium voluntatem, qua illum admiserant in Donatum, cœpit res suas disponere et dispensare, ne eum postea inquietarent; ordinatisque omnibus, petiit licentiam a Rege et Regina ad discedendum a Curia. Sed quia triginta duobus annis eis diligentissime ministraverat, amabant eum tenerrime; quapropter non sine lachrymis discedere et abire permiserunt, commendantes se ejus orationibus. Ipse vero, comitante Divina gratia ac bono Angelo duce, venit ad hanc Domum et cum omni humilitate et devotione accepit habitum Donati, die ultima mensis Januarii, anno 1398.

Quinquaginta duorum annorum erat vir iste, quando habitum Religionis suscepit: quem ad instituendum et dirigendum in via perfectionis et virtutis commendavit Prior Patri Bonifacio Ferrer, cujus institutione et informatione credendum est brevi multum profecisse, maxime cum homo esset ipse præclari judicii, bonæ indolis et largæ experientiæ rerum mundanarum. Unde abnegationem sui ipsius viriliter aggressus est, bellum apertum indicens vitiis et concupiscentiis suis, ita ut dicere posset cum Apostolo: « *Vivo ego, jam non ego, sed vivit in me Christus* cum quo sum crucifixus. »

Cum liber in quo continebantur Vitæ primorum Religiosorum hujus Domus perierit, ubi descriptæ erant speciales virtutes hujus servi Dei, hinc est quod modo ego novissimus expiscare eas cogor ex quibusdam verbis vel clausulis, quæ in antiquis scripturis Archivi nostri reperiuntur, vel in Historiis regni Aragonum obiter de eo narrantur.

Scribitur igitur de eo, quod erat valde humilis, devotus, et supramodum paupertatis amator: etiam cum senuisset, utensilibus et supellectilibus cellæ adeo abjectis et vilibus utens, ut alii minus mortificati illis erubescerent. Et inde fiebat, ut veteribus ac resarcitis vestibus (etiam coram Papa et Rege) oblectaretur. Et licet propter ætatem et habitationem quam habebat in claustro cum monachis, non fuerint ei impositæ Obedientiæ, quas Conversi et Donati exercere solent, erat tamen tanta ejus

animi humilitas et sui ipsius contemptus, ut multoties panes et alia occurrentia distribuenda per cellas Religiosorum et in refectorio ipsemet lætus ministraret : non sine magna Fratrum suorum ædificatione et exemplo, scientium personæ ejus gravitatem. Dicunt etiam, quod erat valde misericors erga desolatos et pauperes, illis compatiendo ex corde, adeo ut illorum indigentiam contemplans, statim in lachrymas erumperet. Testantur denique virum illum fuisse eximiæ bonitatis, singularis prudentiæ, perfectæ mortificationis, magnæque sanctitatis, ut verum Dei servum decebat. Quibus verbis, si bene pensentur, multa in ejus commendationem dicuntur.

Peracto suæ probationis tempore, licet habitum et statum Donati suscepisset, tamen ad instar monachorum et Conversorum solennem professionem inter Missarum solennia emisit. Et quia hoc inusitatum et insolitum aliquibus forte apparebit, referam fideliter verba antiqui Libri Benefactorum antiquorum, qui scriptus et completus fuit per Priorem hujus Domus decem annis post mortem dicti Francisci Aranda, ubi perspicue et aperte hoc testatur :

« Prædictus autem honorabilis vir ad hanc Domum grandi cum devotione veniens, quamvis non fuerit susceptus in Donatum eo modo quo Donati Ordinis nostri secundum Statuta nostra suscipi consueverunt, semper tamen in hac Domo et in toto nostro Ordine Donatus Portæ Cœli vocatus fuit; sicut per litteras a Patre nostro Cartusiæ et ab aliis Magnatibus directas liquide apparet, et in multis Actibus Ordinis evidentius probatur. Qui etiam e singulari devotione et de consilio magistri sui Domni Bonifacii Ferrer, caputium Conversorum in ecclesia et in cæteris monachorum officinis jugiter gestabat. Qui nihilominus, ex licentia eidem a R. P. Domno Cartusiæ concessa, in Festis duodecim Lectionum primam Lectionem legebat, Capitulum monachorum intrabat, Refectorium eorum frequentabat et cum eisdem edebat. In omnibus etiam Colloquiis publicis et privatis, et Domus tractatibus intererat, votumque suum emittebat. Qui etiam ut religiosam in Domino duceret vitam, atque per vitæ arctitudinem appropinquare magis Deo posset, illa tria vota quæ quilibet Religiosus in sua professione facit, in quibus omnis perfectio totius Religionis consistit, Priore hujus Domus Missam tunc celebrante, verbo tenus ad cornu altaris, ut moris est Ordinis, emisit. »

Quæ verba nullum dubitandi locum admittunt an professionem solemnem fecerit necne. Sed quod animadversione dignum judico, est quod dicitur, portasse caputium Conversorum, ex persuasione D. Bonifacii magistri sui, in actibus conventualibus. Unde colligitur ante illud tempus Donatos non usos fuisse caputio albo in actibus conventualibus; nam si uterentur jam, non

oportebat tanquam novum quid illud annotare. Et inde pro certo habeo tunc sumpsisse principium formam habitus Donatorum, quo utuntur in Hispania.

Post quatuor annos in sancta pace et quiete cum Magdalena ad pedes Domini exactos, coactus fuit noster Franciscus cellam relinquere, et iterum ad sæculares occupationes exire. Nam Benedictus XIII, qui tunc Avenione a Cardinalibus in obsidione tenebatur, non contentus penes se habere D. Bonifacium Priorem hujus Domus, mandavit etiam huic servo Dei, ut quam citius fieri posset, absque ulla excusatione, ad eum proficisceretur. Ingemuit ac doluit supramodum propter hujusmodi præceptum; sed sciens esse quasi peccatum idololatriæ nolle acquiescere, maxime Vicario Christi, licet invitus, perrexit ad Pontificem; a quo tam alacriter est acceptus tantaque animi affectione dilectus, ut per multos annos vix ad modicum a suo latere separare permiserit, et secreta cordis sui fiducialiter ei reseraret. Quæ familiaritas ex parte cognosci potest, quia cum, perforato muro palatii Avenionensis, ipse Benedictus per foramen in secreto exiit, noster Franciscus unus fuit ex iis tribus qui illum sociaverunt : sicut jam in Vita Patris Bonifacii supra diximus.

Deinde Massiliam venit una cum Pontifice, ubi adfuit in tractatu habito inter Benedictum et Gregorium super unione Ecclesiæ, quemadmodum scribit Hieronymus Zurita, lib. 10, cap. 85 : « Interfuerunt etiam D. Franciscus Sagarriga episcopus Illerdensis et Franciscus Aranda, qui illis temporibus prævaluit plurimum in regali Concilio Status regum Petri et Joannis, et deinde sæculo renuncians, factus fuit Donatus in monasterio Portæ Cœli : et hoc tempore, videlicet anno 1407, jam habitum induerat, et fuit eximius servus Dei. »

Anno 1410, die ultima Maii, obiit rex Aragoniæ Martinus absque liberis et legitimo regni successore. Sed quam primum nunciata fuit infirmitas Regis nostro Francisco, abiit cum festinatione Barcinonam, ut eum visitaret ac ei ministraret; et cum in extremis laboraret, præsentibus Episcopo Majoricarum et Gubernatore Cataloniæ, requisivit ab eo an vellet, ut successio regni terminaretur per viam justitiæ. Cui Rex respondit, hanc esse suam voluntatem et desiderium. Et hæc Regiæ voluntatis declaratio fuit causa multorum bonorum; nam Prætensores regni quieverunt, nec, quemadmodum cogitaverant, per vim armorum incederunt, spectantes determinationem juridicam fiendam.

Interim quodlibet regnum unum Præsidentem generalem in ditione sua constituit, ut regnum nomine futuri Regis gubernaret et regeret. Ipsa autem tria regna congregata fuerunt ad conferendum et tractandum inter se super modum successionis, Aragoniæ videlicet in oppido Vallisroure, Valentiæ in oppido Traigueræ, Cataloniæ in oppido

Dertusensi. Obortæ autem sunt multæ ac gravissimæ difficultates et dubia in re tanti momenti, cum ex ea penderet successio trium regnorum. Sed ad sedanda et facilitanda dicta dubia, vix est credibile quantum laboraverit noster Franciscus, quot itinera peregerit, quantum illi detulerint tria Parlamenta: adeo ut ipsi Archiepiscopi, Duces, Magnates et deputati regnorum, ad istius pauperis Donati nostri hospitium convenirent ad tractandum cum eo, quasi cum quodam Dei oraculo.

Hoc ipsum testatur diligentissimus historiographus Hieronymus Zurita in Annalibus Aragoniæ, lib. 11, cap. 40, ubi agens de eo dicit : « Tanti erat momenti et æstimationis ejus sententia, et tanti ejus interventio æstimabatur, ut ad ejus hospitium venirent Archiepiscopus Tarraconensis, deputati regnorum, et Ambassiatores Parlamentorum Aragoniæ, Valentiæ et Cataloniæ, ut cum eo media concordiæ conferrent. » Et cap. 44 : « Residebat Parlamentum Aragoniæ in civitate Çalatajudi ad deliberandum de rebus electionis, et nihil agebatur propter absentiam Archiepiscopi et majoris Consulis Cæsaraugustani, quorum adventum instabat ex parte Domini Papæ Franciscus Aranda Donatus Cartusiæ in Domo Portæ Cœli : cujus in negotiis larga experientia et mundanarum rerum contemptus tanti æstimabantur, ut nulla res gravis illis temporibus tam per Reges Joannem et Martinum, quam etiam in his perturbationibus, absque ejus deliberatione et consilio decreta fuerit.

Et cap. 63, item dicit : « Dominus Papa misit ad Parlamenta Franciscum Aranda, Donatum monasterii Portæ Cœli Ordinis Cartusiensis, suum magnum consiliarium et familiarem. A multis enim retro temporibus præteriti Reges nihil magni ponderis ad Statum pertinens, absque ejus voto et consilio decreverunt. Tanta enim discretione et prudentia erat præditus in rebus regiminis, in pace et bello, et tam exemplares ac religiosæ extiterant cunctæ actiones ejus, cum admirabili memoria et providentia gubernationis reipublicæ et maturo intellectu, ut in omnibus summa cum religione et pietate fundaretur, etc... »

Post varios igitur eventus et altercationes hinc inde ventilatas et discussas (quas brevitatis causa omitto) placuit Deo, ut, post duos annos a morte Regis, omnes unanimes decreverint ut eligerentur novem viri probatissimi, ut magnitudo negotii postulabat ; quorum sententiæ ac decreto ita standum esset ac parendum omnibus, ut quem ipsi regno digniorem judicarent, tanquam verus ac legitimus Rex ac Dominus haberetur ab omnibus regnis. Et ita die 14 Martii anni 1412 electi fuerunt dicti novem viri, tres pro quolibet regno. Pro Aragonia, Dominicus Ram episcopus Oscensis, Franciscus Aranda Donatus Portæ Cœli, Berengarius Bardaxinus. Pro Valentia, D. Bonifacius

Ferrer Prior Cartusiæ, magister Vincentius Ferrer, Genesius Rabaça. Pro Catalonia, Archiepiscopus Tarraconensis, Guillelmus de Valleseca et Bernardus de Gualves. Et licet aliqui ex eis recusaverint, et tam grave pondus e collo excutere tentaverint, nihilominus tamen acquieverunt nominationi factæ, eo quod ex ea penderet pax et tranquillitas trium regnorum.

Interim autem multæ fiebant orationes et supplicationes ad Deum, ut novem Electores illuminare dignaretur. Quapropter Capitulum generale Ordinis nostri in Domo Vallis Jesu Christi celebratum idem præcepit sub his verbis : « Pro concordi et pacifica directione et divina Electorum illuminatione super provisione Regis, in Provincia Aragoniæ fiat unum Tricenarium de Spiritu Sancto in qualibet Domo Ordinis. Et quia pro instanti de hoc agitur, recepta præsenti Charta, quam citius commode fieri poterit, præ cæteris istud inchoetur. » Et ut appareat simul quanti nostra Religio Franciscum Aranda faciebat, referam mandatum Capituli illius anni, quod tale est : « Pro honorabili ac religioso viro Domno Francisco de Aranda, Donato Domus Portæ Cœli, qui in servitio D. nostri Papæ pro negotiis Ecclesiæ et Ordinis nostri laborat, dicant celebrantes quilibet unam Missam de Spiritu Sancto cum Oratione *Prætende*, non celebrantes septem Psalmos cum Litaniis, Conversi triginta vicibus *Pater noster* et *Ave Maria*.

Congregati novem Electores in arce oppidi Caspis, die 24 Martii, audierunt unam Missam, et sanctum Eucharistiæ Sacramentum publice receperunt; solenneque juramentum præstiterunt, se non amore, odio vel aliis respectibus, particularitatibus, sed Deum ante oculos habentes secundum Deum et conscientias suas judicaturos. Quo facto, Procuratores et Advocatos Prætensorum audire cœperunt. Fuerunt autem quinque Prætensores : Infans Castellæ D. Ferdinandus, D. Ludovicus dux Calabriæ, D. Jacobus de Aragon comes Urgeli, D. Alfonsus de Aragon dux Gandiæ, D. Fridericus filius Regis Siciliæ.

Postquam per mensem audierunt informationes et in jure allegationes, quas Advocati uniuscujusque partis retulerunt, conclusi sunt Electores in arce, nunciantes eis non inde exituros nisi electionem fecissent. Et quamvis per dies octo nequiverint concordare, placuit tamen Deo, ut die S. Joannis Baptistæ sex ex ipsis convenerint, ac suffragia sua dederint Infanti Castellæ, D. Ferdinando. Et quamvis inter ipsos electio dicta die facta fuerit et in publicam formam per Notarios tres redacta (cujus Instrumenti exordium et conclusionem manu propria D. Bonifacius scripsit), et tria exemplaria facta fuerint, unum pro quolibet regno; tamen non fuit revelata nec publicata usque ad diem S. Petri, quo magno cum apparatu et solennitate fuit notificata et præconizata.

Constructum enim fuit suggestum altum juxta ecclesiam et palatium, pannis auro intextis et sericis coopertum et pulvere *(sic)* ornatum; juxta suggestum facta fuerunt quædam tabulata lignea cooperta similiter pannis sericis pro Legatis Prætensorum et aliis Equitibus, qui ex diversis regnis ad audiendam sententiam convenerant. Ad portam ecclesiæ paraverunt quoddam altare miro modo ornatum, et juxta illud positum erat quoddam scamnum pretiosissimo panno coopertum. His omnibus bene dispositis et coadunata infinita multitudine, hora tertia descenderunt novem Electores ab aula arcis, comitante eos ingenti copia equitum, nobilium virorum et armatorum ex parte trium regnorum, arma et vexilla gestantes cum magna pompa et apparatu, donec pervenerunt ad altare. Ubi, facta oratione, sederunt Electores in scamno præparato, ordine sequenti : Archiepiscopus Tarraconensis sedit in medio, et ad dexteram ejus D. Bonifacius, Guillelmus de Valleseca et Franciscus de Aranda. Ad lævam vero sedit Berengarius de Bardaxi, F. Vincentius Ferrer, Bernardus de Gualves, et Petrus Bertrandus, qui successerat vel intraverat in locum Genesii Rabaça. Episcopus autem Oscensis non sedit cum illis, quia celebravit Missam de Spiritu Sancto solennissime.

Finita autem Missa, F. Vincentius concionatus est ad populum, assumens pro fundamento verba illa Apocalypsis : *Gaudeamus et exultemus et demus gloriam Deo, quia venerunt nuptiæ Agni,* etc. Et finita concione Episcopus sumpsit de altare sententiam clausam et dedit S. Vincentio, ut illam alta et intelligibili voce publicaret, tenoris sequentis :

« Nos Petrus Sagarriga archiepiscopus Tarraconæ, et Dominicus Ram episcopus Oscensis; Bonifacius Ferrer, Domnus Cartusiæ; Guillelmus de Valleseca, legum Doctor; F. Vincentius Ferrer de Ordine Fratrum Prædicatorum, Magister in sacra Theologia; Berengarius de Bardaxino, dominus loci de Laydi; Franciscus de Aranda, Donatus monasterii Portæ Cœli, Ordinis Cartusiensis, oriundus civitatis Teruli; Bernardus de Gualves, utriusque Juris Doctor; et Petrus Bertrandus, Decretorum Doctor : novem videlicet deputati seu electi per generalia Parlamenta, prout de nostra electione, et subrogatione mei Petri Bertrandi, constat per publica Instrumenta facta in Alcanitio die 14 Martii anni 1412, et Dertusæ 13 dictorum mensis et anni, et in castro de Casp 16 Maii ejusdem anni; cum plena et plenissima generali ac generalissima auctoritate, facultate et potestate investigandi, instruendi, informandi, noscendi et cognoscendi et publicandi, cui prædicta Parlamenta et subditi vasalli coronæ Aragonum fidelitatis debitum præstare, et quem in eorum verum Regem et Dominum per justitiam secundum Deum et nostras conscientias ha-

bere debeant et teneantur; ita quod illum, quem nos novem in concordia vel sex ex nobis, in quibus sex, seu inter quos sit unus de qualibet terra, publicaremus, vel alias pro executione capitulorum inter dicta Parlamenta concordatorum faceremus seu executaremus quovis modo, haberetur pro facto, justo, constanti, valido atque recto; prout de prædictis potestate et capitulis constat, per publica Instrumenta recepta in Alcanitio per Bartholomæum Vincenti, Paulum Nicolai, et Raymundum Bajuli Notarios, 15 Februarii, anno prædicto :

« Considerantes quod, inter cætera, solenniter et publice quilibet nostrum vovit et juravit quod simul cum aliis secundum potestatem concessam citius, quo rationabiliter fieri possit, in negotio procederet, et verum Regem et Dominum publicasset : prout in dictis voto et juramento, de quibus constat per publica recepta in villa de Casp per dictos Paulum Nicolai, Raymundum Bajuli et Jacobum Monteforti Notarios, diebus 17 et 22 Aprilis et 18 Maii anni prædicti, latius continetur; visis tenore et forma dictarum electionis de nobis factæ, et potestatis nobis traditæ, et juramenti et voti præmissorum; et præhabitis investigatione, instructione et informatione nostrorum, et recognitione quæ per nos fienda erat; ac dictis et datis et communicatis per justitiam secundum Deum et nostras conscientias nostris opinionibus, atque motis; et illis ac aliis præmissis recognitis et consideratis, solum Deum habentes præ oculis, secundum tenorem potestatis, juramenti et voti prædictorum : dicimus et publicamus per Parlamenta prædicta, quod subditi et vasalli coronæ Aragonum fidelitatis debitum præstare debent et tenentur Illustrissimo ac Excellentissimo et Potentissimo Principi et Domino, Domino Ferdinando, Infanti Castellæ, et ipsum Dominum Ferdinandum in eorum verum, legitimum et indubium Regem et Dominum tenentur habere et debent. De quibus omnibus ad æternam rei memoriam petimus, etc... »

Novi Regis audito nomine, tantæ fuerunt circumstantium acclamationes et voces, tanti tubarum et buccinarum clangores, symphoniarum aliorumque instrumentorum musicorum sonitus, ac tantus tormentorum bellicorum strepitus et tonitrua, ut nec ullum verbum S. Vincentius potuerit proferre. Ipso quoque puncto super altiores turrium summitates et pinnacula arcis milites vexilla novi Regis Ferdinandi erexerunt, et omnes de tam felici et grata electione lætati sunt. Quam electionem ego de industria tam specifice et seriose descripsi, ut appareat quantum adjuverit eam præsens Domus Portæ Cœli, et quantum ei debeatur, cum ad eam faciendam duo filii ejus ex novem Electoribus prodierint. Et insuper ex dictis usque modo colligere licet, quantum ab initio in ea laboraverit noster D. Franciscus Aranda, de quo Laurentius Valla

et Hieronymus Blancas historici eruditissimi scripserunt perhonorifice.

Non tardavit novus Rex venire a Castella in Aragoniam, ut possessionem regni acciperet. Et quamprimum allocutus fuit nostrum Franciscum Aranda et experimento didicit ejus religiosam conversationem et singularem prudentiam, summe delectatus, impense dilexit eum ac reveritus est ex corde; secumque coegit ire Cæsaraugustam, ut interesset suæ solenni coronationi, quæ cum ingenti pompa et apparatu celebrata fuit anno 1413. Deinde venerunt ambo simul in oppidum Morellæ regni Valentini, ubi præstolabatur eos D. Benedictus XIII ad tractanda media pro extirpatione schismatis, quemadmodum jam supra diximus in Vita B. Bonifacii.

Deinde noster Franciscus interfuit Concilio Perpinianensi, indeque reversus est cum Papa Paniscolam et moratus est cum eo usque ad mensem Januarii, anno 1417. Tunc enim instantissime ac geminatis instantiis rogavit Pontificem ut facultatem sibi impertiri dignaretur revertendi ad Domum suam, quia defatigatus atque pertæsus erat usque ad summum tamdiu apud Principes sæculares et Curiæ confusiones versari. Quam petitionem Pontifex rationabilem judicavit, et pio affectu illi compatiens in senectute jam posito et laboribus et infirmitatibus confracto, præcepit in virtute sanctæ obedientiæ, ut in posterum carnibus vesceretur (quia etsi ratione sui status, videlicet Donati, eas manducare potuisset a tempore quo Ordinem intravit, propter tamen suam abstinentiam et vitæ rigorem et observantiam nunquam eas manducaverat). Priori quoque præsentis Domus mandavit Papa, ut carnes ei ministraret vel ministrari faceret, non obstantibus Ordinis nostri Statutis carnium usum seu administrationem stricte prohibentibus. Tenor autem Bullæ, quam super hoc præbuit, talis est :

« Benedictus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Grata quamplurimum et accepta servitia, quæ dilectus filius Franciscus Aranda, Donatus Domus Portæ Cœli, Cartusiensis Ordinis, Valentinensis diœcesis, nobis et Romanæ Ecclesiæ fideliter ac ferventer impendit, merito nos inducunt, ut ad illa viscera intendamus, quæ eidem Francisco conspicimus fore opportuna. Cum itaque ipse Franciscus ad dictam Domum de nostri licentia revertatur, ac eidem attenta suæ personæ dispositione, ut carnibus vescatur in virtute sanctæ obedientiæ præceperimus, etc. »

Eodem ipso anno, mense Novembri, in Universale Concilio Constantiensi electus fuit in Pontificem Maximum Martinus VIII, et reveritus et habitus est ut verus et indubius Papa a tota Ecclesia Catholica. Quod videns noster Franciscus scripsit Benedicto moranti Paniscolæ, ut desineret jam vocari Papa et obtemperaret determinationi et electioni canonicæ in Concilio factæ. Sed licet multis rationibus et precibus

hoc ei suadere tentaverit, nihil tamen profecit : nam in sua obstinatione et obduratione perseveravit usque ad mortem. Quapropter Franciscus noster illum deseruit et abalienavit se ab eo in perpetuum. Et optata cellæ et solitudinis quiete et pace fruens, totus exercitiis spiritualibus occupabatur, die nocteque chorum et actus conventuales sequens, ac in omni virtute et sanctitate cunctis Fratribus exemplar perfectissimum ex se præbens : per viginti annos quibus supervixit, nunquam a terminis Domus pedem extrahens. Et per id tempus composuit quamdam formam seu methodum Confessionem faciendi (quam penes me habeo) tanta claritate et distinctione partitam, ut in eo perspicue appareat virum illum esse spiritualem ac gratia Dei plenum.

Beneficia, quæ præsens Domus per hunc famulum Dei assecuta est, tanta extiterunt, ut potius Fundator aut restaurator ipsius dici queat, quam Benefactor. Industria enim illius constructi fuerunt lapidei arcus, per quos aqua e vicino monte influit in monasterium, 944 palmorum longitudine et 75 altitudine, opus certe insigne. Claustrum majus reparavit, et minus a fundamentis instruxit; vineam in grangia Turris ipse plantavit, et cisternam fodit. Lavatorium Conversorum et cellas Courrerii et Conversi pistoris ac tres alias pro monachis juxta claustrum minus ipse construi fecit. In arca communi servari jussit in deposito ducenta scuta pro necessitatibus occurrentibus. Ipsius intuitu multi Reges concesserunt Domui larga privilegia. Et Pontifex Benedictus univit seu incorporavit in perpetuum monasterio decimales fructus villarum Ondæ et Burrianæ. Et alia multa bona per illum nobis venerunt, quæ longum esset narrare. Hæc autem summatim dixi ne ingratitudinis argui possim.

Nec tantum circa nos ejus largitas et magnificentia enituit, sed et illuxit etiam circa pauperes verecundantes suæ civitatis Terulensis. Nam pro sustentatione et subsidio illorum, dimisit in administratione salinas Armillarum, quas illi dono dederant rex Aragonum Martinus et regina Maria, disponens ut redditus ipsarum quotidie per unum presbyterum sæcularem distribuerentur ipsis egenis in capella S. Mariæ, ubi sunt sepulti parentes ejus. Et ut fertur, dicti annui census summam quatuor millium scutorum singulis annis faciunt : quod revera est sustentaculum ac remedium quam plurium indigentium honorabilium, nam juxta qualitatem et indigentiam cujusque personæ singulis partitur. Quapropter ejus memoria in dicta civitate in tanta benedictione est, ut nemo nominet eum simpliciter Franciscum Aranda, sed Beatum vel Sanctum Franciscum Aranda. Et quotannis in mense Augusto fit in ecclesia majori pro eo unum solenne Anniversarium cum assistentia totius Reipublicæ et publica concione de ipsius laudibus

et præconiis, et in quibusdam locis est depictus in tabulis.

In reliquo vitæ suæ nihil amplius notatu dignum reperi, nisi quod anno 1426 venit huc invisere eum ac suis orationibus se commendare Rex Alfonsus; et anno 1435 visitavit ipsum Regina Maria prædicti Regis conjux. Sed cum jam, anno 1438, senio esset confectus (nempe 92 annorum, ex quibus quadraginta laudabiliter et exemplariter vixit in Ordine), et fatigatus esset multis infirmitatibus, volens jam Deus tanta fidelia servitia et labores propter honorem suum et Ecclesiæ pacem impensos remunerare, permisit ut dolores in dies augerentur et crescerent. Quapropter, receptis summa devotione Sacramentis, et Fratribus suis ultimum vale dicens, in senectute bona, die S. Martini, animam Creatori reddidit. Et antequam obiret fertur dixisse Fratribus circumstantibus : « Etsi, Patres mei, aliquas eleemosynas et redditus procuraverim vobis, multo plures potuissem adipisci; sed consulte non curavi, quia odor sanctæ paupertatis redolet suavissime inter Religiosos Cartusienses. »

Videntes autem dicti Religiosi tanto Patre esse orbatos, talique socio privatos, tam insigni benefactore destitutos, qui, dum vixerat, prudentissimis consiliis eos informabat, religiosis exemplis ædificabat, et largissimis eleemosynis sustentabat (nam revera per quadraginta annos extitit columna et fulcimentum hujus Domus), flebant lachrymis irremediabilibus; et post Sepulturæ Officium sepelierunt eum cum habitu Conversorum in cœmeterio monachorum, et super ejus sepulturam imposuerunt pergrandem lapidem, qui permanet usque modo.

Jam paulo ante dixi quanta devotione prosequebatur hunc Dei famulum civitas Teruli, unde extitit oriundus, vocitando eum Beatum; nunc autem et hoc adjiciendum judico quod, anno 1608, mense Maio, universa illa Respublica misit ad hanc Domum doctorem Vernegal Canonicum, ut ipsius nomine rogaret Conventuales quatenus dignarentur permittere, ut corpus ejus aut aliqua principalis pars a nostro cœmeterio transportaretur in illam civitatem, ad collocandum eum in aliquo sepulchro honorificentissimo juxta magnam suam devotionem, offerentes, si hoc permitterent, largam quamdam eleemosynam Domui esse daturos. Sed Conventuales nullo modo voluerunt assentire postulationi : nam si illi tantopere optabant eum apud se tenere, et nos quoque plurimum gaudemus apud nos ipsum habere, sperantes ejus orationibus adjuvari coram Deo.

Hactenus Vita Francisci de Aranda descripta a Joanne Baptista Civera. Cujus ipsissima verba dedimus, nonnullis tamen prætermissis, quæ in sanctitatis et existimationis Francisci argumentum refert quorumdam testimoniis.

HENRICUS VAN DEN HEETVELDE

CONVERSUS BRUXELLENSIS

Nobilis Bruxellensis; quadragenario major recipitur ad Ordinem, anno 1456, primusque Cartusiæ Bruxellensis Conversus emisit professionem, anno 1460, die 6 Junii. Excessit e vita anno 1472, die 11 Novembris, relicta sanctitatis opinione.

De eo Chronicon Cartusiæ Bruxellensis meminit his verbis : « In festo S. Martini, anno 1472, obiit Frater Henricus Van den Heetvelde, Conversus hujus Domus, qui multa legavit nobis ante professionem. Fuit enim dives et nobilis in sæculo, et annos quasi quadraginta intravit in Ordinem : vir simplex et pius, multa passus ex calculo et icteritia. In extremis agens, postquam Extremam accepisset Unctionem, Sanctos, erga quos magis affectus fuerat, cœpit invocare, pie ac mira simplicitate querens cur tamdiu tardarent venire in ejus adjutorium ; Deoque sæpius gratias agebat, quod ei concederet in tali eremo vitam finire. Post ejus mortem corpus, quod in ejus vita glaucum per totum fuerat, album et pulchrum apparuit. De eo præterea narratur, quod post mortem D. Ludovici Prioris Divionensis in hac Domo sepulti, eum viderit tempore Matutinarum juxta aram Sanctæ Crucis, idque constanter affirmabat prædictus Frater. »

BASILIUS DE LA RICCIA

PRIOR ROMÆ

Vulgo dictus de Urbino, ex oppido Ripæ Massanæ, diœcesis Ariminensis. Sic se inscripsit in schedula suæ professionis, quam emisit primo in Domo Caprearum, 1 Februarii, anno 1528; secundo vero fuit professus Domus Romæ, et dictus est communiter de Urbino. Ex Convisitatore et Priore Domus SS. Stephani et Brunonis, anno 1560, transfertur ad Domus Padulæ moderamen. Fuit in rebus agendis non minus idoneus, quam accuratus et diligens; unde usque ad Scotiæ regnum delegatus est ab Ordine, ut Domum Vallis virtutum inibi sitam visitaret, antequam ab Hæreticis solo æquaretur. Anno 1561 iterum fuit Prior Romæ, et anno 1567, ex Priore Domus Romæ fit Visitator et Prior Domus Padulæ; deinde post unum annum ordinatur Prior Neapolis usque ad annum 1570, quo tertio fuit Prior Romæ : quo in officio decessit, anno 1572, die 11 Novembris.

Vir plane doctus ac memoriæ singularis, omnia fere SS. Augustini, Basilii, Leonis et Ambrosii volumina memoriter tenens, Quintiliani, Horatii, Virgilii et multorum Poetarum et Philosophorum sententias, quas ipse in uno libro collegerat, habebat in promptu. Hic, præter miram eruditionem et vitæ integritatem, magna fuit exornatus humanitate, pietate, clementia et religione. Semper enim divina meditabatur; bis

in die septem Psalmos Pœnitentiales persolvebat cum Litaniis, semel pro suis, iterum pro alienis delictis Deum humiliter deprecans.

Tanta virtus omnium illi conciliabat amorem et venerationem ; unde Romæ in existimatione magna erat. Domui S. Crucis in Urbe novemdecim annos præfuit laudabiliter, monasterio S. Mariæ Angelorum ad Thermas Diocletiani, octo annos, vicibus interpolatis. Totus incumbebat in eleemosynis erogandis ac pauperibus enutriendis, quorum Pater passim nuncupabatur. Nec minus erga suos sollicitus, Religiosos sibi commissos consolabatur, paterna eisdem exhibens viscera. Si quos autem tristes aut torpentes deprehenderet, iis animos addebat dicens : *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Tandem senio et febre exhaustus, pientissime in Domino obdormivit. *Ex Manuscriptis.*

JOANNES DE LA TORRE

VICARIUS GRANATÆ

Professus de Paulari ; diu functus officio Procuratoris in Domo Granatæ, ibidem sancte diem extremum clausit, anno 1670, die 11 Novembris, agens Vicarium; transactis in Ordine 49 annis summa cum laude, ob assiduitatem in chori frequentatione (ubi semper ad extremum usque adfuit), zelum observantiæ regularis cum insigni benignitate et charitate conjunctum, silentii, solitudinis et orationis amorem : quibus inter religiosiores Cartusianos jure merito est annumerandus.

Ex Manuscriptis.

XII DIE NOVEMBRIS

JOANNES STOTEN

DONATUS CAPELLÆ

Vir eximiæ religionis, et conversationis multum exemplaris; qui, ad patientiæ segetem, circa vitæ finem cæcitate perculsus, cum æquo animo jacturam oculorum tulisset, meritis dives ad Deum migravit circa festum S. Britii, anno 1472. Vixerat in Ordine quinquaginta circiter annos.

Ex Chronico Capellæ.

JOANNES GERULPHUS

VICARIUS LOVANII

Professus anno 1561, die 5 Februarii, multos annos Sacristæ munus obivit. Anno 1579 institutus Vicarius, in hoc officio decessit, anno 1605, die 12 Novembris. Vir fuit pacificus, humilis, austeræ et sanctæ vitæ; multum celebris ob singularem eruditionem.

Hujus meminere Andreas et Swertius, qui male refert ejus obitum ad 12 Augusti.

LAURENTIUS MONTECATINUS

MONACHUS FLORENTIÆ

Humilitatis, reliquis præ virtutibus, studiosissimus; ideo nobilis Ferrariensis Patritius sanguinis splendore olim in sæculo clarus, claustrali deinde absolutissima vitæ ratione illustrior, radiantior autem splendidiori meritorum corona, qua redimitur anno 1663, pridie Idus Novembris.

Ex Kalendario Domus Florentiæ.

XIII DIE NOVEMBRIS

JOANNES ROTLOS

PRIOR ERFORDIÆ

Alumnus hujus monasterii; postquam Cartusiam Hildesii per aliquot annos multa animi industria et dexteritate administrasset, anno 1413 evocatus ad moderamen Erfordiæ, prudentia, rerum agendarum peritia pollens, inter suos prædecessores tam domi quam foris facile fuit primus. Cum autem, de hac Domo ultra annos 30 optime meritus, ætate ac senio gravis, multa opera egregia perfecisset, Domumque sibi commissam summa dexteritate, religione ac pietate rexisset, tandem supremam manum quasi brevi operibus ac suæ administrationi impositurus, hoc quod sequitur religiosum facinus quasi loco coronidis adjecit.

Monasterium Monialium in Hassiæ partibus situm fuit, dictum sive ab ipso Fundatore sive a suis propriis hospitibus Mons S. Joannis Baptistæ in Vogelsberg. Construxerat id D. Landgravius Hassiæ, anno 1442. Alumnæ autem moniales, brevi tempore quo id inhabitaverunt, cum inordinate et prodigaliter vivendo totius pene monasterii bona mobilia et immobilia consumpsissent, præfatum monasterium, ne penitus interiret, sacro Ordini nostro et præfato Priori dono obtulere: quod ipse, qua decuit animi gratitudine, licet contra morem et formam Statuti, tamen acceptavit. Et statim paucis secum assumptis de sua Domo, tribus personis aut quatuor, desolatum monasterium ad formam Ordinis exstruere cœpit; effecitque solerti industria et labore, ut rebus omnibus ad amussim compositis (vixerant enim Patres nostri ibidem multo tempore in magna paupertate, penuria et patientia), tandem pristino restitueretur splendori, Ordinique fuerit incorporatum anno 1446. Cum autem Joannes filios suos in hac novella plantatione inviseret, ibidem adversa correptus valetudine, sancte decessit, anno 1448, die 13 Novembris.

Ex Chronico Cartusiæ Erfordiensis.

GASPAR SCHLIDERER

PRIOR BUXIÆ

Nobilis a Lachen; ecclesiarum Cathedralium Augustanæ et Spirensis Canonicus, laxioris vitæ tædio rigorem Cartusianum amplectitur Friburgi, anno 1569. Ubi tam pie sancteque fuit conversatus, ut, anno 1574, ejusdem Domus Prior institueretur, ob prudentiam, discretionem, fortitudinem, zelum sanctum (his etenim verbis laudatur a R. P. Bernardo Carasse). Translatus ad Buxiæ et Provinciæ Alemaniæ Inferioris gubernaculum, dum vigilantissimi Pastoris munus obiret, naturæ debitum persolvit, anno 1585, 13 Novembris.

Ex Chronico Buxiæ.

JOSEPH GAUDINUS

PRIOR CAPRI

Patria Capuanus; anno ætatis vigesimo sexto habitum Religionis suscipiens in Domo Capri, anno 1613, die 29 Novembris; post emissam professionem ipso S. Andreæ apostoli festo, tanta vitæ sanctimonia effulsit, ut vestium ejus jam ad beatam immortalitatem translati contactu, quidam Frater Conversus a lepra fuerit curatus. Decessit in Domo præfata, anno 1640, die 13 Novembris, cui olim præfuerat, et Cartusiæ Romanæ.

Ex Mss. Capri.

LEO TIXIER

PRIOR MAJORIS CARTUSIÆ

Ex Marchia Lemovicensi, pago dicto Felletin, oriundus; vota monastica nuncupavit sub R. P. D. Brunone Majoris Cartusiæ Priore, anno 1600, in ipsa Sanctorum Omnium die natalitia. Datus in Vicarium Cartusiæ Rothomagensi, cum per aliquot annos vivum Cartusiensis numeris omnibus absoluti simulachrum appareret, anno 1616 præficitur Cartusiæ Divionensi. Anno 1620 assumptus ad regimen Cartusiæ Lugdunensis, tanta ob vitæ suæ sanctimoniam apud cives gratia polluit, ut multi se se huic monasterio beneficos exhibuerint. Demum cum per universum Ordinem nostrum virtutum Leonis fragrantia diffunderetur, insignique morum suorum suavitate, affabilitate et haud vulgari pietate monachorum Cartusiæ benevolentiam simul et existimationem conciliasset, sublato e vivis R. P. D. Justo Perrot, die 20 mensis Julii, anno 1643, ad summam Ordinis Præfecturam evectus, spiritum Deo reddidit, anno 1649, die 12 Novembris, qua decessit post Completorium; unde juxta morem Ordinis ejus obitus signatur ad diem 13 ejusdem mensis.

In Charta Capituli generalis ubi ejusdem obitus describitur, hoc brevissimo cohonestatur Elogio : « Cui (videlicet Ordini) raro solidæ virtutis exemplo præluxit, singulari prudentia et gravi

authoritate præfuit totos sex annos. » Multum celebratur Leonis virtus in singulis Capitulorum, quæ sub ejus regimine indicta fuerunt, Chartis; coadunatique Patres eumdem rogant, ut sibi temperet a jejuniis.... etc.

Ejus etiam Elogium extat in tabula RR. PP. Generalium his verbis : « R. P. Leo Tixier ex Marchia Lemovicensi, professus Cartusiæ, cujus voto communi ex prælatione Lugdunensi assumitur anno 1643 : trium fratrum Cartusianorum medius, in quo virtutes omnes, moderatio præsertim regiminis et prudentia in disponendis, medium invenere suum. Verum charitas qua in Deum et proximum ferebatur, mundum illi subditum sacro tradidit incendio; in quo et ipse divinis mente affixus, inter acutissimos corporis dolores (magno Ordinis luctu) sancte obiit, anno 1649, 13 Novembris. »

RENATUS DE LILIA

MONACHUS DIVIONENSIS

Vitam professus monasticam anno 1628, 22 Julii, sancte vixit, sanctius moritur anno 1669, 13 Novembris, ætatis 67 : vir ob inculpatos mores, humilitatem, sui despicientiam, mansuetudinem, observantiæ zelum, paupertatis strictissimæ studium, charitatem in omnes maxime in ægrotos, comtemptum mundi, mentem Deo adhærentem semper, exemplarem vitam, custodiam oris, laudatissimus. Ipse enim per 42 annos delitescens in foraminibus petræ et in caverna maceriæ, quomodo Christo Sponso placeret studere non destitit.

Enimvero Dominus ipse confixerat timore suo carnes ejus et cor, ut, a judiciis divinis Renatus timens, levissimi peccati animæ pulchritudinem deformantis labem perhorresceret, et salutem suam cum timore et tremore operaretur. Sic igitur memor Dei judiciorum scrutaturi Jerusalem in lucernis, terribilisque in consiliis super filios hominum, laborabat per singulas noctes in gemitu suo, ut, conscientiæ rimas scrupulose investigans, vel minimos deprehenderet nævos, et copiosis lachrymarum baptismatibus purgaret se, suum rigaret lectulum, nitereturque ut anima sua nec maculam haberet neque rugam, sicque eam in illa die Christus Patri suo posset exhibere immaculatam. Unde addictissimus erat orationi et rerum cœlestium contemplationi, eaque devotione Horas Canonicas recitabat, talique reverentia, pietate, recollectione, præparatione, sacra peragebat Mysteria, ut nemo magis. Verum cum se tanto muneri haud satisfecisse crederet, continuis scrupulorum stimulis lancinabatur, Deo sic ordinante, ad ipsius meriti cumulum.

Non ita tamen vacabat spiritualibus exercitiis, quin tempus in sacris etiam Voluminibus evolvendis impenderet. Apprime siquidem imbutus Philosophia

et Theologia, non inde inflabatur; sed factus humilior et minor in oculis suis, si quando, quod raro tamen, cum hominibus colloqueretur, tam urbanus, tam affabilis, tam moderatus apparebat, ut qui Renatum conveniebant, dicerent recedentes : « Christi bonus odor est Cartusianus ille, et vere Israelita. » Mentem siquidem condiebat suis colloquiis, eructans ex thesauro cordis sui verbum bonum. Detractionis osor maximus. Nemo etenim de absentibus male loqui audebat coram illo, qui delinquentium intentionem sciebat excusare. Et quamvis esset mitissimus et humilitate præcelleret, sua nihilominus præsentia minus observantes coercebat in officio.

Sic quasi lilia candore suo, columbina simplicitate, et serpentina prudentia, bene olens; quasi lilia, inquam, quæ sunt in transitu aquæ, et quasi thus redolens in diebus æstatis, virtutum suarum suffitu et odore totam Domum implens; in solitudinis secreto sicut palma florescens, suis diebus multiplicatis, ibi tanquam in nidulo suo, ex bonorum operum aromatibus constructo, mortuus est.

XIV DIE NOVEMBRIS

HENRICUS STERNEBERG

PROTOPRIOR COLONIÆ

Vir non minus pietate in Deum, quam in rebus agendis industria clarus; utpote qui tantam tamque laboriosam et difficilem provinciam circa monasterii augmentationem sustinuerit, ut, sive prospera sive adversa spectes, quæ ipso clavum tenente multa et varia acciderunt, electum a Deo esse credas, qui per dubias et turbulentas tempestates navem hujus pusillæ Domus dirigeret ad portum salutis. Ab officio exauctoratus paulo ante obitum, pie decessit anno 1370, die 14 Novembris.

Ex Chronico Cartusiæ Coloniensis.

CATHARINA BULS

MONIALIS BRUGIS

Hæc velut Angelus Domini ob vitæ puritatem apparuit in hac Domo; Christi Crucifixi meditatione jugiter animam suam reficiens, tanquam columba requiescebat in sacri Corporis ejus foraminibus, ubi tantum hauriebat lumen, ut Librum a viris doctis approbatum composuerit. Post exactam in observantia regulari vitam, diabolus adfuit animam agenti, de salute ejus esse conclamatum asserens. At illa omnem in Deum projiciens sollicitudinem, innixaque super Passionis Salvatoris nostri meritum, ab omni fluctuatione animi

liberatur. Quod cernens diabolus, arrepta fuga, dirum post se in cubiculo reliquit fœtorem. Sed statim accessit Jesus Christus protendens sanguinolentam manum clavi vulnere sauciam, hoc signo quasi dicens : « Non habes quod timeas, filia. Ego pro te abunde satisfeci. » Tandem post dulcia colloquia hanc suam sponsam ad se invitavit; dicens : « Hodie mecum eris in gloria. » Quod et contigit; nam paulo post expiravit, die 14 Novembris 1438.

Ex Mss. hujus Domus.

ANTONIUS FLESCHEL

PRIOR MONTIS DEI

Oriundus ex viculo quodam dicto la Vaquerie, juxta Bretolium, in diœcesi Ambianensi; lacerna Cartusiensi, anno 1525, Noviomi indutus, ibidem factus est Vicarius anno 1539, et anno 1540 Procurator, a quo tamen officio absolutus fuit anno sequenti propter suas infirmitates. Ubi vero arrisit aliquantula sanitas, missus est Prior ad Montem Dei per Capitulum generale anni 1549. Exauctoratus est postea, anno 1554, ad suam instantiam, causatus suam valetudinem adversam. Cum circa vitæ declivium, morbis attritus, in cella lecto affixus jaceret, mensibus aliquot antequam cursum absolveret, aliquid humanum faciente diabolo passus est.

Cum enim improbus dæmon se nihil in eo vendicare posse ob sanctam et exemplarem ejus conversationem conspiceret, statuit stratagemate aliquo pium Patrem ludificatum in retia sua concludere. Nam tres aut quatuor dæmones in specie Doctorum Sacræ Paginæ una dierum circa vesperum ad eum ventitant. Quo tempore tum Joannes Billius Prior Montis Dei aberat, in seram noctem tantum rediturus; necnon et famulus, qui ægroto assidere solebat, tum forte paulo post reversurus secesserat, et quamvis statim redire ad ægrotum constituisset, præpeditus a dæmunculo aliquo, nunquam potuit, sicut postea ipse testificatus est. Quatuor ergo nigræ paginæ Doctores Antonium salutantes, de valetudine rogant. Ille vero mente et animo sanissimus (nam paralysi tantummodo tactus decumbebat), cum existimaret Billium Priorem, utpote charitativum Patrem, hos ad se Doctores consolationis gratia misisse, respondit quomodo se tunc haberet, subdiditque se sperare brevi ad Deum per mortem profecturum.

Tum illi : « Hoc vere credimus, Pater; cum enim vita sancta fuerit et tot malis cribrata, fieri non poterit, ut mors mala subsequatur. » — « Ita est, respondit unus ex quatuor, dummodo ea opera optima et vera fide fulciantur : quod raro invenitur, dum præsertim agitur de fide circa Eucharistiæ Sacramentum, in quo etiam doctiores sæpissime hallucinantur. » Alii vero

Doctores illi, qui inter se sicut nundinarii latrones consentiebant, cœperunt inter se disputare de Sacramenti realitate, aliis affirmativam, aliis negativam asserentibus, argumentis ita validis, ut nunquam talia fuerint audita. Tandem disputationi finem imponentes, conveniunt ut de cætero pro fabulis tenerent quicquid pro realitate in partem contrariam astrueretur. Ægrotus itaque qui inter argumentationum jacula siluerat, vi et ponderi eorum attentus, cœpit et ipse circa Eucharistiæ fidem vacillare, videns tam eximios Doctores manus dedisse, et tandem inter se uni sententiæ conspirasse. Illis vero abeuntibus seu potius evanescentibus, remansit semihæreticus, ut ita dixerim.

Tum Prior Domum reversus, ægrotum visitat; cui statim Antonius conqueritur, quare in ejus cellam Doctores immisisset ad eum affligendum. Cumque Billius nesciret quid sibi exprobraret ægrotus, subintulit ille : « Ecce modo egressi sunt a me aliqui Doctores, qui coram me de Eucharistia disceptarunt ad invicem, et mihi de errore, in quo prius eram de Eucharistiæ realitate, instructionem dederunt. Proindeque jam valeat Missa, Missæque universi ritus et ceremoniæ! nam his interesse amplius nolo. » Hæc audiens Prior quæsivit a custode famulo et ab aliis domesticis, an aliqui Ecclesiastici viri Antonium illa die visitassent. Cumque nullum eo die advenisse ad Domum audiisset, subodoratus statim dæmonum calliditatem, multis egit, ut ægrotum ad saniorem mentem reduceret. Cumque circa obstinatum nihil proficeret, accepto consilio, vi uti decrevit.

Ægrotum namque, vellet nollet, per singulos dies in sella gestatoria deportatum Missæ interesse coegit; quod etsi horreret, et dum Hostia Sacra elevaretur averteret oculos, quia tamen paralyticus erat et inutilis corpore, obedire compellebatur aliquatenus. Verum post aliquot dierum intervalla, Ille qui olim respexerat Petrum abnegantem, respexit et hunc. Nam cum pro eo preces multæ fusæ fuissent, tandem errorem suum cognovit, quo diabolo argumentationibus validioribus victus consenserat. Tum deinde peccatum et ignorantiam verbis detestatus, et lachrymis plurimis jugiter implorabat Dei misericordiam, et a cunctis Fratribus, quos scandalo dato offenderat, veniam deposcebat. Et antequam a Deo vocaretur, omnibus Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis rite susceptis, in pace, pie et religiose coram adstantibus monachis in Domo Montis Dei animam emisit, anno 1571.

Cujus obitum Franciscus Ganneron signat in suo Martyrologio Cartusiensi ad diem 14 Novembris. Bertrandus Morel, Exprior Montis Dei, morum probitate spectatissimus, loquens de Antonio eum vocabat justum et sanctum virum.

Ex Chronico Montis Dei.

XV DIE NOVEMBRIS

HUMBERTUS

PRIOR SANCTI SULPITII

Monachus Ordinis Sancti Benedicti, approbante Cluniacensium Præfecto Domum S. Sulpitii in diœcesi Bellicensi constructam tradens Cartusianis, eorum Institutum sectatus est. Hujus monasterii Prior institutus, magna vitæ sanctimonia præluxit gregi sibi commisso. R. P. Guigo Cartusiensem familiam præclaris stabiliens legibus, Statuta dedicavit Humberto, uti videre est in Prologo *Consuetudinum,* qui sic incipit : « Amicis et Fratribus in Christo dilectissimis Bernardo Portarum, Humberto Sancti Sulpitii, Miloni Majorævi, Prioribus, etc. » Translato autem ad beatam immortalitatem Humberto istius eremi Priore circa annum 1140, reliqui Religiosi, dimisso rudi Cartusiensium panno et austera vivendi forma, ad primum statum redierunt et ad sæculares fere mores deflexere.

Ex Historia ms. Ordinis Nicolai Molin.

URBANUS FLORENTIA

PRIOR SS. STEPHANI ET BRUNONIS

Professus hujus Domus, et alias ibidem Prior, et Clarimontis. Statutorum observantissimus fuit et summa præditus pietate, simplicitatis Cartusianæ et rusticitatis amantissimus. Nonnullos Tractatus pietatem ejus et devotionem sat denotantes conscripsit; et feliciter e vivis excessit, anno 1640, die 15 Novembris, posteaquam sexaginta annos laudabiliter exegisset in Ordine. Dum Priorem ageret in Domo SS. Stephani et Brunonis, attulit ad Capitulum generale unum ex Ossibus S. P. N. Brunonis.

SIMON NONVILLA

VICARIUS SCALÆ DEI

Natus ex oppido de Oliana, Episcopatus Urgellensis; vota monastica nuncupavit anno 1599, die 4 Julii. Primum Sacristæ, deinde Coadjutoris, postea Correrii, tandem Vicarii munus obivit. Quamvis austerus admodum appareret, summa tamen affabilitate morum

et in omnes charitate præditus erat. Si quos tristes, tentatos, afflictos aut animo dejectos offendisset, in iis consolandis atque sublevandis materna viscera effundere videbatur, nullique parcebat operæ, donec eorum excussisset tristitiam. In sedandis etiam conscientiæ scrupulis magna pollebat industria.

Statutorum erat observantissimus etiam in minimis, sciens, quod qui spernit modica paulatim decidet; unde semper sollicitus erat circa sui custodiam, ne Cartusiensis Instituti leges violaret. Divinis semper intererat Officiis, singulaque obibat munia, licet ætate et infirmitatibus gravaretur : pius senex legebat in ordine vicis suæ in refectorio, statis a Sacrista diebus verrebat ecclesiam, et se se demittebat ad viliora quæque ministeria. Vir integerrimæ probitatis, sincerus et sine fuco, et minime personarum acceptor, libere loquebatur : quæ quidem illi amplam patientiæ segetem subministrarunt.

Per id temporis Cataloni, qui a Rege Catholico desciverant, se se subjecerant Francorum dominio. Una dierum Præfecti seu administratores Regis Galliæ Simonem annis et infirmitatibus attritum e monasterio Scalæ Dei extraxerunt, causati quod ille staret semper a partibus Regis Hispaniarum; equoque impositum deducentes in oppidum de Mugeriegas, sisterunt domino a Sancta Columba, arcis de Flix gubernatori, qui senem verbis exceptum durioribus eliminavit e provincia. Moderator Illerdæ cunctusque Nobilium ordo perhumaniter exulem suscipientes, ipsum apud se detinuerunt, minimeque permisere ut progrederetur ulterius : apud omnes in magna erat existimatione, ob vitæ illius sanctimoniam.

Porro suum patientissime tulit exilium. Cumque discipulus quidam Simonis motus compassione lachrymas funderet, mox ille afflictum consolans, ait : « Num Dei nosti consilia ? Forsitan sapientissimus rerum humanarum Moderator voluit me in hunc venire locum ad majorem ipsius gloriam et ad profectum animarum quarumdam spiritualem. » Hujus vaticinii veritatem eventus comprobavit. Nam in hac Illerdensi civitate, præclaris vitæ suæ exemplis, multos milites ad frugem revocavit meliorem, piisque ac salutaribus monitis illos impulit ad Confessionem peccatorum piacularem, plurimosque ejus urbis incolas ad Dei cultum et amorem excitavit.

Contigit in præfata civitate res haud vulgaris. Quidam civis cum filium suum et ejus uxorem recentes conjugatos eliminasset ab ædibus suis propter dissentiones nonnullas domesticas; filius, patri suo reconciliari et in ejus amicitiam redire desiderans, in istam pacificationem multos viros tum nobilitate tum pietate spectabiles, ipsumque etiam Simonem frustra interposuerat. Obsurdescebat etenim pater ad amicorum et Magnatorum preces, dicens quod, cum id Simoni denegasset, nul-

lus esset qui rem ab eo posset impetrare. Tunc Religiosus senex, pacis inter filium et patrem consiliandæ studiosissimus, post ardentissimas in conspectu Altissimi fusas preces, aqua lustrali et aspergillo munitus pergit ad civis irati domum. A quo urbane exceptus, tacitus cubiculum ingreditur; moxque arma spiritualia, quæ secum asportaverat, arripiens, recitat exorcismos, cunctis inexpectatam hanc ceremoniam mirantibus. His peractis, Simon breviter de concordia disserens, ita efficaciter locutus est, ut filium cum suo patre reduxerit in gratiam.

Abbatissa monasterii S. Hilarii Ordinis S. Bernardi et Moniales, quæ conspexerant Simonem sacra Mysteria celebrantem, testatæ sunt se vidisse manantes ex oculis illius præ devotionis sensu lachrymas, et e terra orationis vi sublatum. Discretionis spirituum dono ditatus, multa divinitus cognoscebat. Unde aliquando cujusdam Provisoris exercitus intimas penetravit cogitationes.

Degebat Barcinonæ quædam insignis Dei famula, Mater Maria a Sanctissima Trinitate, fundatrix Monialium S. Francisci de Paula, divinis exornata charismatibus. Audiens Simonem nostrum pollere discretione spirituum, statuit pio Patri conscientiæ suæ et animi recessus patefacere. Cumque aliquamdiu eidem suam mentem aperuisset, dixit cuidam Religioso fide dignissimo, se plus ex litteris Simonis profecisse, quam ex colloquiis quæ habuerat cum peritioribus quibusve vitæ spiritualis magistris. Hæc autem perspicacissimos et in Theologia mystica versatissimos hujus provinciæ viros consuluerat.

Singulari gratiæ dono venerandus hic Pater illustratus, urgente proximos adjuvandi desiderio, salutaria impertiebat consilia : nullum laborem declinans, modo illos, qui eum adibant, incitaret ad honestatis studium, et in recto vivendi cursu dirigeret. Ejus piis conatibus favebat Deus, dum Satanas, quem Pater vocabat *porriginosum,* invidia tabescens, totis viribus resistebat. Die relaxationi dicata, juxta radicem montis decumbebat aliquando Simon, qui tunc agebat Novitiorum Magistrum, circumvallatus discipulorum agmine. Cumque de rebus bonis solitos misceret sermones, adfuit etiam inter filios Dei diabolus. Tunc fragores excitat, conjicit in piam turbam lapides, tantumque strepitum edit, ut montem dixisses corruisse. Verum ad hæc stans Simon immobilis, bellumque diaboli subodoratus, ait circumfusis monachis, ut bono animo essent; statimque ad hostem conversus, dixit : « Te inulto, porriginose, Deo juvante, institutum sermonem non interpellam. » Paulo post conquievit strepitus non sine circumstantium admiratione.

Ea erat verborum illius vis et efficacia, ut nemo tentatus aut afflictus, tristis ab eo discederet. Quidam Conversus tyrocinii tempore, Religionis gravi

affectus tædio, ad sæculum redire habitumque dimittere cogitabat. Qui ad cellulam Simonis confugiens opportuna ab eodem petiturus remedia, mox ut appropinquavit ad ejus ostium, ita sensit dissipatam tentationem, ut lætus et alacer, Deo gratias agens, ad injunctum sibi laborem redierit.

Multa præsagiit, quæ postea contigere, sicuti deditionem arcium ad confinium Cataloniæ, capturam ducis Baltazaris, qui cum equitum turma tractum Illerdensem devastabat. Multas etiam calamitates, quæ Scalæ Dei impendebant, prædixit. Nepotem suum, quem nusquam viderat, denunciavit vestem monasticam in hac eremo suscepturum esse : qui nunc ibidem versatur promotus ad Sacerdotium. Suæ mortis etiam præscius, multoties significaverat se anno 1650 ex hac mortali vita migraturum. Cumque vegeto adhuc corpore appareret, dixit asceta quidam hujus monasterii : « Absit hoc, Pater, nam salvus et incolumis es. » Cui Simon subjunxit : « Nondum hic annus est revolutus. Crucifixus moriar. » Unde cum spatiabatur diebus relaxamenti, occurrente per viam Crucis vexillo, lepide dicebat : « Ista crux mihi convenit; illa non expedit mihi. » Hujus vaticinii veritatem passa a ministris exercitus Gallici persecutio comprobavit.

Joannes Alexander Nonvilla, Doctor medicus, Simonis nepos, periculose ægrotans in oppido de Oliana (quod distat a Scala Dei itinere trium dierum), ingravescente morbo, mandavit avunculum de periculo certiorem fieri. Bajulus litterarum Simonem conveniens nec quicquam locutus, nondum epistolam ipsi tradiderat, cum Pater, mali nuncii præsagus, dixit tabellario : « Amice, si citius advenisses, forsitan aliquid a Deo impetrassem ; verum non est jam sanitati recuperandæ locus. Cum Olianam redieris, defunctum nepotem meum reperies ; et in hujus rei argumentum, domum reversus, ad ostii limen exaudies uxoris familiæque ploratus. » Remeans igitur homo ille ad oppidum post triduum, jacentem in feretro mortuum vidit, qui mane e vivis excesserat.

Ipsa die qua Gallici milites Simonem e suo monasterio abduxerunt, noctem transegit in oppido de Cabaces, non procul a Scala Dei, a loci Curione hospitio exceptus. Cui valedicens Simon dixit : « Non me vivum amplius, sed mortuum videbis, cum post obitum ad Scalæ Dei Cartusiam meum cadaver deferri audies. » Res sic contigit. Dum Parochus turbam cernens aliquando prætereuntem, sciscitatus quid hoc esset, accepit Simonis fatis functi corpus transportari in suo monasterio tumulandum. Hujus vaticinii testis fide dignus Curio rem gestam multoties narravit.

Postquam autem strenue laborasset Dei servus, multosque Christo lucrifecisset, tandem ultimo morbo correptus,

devote Sacramentis ecclesiasticis munitur. Quibus perceptis, rogavit duos monachos, qui venerant Illerdam extrema morienti pietatis Christianæ officia persoluturi, ut tantisper recederent, quo commodius in silentio et solitudine Christo Salvatori gratias ageret. Post aliquod temporis spatium, unus e monachis ad infirmi lectum rediens, ipsum mentem in Deum suspensam habentem reperit. Moxque ægrotus inclamans, ait : « Sancte Augustine, sancte Augustine! » (Hunc semper impense coluerat.) Cui monachus respondit, ut bono esset animo, quodque non Illerdæ, sed in Scala Dei moriturus esset. Verum de exitu suo Simon divinitus certior factus, se ad omnia paratissimum significans, ex Illerdensi civitate sibi abeundum esse ad vitam meliorem asseruit; sibique sufficere dixit Divinæ voluntati obtemperare. Cumque monachus ad ægroti aures identidem susurraret *sursum corda,* pius Pater subjunxit semper *habemus ad Dominum*, donec, loquela deficiente, placidissimo mortis somno correptus, obdormivit in Domino, die 15 Novembris, anno 1650.

Rumore de illius obitu per urbem diffuso, irruit plebis frequentia, quæ certatim vestes et Simonis supellectilem sibi distribui petiit tanquam pretiosas Reliquias : illum etenim plebs ut Sanctum venerabatur. Perhonorificum fuit defuncti funus. In cujus laudes Religiosus quidam Societatis Jesu habuit concionem; qui, inter cætera mortui virtutes, dixit illum virginitatis florem servasse illibatum. In ipso sui obitus instanti D. Hieronymo Martin apparens, ejus imploravit suffragia. Sepultum corpus in Scalæ Dei cœmeterio, post aliquot annos integrum fuit repertum. Tanti faciebat Majorem Cartusiam, ut sæpius diceret Domos Ordinis in observantia regulari perseveraturas, quamdiu primariæ huic Eremo adhærerent.

Ex Vita ejus Hispanica a nobis Latine donata.

XVI DIE NOVEMBRIS

S. EDMUNDUS

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPUS

Anglus; in adolescentia missus Parisios, ut Philosophicis studiis et Theologicis, Gallicæque simul linguæ operam daret; ibique post felicia tyrocinia supremæ scientiæ laurea donatus et Professor constitutus, magna cum laude docuerat : in scholis disputator subtilis, in concionibus facundus orator, Divinæque gloriæ æmulator suo ævo præcipuus. Unde reversus in patriam

post Ordinem Sacerdotii susceptum, factus Sarisberiensis ecclesiæ Thesaurarius : ad concionandi munus se totum conferens, magnam partem comitatus Oxoniensis, prout etiam Glocestrensis et Wigorniensis peragravit, verbum Dei ubique prædicans. Quo ex labore magno fructu suscepto, ob Apostolicæ gratiæ insignia, agente Summo Ecclesiæ Pastore, favente Rege, eligente Clero, gratulante populo, ad archiepiscopalem sedem Cantuariensem evectus est.

In quo munere administrando præclare et eo quo decebat vigore sacerdotali cum se gereret, Regisque et regni Procerum qui Ecclesiæ libertatem labefactabant, Clericorum qui fœdabant dignitatem, libere impios ausus et sacrilegia insectaretur; ab iis undique impetitus, cum nec se nec Ecclesiam jam posset tueri, sibi ipsi exilium indixit, et Angliæ deflens ærumnas, in Galliam tutum piorum asylum (ubi sapientiæ puros latices primum imbiberat) transmigravit, atque ad Pontiniacum cœnobium fama sanctæ observantiæ conspicuum se recepit; ubi multa non modo legit, docuit, scripsit, sed fecit penitus admiranda : cum somni ita esset abstinens, ut brevissimo raroque admodum non in lecto, sed aut sedens, aut humi cubans, uteretur. Respondebat tantis vigiliis et victus ratio, qui parcissimus et tenuissimus erat, adeo ut ob humoris defectum et inopiam labra quasi finderentur, capitisque et barbæ pili defluerent. Hunc omnem vivendi rigorem augebat durissimum nodisque gravibus exasperatum undique cilicium.

At extenuato sic corpore alacriorem spiritum ad cœlestia erigebat vir Sanctus, quibus sanctissimis affectibus et suavissimis meditationibus hærebat defixus; donec tandem nimio celsæ mentis pondere attrita carne, e Pontiniaco ad Soliacum Prioratum migravit, ubi ad extrema deveniens, maximo cum pietatis sensu et fidei testificatione, Salvatoris adorando Corpore suscepto atque Sacræ Unctionis lenimento, dum in Cruce pendentis Christi vulnera deosculatur lachrymisque rigat, converso ad plagam lateris intuitu, sanctam animam in ejus devota exosculatione efflavit, anno 1240, die 16 Novembris. Viscera ejus apud Soliacum in pignus memoriæ venerandæ retenta sunt; quæ tamen deinde apud Pruvinum in ecclesia S. Jacobi fuere ampliori honore recondita. Corpus vero Pontiniacum relatum, qua par erat reverentia exceptum atque tandem honorificæ sepulturæ (coruscante interim Dei gloria) mandatum est.

Ejus Vita fuse descripta extat apud Surium et alios rerum Anglicanarum Scriptores : qui tamen silentio prætermiserunt S. Edmundum vixisse inter Cartusianos. Ex Nostris fuisse S. Edmundum colligere est ex Historia manuscripta Ordinis Cartusiensis D. Nicolai Molin, et ex probationibus Historiæ Sabaudiæ Guichenonii, ubi in hujus rei argumentum a præfatis au-

thoribus describitur quædam epistola, qua constat S. Edmundum saltem aliquamdiu sectatum fuisse Cartusiense Institutum. Hæ literæ submissæ fuerunt a R. P. Hugone Majoris Cartusiæ Cœnobiarcha ad perillustrem Bonifacium archiepiscopum Cantuariensem, qui ex Novitio Cartusiensi fuerat electus præsul Bellicensis. Harum literarum talis est tenor :

« Venerabili et intimis charitatis visceribus amplectendo domino Bonifacio Cantuariensi archiepiscopo, Frater Hugo dictus Cartusiæ Prior humilis, quidquid potest peccatoris oratio.

« Quantum charitati vestræ debeamus, in Christo meminimus, Venerande Domine, quem rogamus intimis votis vobis propitium, ut assolet esse, et digna pro nobis retribuere, quorum humilitati talis non datur facultas, qualis ab antiquo, etiam cum apud nos eratis ; sed supra nos major data est voluntas, et frequenter quidem Cartusia vestra a vobis dona plurima et beneficia habuit. Sed cum hæc ultima munera superioribus comparantur, licet illa magna sint et pretiosa, vilescunt tamen, tantoque inferiora putantur, quanto sapientia cunctis opibus antecellit. Cibus quippe est animæ et spiritalis refectio ipsius Divinæ intelligentia Scripturæ, auro et topazio longe carior, speculum animæ, quo decor ejus vel deformitas cognoscitur et emendatur.

« Quod non ex me sapientiæ vestræ scribo, sed ex eodem Gregorii Moralium libro, quem vos recedentes cum lachrymis e Cartusia vestra, in qua tam altum posueratis fundamentum virtutis, mihi tunc ejus humili Procuratori dono dedistis : ut ex eo insipiens discerem per patientiam et consolationem Scripturarum spem habere, loquique mihimetipsi in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus. Quantas igitur valeo, pietati vestræ gratias ago pro tanto munere Bibliothecæ sanctæ, quæ singulare præsidium nostræ infirmitati, et vestræ erga nos charitatis est insigne testimonium. Inspiret, obsecro, pro his Spiritus, qui ubi vult spirat, cordi vestro benignissimo, ut sanctum Edmundum, quem ante oculos mentis vestræ tot miracula et pia facta ipsaque Sedes, quam nunc tenetis Cantuariæ, ponunt, imitemini et sanctum Lincolniensem episcopum Hugonem. Hi a nobis, ut scitis, venerunt; sed mundi superbiam in humilitatem, luxum in frugalitatem, divitias in paupertatem in Episcopali culmine commutantes, Cartusiensem professionem suam constanter retinuerunt, cujus et vos meminisse ea memoria precor, quæ apud nos perpetua est vestri. Datum Cartusiæ, anno 1250, 8 Novembris. »

Hæc Hugonis Epistola satis videtur esse ponderis, ut S. Edmundum nobis quasi nostrum possimus vindicare. Nec obest quod omnes antiqui Authores illud tacitum præterierint, cum nullus etiam ex eis retulerit S. Præsulem habitum Cisterciensem induisse : quod tamen fecisse circa vitæ suæ finem re-

centiores Cisterciensium rerum Scriptores, leviori certe quam nos usi conjectura, constanter asserunt. Hanc autem authoritatem desumunt ex antiquo Missali sui Ordinis, in quo sic legitur : « Thomas Cantuariensis archiepiscopus et Edmundus ejus successor longo tempore habitum Religionis in Pontiniaco tulerunt, etc. » Non diu certe in Pontiniaco habitum tulit Edmundus, quando quidem eodem ipso anno quo se ad Pontiniacum recepit, videlicet anno 1240, e vivis excesserit, non autem anno 1246. De quibus consule Notitias nostras Cartusienses, tom. 10.

JOANNES BATMANSON

PRIOR LONDONIARUM

Vir devotissimus, qui Domos Hentoniensem et Londoniensem rexit : decessit anno 1531, 16 Novembris. Erat acuti admodum et perspicacis ingenii, pietatis maximæ, miræ eruditionis, nec minoris zeli, in Sacrarum Scripturarum lectione et meditatione assiduus, vitam angelicam inter homines agens. Eduardo Leir (Lee) archiepiscopo Eboracensi (York) admodum charus, ad ejus instantiam scripsit contra Erasmum et Lutherum.

Pitseus in Catalogo Scriptorum Angliæ; Bibliotheca Cartusiensis Petræi.

MATHIAS FERRER

PRIOR VALLIS CHRISTI

Valentinus, ex villa de Canales nascitur, anno 1551. Sortitus animam bonam, ab ipsa pueritia futuræ sanctitatis suæ indicia dabat haud vulgari morum maturitate. Humanioribus literis instructus, venit Valentiam Philosophiæ navaturus operam. Non minus virtutis studiosus : sollicitus de salute asserenda, improborum consortia cavebat. Nullus siquidem aer est tam pestilens, quam afflatus perversi adolescentis, qui nequitiam anhelet. Sanus oculus quando laborantem aspexit, afficitur, inquit D. Chrysostomus. Pari ratione si socium improbum intueris, labes momento adhærescit, serpit virus, et grassatur.

Cumque peccati occasiones caute Mathias declinaret, sæpe diabolus ei tendebat insidias. Rediens aliquando pius adolescens ex quodam prædio, transiensque per locum remotiorem, offendit in mulierem se lavantem in fonte : quæ in Mathiæ concupiscentiam statim exardescens, eum pellexit ad suæ libidini consentiendum. Verum quasi a facie colubri mulierem impudicam fugiendo pugnavit, et fuga dæmonem debellavit, suæque consuluit pudicitiæ; quam quidem ut servaret illibatam, sacro Eucharistiæ epulo sæpe reficiebatur, frequentabat ecclesias.

Audiebat aliquando beatum Ludovi-

cum Bertrand Dominicanum concionantem, qui Mathiæ sanctimoniam præsagiens, per parenthesim sic eum distincte allocutus est : « Mathia, Mathia, ad tuos pedes collocabor. » Quibus dictis, institutum persecutus est sermonem. His verbis beatus Ludovicus præ innata animi humilitate se Mathia inferiorem significabat, tuncque suam de Mathia existimationem luculenter testatus est.

Interim Mathias in dies proficiebat, dum a Deo ad perfectiorem vitæ statum vocatus, Cartusianis Vallis Christi anno 1573, 7 Septembris, suum dedit nomen, inter Novitios adscriptus. Evoluto tyrocinii tempore, in ipsa Nativitatis Beatissimæ Virginis solemnitate emisit professionem. In tutissimo solitudinis portu constitutus, quasi domesticus Dei et civis Sanctorum in terris, imo in Cœlis conversabatur. Elucebant enim in illo singularis morum honestas, continuum orationis et contemplationis studium, interioris simul et exterioris hominis mortificatio Statutorumque observantia.

His præclaris præludiis satisfaciens omnium existimationi, Valentiam mittitur una cum Dionysio Crespo et Bartholomæo Romeu monachis ad sacros Ordines promovendus. Joannes Bellot, per id temporis Vallis Christi meritissimus Moderator, ipsis injunxit, ut suo nomine beatum Ludovicum Bertrandum sibi amicitia conjunctissimum salutarent. Ex his tribus duo tantum adiere Ludovicum, qui mox ut ambos deprehendit, ipsos deduxit in Vincentii Ferrer cubiculum, ipsos rogans, ut ibidem remanerent donec ad eos reverteretur. Secessit in suam cellulam Ludovicus; cumque per tres horas in oratione (uti credere par est) perseverasset, ad ambos rediens, Mathiam ad dexteram et alterum ad sinistram suam collocavit. Sermonemque adorsus, Mathiæ sic assidenti dixit : « Vestra Reverentia Benjamin est prototypus, id est dexteræ filius : sic enim vester venerandus Prior illam nominat. » Ad quæ verba obstupuit Mathias, credebat etenim omnes latere, quod sic a suo Superiore nuncuparetur.

Postea sciscitanti, num tres simul Valentiam venissent, responderunt tertium noluisse cum eis ipsum invisere. Subjunxit statim Ludovicus : « Utinam præ manibus calamum haberetis ad scribendum ea quæ vobis dicturus sum! Hic video arborem tribus expansam ramis, quorum unus, licet multum excolatur, nullum tamen fructum afferet; sicque factus inutilis excidetur et reponetur in locum angustiorem. Secundus producet quidem fructum, qui, nulla suavitate sed amaritudine conditus, etiam præcidetur. Tertius ob suos fructus uberrimos custodietur accuratissime. » His dictis, secretum ab eis petens, verba Salvatoris nostri adjecit, videlicet *Ut nemini dicerent visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgeret*. Cujus quidem veritatem rerum eventus comprobavit.

Primus etenim ramus præfigurabat Dionysium Crespo Valentinum, qui factus mentis impos paulo post suum ex hoc itinere reditum, fere per triginta annos in custodia detentus transegit, ad omnia prorsus inutilis. Hujus autem amentia ex nimio forsan regularis observantiæ studio procedere videbatur. Nam vix ad Subdiaconatum promotus, nolebat e cellula pedem efferre, parum curans divinis interesse Officiis; preces singulares recitabat, injunctas per Statuta minime persolvens; silentium ita stricte servabat, ut ne verbum quidem proferre vellet, plane obmutescens dum aliquis eum alloqueretur. Decessit ille anno 1607.

Per alterum ramum exprimebatur Bartholomæus Romeu, qui ob fructus sui asperitatem statim abscissus, in tumulo collocatus est. Hic Philosophia simul et Theologia optime instructus, habitum Religionis suscipiens anno 1573, virtutis palæstram decurrit cum omnium admiratione; erat enim silentio, solitudini et orationi deditissimus, adeo ut nonnunquam extra se raperetur. Monasticæ perfectionis metam attigisset, ni mortificationes immoderatæ obfuissent; ex quibus multas contrahens infirmitates, dum adhuc ordiretur, est succisus ex agro Religionis. Res autem contigit in hunc modum. Decesserat aliquis in monasterio Vallis Christi; dumque terra effoderetur ad illum sepeliendum, Bartholomæus facturus experimentum hujus quod mortuis tantummodo conceditur, vivus sepulchrum ingrediens, ibidem se se composuit non secus ac si vitæ plane fuisset expers. Jacuit in tumulo supinus, absorptus in mortis meditatione, donec vi abstractus cogeretur concedere locum cadaveri. Verum crastina dies illucescens Bartholomæo fuit postrema; qui, ingenti sui desiderio ob eximiam virtutem relicto, in communi Fratrum cœmeterio depositus est, anno 1580. Qui certe multum profecisset, ni transgressus fuisset metas discretionis.

Tertius ramus Mathiam nativis coloribus adumbrabat. Nihil etenim hic V. Pater nisi fructus honoris et honestatis protulit, quamdiu vixit in Religione : diversis admotus muniis, quibus ad comprobandum beati Ludovici vaticinium honorifice perfunctus est. Primo etenim Coadjutor institutus, vix septem menses in hoc officio exegerat, cum, anno 1591, selectus est una cum D. Joanne Monter ejusdem cœnobii professo, ut novam Eboræ plantationem incoleret. Exceptus est a Theutonio Eborensi archiepiscopo Fundatore cum ingenti gaudio : mire etenim Archipræsul Mathiæ conversatione delectabatur, quem impense diligebat ob morum illius suavitatem. Cumque per octodecim annos suis virtutibus præluxisset, Theutonio ad beatam immortalitatem translato, ad Domum Vallis Christi remeans, Ulyssiponæ per biennium fere moratus est, retentus ab Episcopo Viseensi hujus asceterii promo-

tore; qui, ut Mathias diutius ibidem remaneret, præter victum et vestitum eidem singulis annis centum scuta largiebatur.

Cumque strenue in hac vinea laborasset Mathias, Confratrum Vallis Christi desideriis acquiescens ad suæ professionis Domum revertitur, anno 1609, Sabbato Dominicam Palmarum præcedente. Tanta fuit monachorum lætitia, ut effusi obviam processerint redeunti gestantes ramos : faustum omen, quo brevi se Mathiam in Superiorem habituros significabant. Mense etenim Septembri ejusdem anni, communi omnium voto, ipse solus refragans, Prior eligitur. In hoc munere stetit usque ad annum 1614, quo per generale Capitulum ad suam magnam instantiam absolutus, eodem tempore Vicarius institutus fuit. Post decem menses Aræ Christi Vicarium agens, idem postea munus pluries obivit in Domo suæ professionis.

Hic cum primum e sæculi pelago ad Religionis portum evasit, tam perfectam vitæ rationem instituerat, ut omnium virtutum choros ad se unum attraxisse videretur. Candidissimæ namque mentis puritati, quam sibi velut cæterarum ducem elegerat, pudicitia prorsus angelica ; pudicitiæ, morum honestas ; morum honestati, columbina simplicitas, modestia, mansuetudo, in morbis summa patientia, paupertatis ac perpetuæ orationis studium ita conjuncta erant, ut, cum his æque stipatus incederet, quænam perfectius in eo eluceret virtus, haud facile posset dignosci. Disciplinæ regularis rigore præcelluit, Statutorumque fuit admodum tenax. Unde cum aliquando Sacrum celebrasset coram Philippo III rege Hispaniarum, redeuntem ad sacristiam monuit rituum Magister, ut Principem salutaret ; verum quia Statuta vetant ne Sacerdos sacris indutus vestimentis cuiquam inclinet caput, respondit Mathias id sibi nefas esse. Moderator ceremoniarum hoc inurbanum esse ratus, apud Regem conquestus est. Cui Philippus dixit : « De hoc non cures. Sciunt enim Cartusiani suos ritus. » Sicque Rex non rusticitati, sed potius observantiæ Statutorum rem adscripsit.

Cum autem diu juxta B. Ludovici prophetiam in Ordine perseverasset, annis et infirmitatibus attritus, ipso S. Edmundi festo, cujus castitatis perfectus fuerat imitator, quemque singulari devotione coluerat, Sacratissimum Jesu Christi Nomen invocans, spiritum Deo reddidit, anno 1629, 16 Novembris. Adfuit animam agenti Segobricensis Episcopus, precesque agonizantium recitavit. Post mortem cadaver e lectulo extractum odorem suavissimum exhalavit, non sine adstantium admiratione ; nam, dum in vivis esset, fœtebat ex duobus tibiarum ulceribus. Ferunt nulla unquam peccati lethalis labe Mathiam fuisse maculatum.

Ex Vita Hispanica D. Joachim Alfaura.

ANTONIUS JACQUINOT

CONVERSUS MONTIS DEI

Oriundus ex oppido Vitriaco in Pertensi regione et Catalaunensi hierarchia; se se obsequio clarissimi viri D. Duretii Rethelensis tradidit, qui Quæstorem generalem Ducis Nivernensis agebat in toto Rethelensi comitatu; eratque vir ille nominatissimus in omni Campania. Verum cum ad plures annos eidem Duretio inserviisset Antonius, altiora cogitans, pietatem quam a puero amaverat, adhuc amplius, ubi incrementa ætatis adfuere, colere cœpit. Iniit igitur consilium ineundæ Cartusiensis Religionis, nec in ullo deterruit eum tanti Ordinis austeritas : quippe qui ad cruces non erat novitius, et se ipsum pietati pridem dicarat. Narrabant siquidem domestici D. Duretii ipsum sæpius, ubi vacabat, furtiva loca ad orandum quæsiisse, et in iis nonnunquam deprehensum, aliquid aliud simulasse; nec in omni conversatione illius quidquam notatum, quod peccatum esset aut delictum.

Susceptus ad professionem in Monte Dei, anno 1606, die 22 Julii, vitam transegit admodum innocenter, usque ad annum 1651, quo e vivis excessit, die 16 Novembris : ita laboribus immersus, ut nunquam pietatis exercitia postponeret, ita pietati addictus, ut nunquam deesset obedientiæ. Pro varietate temporis variis distentus officiis, semper et ubique in se ipso constitit, labores mutans et nunquam a pietate recedens : novæ Domus Carolopolitanæ invigilans ædificiis, Maceriis procurans Montis Dei negotia, perurgens Remis vineas et alia necessaria, semper et ubique pietati studuit, nec recessit ab instituto prioris propositi, ne latum unguem unquam. Verum sub extremis annis Baironensi piscariæ alligatus et curæ stagnorum monasterii invigilans, pro votis se amplius adhuc pietatis operibus mancipabat, cum statis temporibus ascenderet ad Domum superiorem ibique inter alvearia ipsa sibi conficeret mel devotionis.

Præsentiæ Dei jugiter addictus, etiam inter laboriosissima opera et externas dissipationes nunquam vagabatur extra Deum : quod sane abunde testantur pia ejus colloquia de Deo, cum fossoriis agens circa reparationem stagnorum. Semper enim Nomen Jesu ingeminabat ita apposite, ut in petrosa ejus verba nunquam deciderent, et ex iis proficerent operarii ejus curæ commissi. Data siquidem ansa, vel ex levibus rebus prorumpebat in verba salubria, et laborem suum et etiam aliorum pie fallens, non sinebat abire inutiliter. Licet in spiritualibus detritus esset, nihilominus quasi sciret nihil aut esset novitius, quasi cerva sitiens applaudebat bonis quæ audiebat, voce, gestu ac qua poterat exultatione internam animi significans exultationem. Parum legebat diebus ferialibus, cum totus ad exte-

riora manciparetur; verum unica sententiola ita reficiebat animum, ut modicum semen in multam messem coalesceret, ac ex modico fermento ingentem sibi conflaret annonam.

Singulariter colebat Beatissimam Virginem Mariam. Coram ejus imagine suas devotiones et exercitia pietatis jugiter explebat, cum apud Baironem moras traheret in assignata sibi Obedientia. Cum ea effigie quasi cum ipsissima Dei Genitrice de rebus omnibus ac gerendis tractabat, ipsam vocabat animæ suæ dimidium et familiariter alloquebatur.

Anno Domini 1616, cum regni Franciæ status turbaretur ex illis motibus, qui Gueridonii dicebantur; Antonius sollicitior circa demandatam sibi piscariæ Baironensis Obedientiam, voluit ob necessaria quædam ascendere ad Montem Dei, nihil suspicatus circa vagabundos milites, qui necdum agmine denso viciniam infestabant, sed sollicitior ex fama ullorum prædonum seu latronum, qui eo tempore insaniebant circa rapinas argenteæ supellectilis aut probatæ monetæ. Quidam etenim falsificatores monetarii artem conflatoriam exercebant apud turrim Aglariam (quæ cum adjuncto vico, antequam excideretur, in finibus Franciæ et Luxemburgici agri constituta, spectabat ad Ducem Nivernensem). Qui nullis legibus retenti, utpote quasi a regnis exempti, publice denunciarant se duplicem pecuniam refusuros (sed falsificatam) iis qui ad eos aut argentum aut pecuniam minime adulteratam deferrent. Hoc ubi fuit auditum, fuerunt et qui ab ipsis pecunias falsificatas mutuo acceperant.

Hæc ut agnovit Antonius, antequam ad Montem Dei pergeret, curavit argenteum calicem, qui erat ad sacelli usum, intra lectuli paleam abscondere, cavens ab Aglariensibus illis; cæteram eamque variam supellectilem locis solitis relinquens, cum esset quam primum post diem reversurus. Quidam ex convicaneis, qui certis diebus agnoverat Antonium abscedere ac dimittere Dei custodiæ vacuam domum, observavit tempus quo migraret, volens inter cætera illum calicem argenteum diripere et tradere Aglariensibus. Itaque nocte concubia silenter transcensis muris et reseratis januis, cuncta perlustrat atria, calicem quærit, nec invenit. Ne tamen vacuus aut inanis rediret, conversus ad aliam prædam, plura alia diripit, nempe multam supellectilem, etiam sacram, quæ deserviebat ad usum altaris. His ablatis, iterato ad furtum rediens asportavit butyraceam annonam, oleum, triticum, vestes, pannos et plura alia, quæ sibi commoda fore autumabat.

Altera die reversus Antonius, animadvertens domum expilatam, statim prosiluit coram icone B. Virginis supradicta, lachrymabiliter et amorose questus de deprædatione sibi commissæ domus; rogat Dei Genitricem quatenus universam prædam sibi redhiberi

fures cogeret. Post aliquot dies cum nihil super ea re videret sibi revelari, sollicite nihilominus per plures inquirebat unde prodiisset damnum; nec quid certi deprehendi poterat, donec quadam die deambulans supra calciatam stagni Baironensis, animadvertit a quodam invisibili spiritu se ad humerum percuti et per vestem trahi versus quamdam foveam. Ad quam cum pervenisset, singula studiose ruspatus, vidit cespites recens motos et quasi fossulam obturantes. Confestim multo labore iis remotis cum adjuncta nive, quæ tum terræ superficiem impleverat, vidit cavernulam ; quam nive quantocyus obturavit, veritus ne qui ad mercatum Quercuensem properabant aut redibant, spectatores adessent revelationis illius. Inde ad sua discedens, opportuno tempore redit ad cavernam, in qua reperit universam supellectilem stanneam, quæ æstimabatur pondo septuaginta librarum. Locum itaque ut antea cespitibus ac nive obturavit et reportavit partem prædæ.

Cumque de recuperanda parte reliqua desperaret, et nihilominus non cessaret depromere querulas voces ad Beatam Virginem, quadam die altera animadvertit se iterum a quodam invisibiliter percuti et trahi per vestem ad præfatum locum; quem ingressus, cum nihil sub aspectum caderet, putavit se delusum. Verum cum non absque causa se ad eum locum attractum pensitaret, penitissima quæque illius cavernulæ sagacibus oculis lustrans, reperit in interioribus latebris terram utcumque effossam; et mox arrepto fossorio locum pervadit, reperitque annonam butyraceam, oleum et alia quædam furto ablata ibidem defossa. Quæ autem restabat lectulorum supellex et cætera utensilia in proxima colonia recondita erant; sed sive metu prodendi furem, sive non satis tum audaciæ nactus, distulit indagari, ratus opportunum tempus ad id se nacturum. Verum ejusmodi procrastinatio furi sua alio transferendi concessit opportunitatem, nec quidquam potuit recuperari residuæ deprædationis. Præfatus fur satis antea prædiatus et bene, quantum ad mensuram attinet, sufficienter instructus fortunæ bonis, devenit ad tantam pauperiem, ut vile mendicabulum factus ostiatim stipem cogeret et miserabilem traheret vitam.

Addamus et cætera. Fama erat cataphractorum catervas, flagrantibus Gueridoniorum dissidiis, Baironem adventare et juxta consuetudinem stallum ad dies aliquot ibidem figere velle. Quod ut audivit Antonius, sibi commissæ domus cura tactus, pretiosa quæque in diversis latibulis abscondit. Supererat tabella præfata Beatissimæ Virginis Mariæ, quam allocutus pius Frater : « Mea Mater charissima, ubinam te abscondam, cum præ cæteris pretiosis mihi pretiosior sis ? » Respondit Sacratissima Virgo : « Dimitte me in hoc ipso loco, et ne sollicitior sis. » Ille

exhilaratus et de præsenti ope factus certior, omnia Divinæ providentiæ et tutelæ Beatæ Virginis permisit, et ad sua munia quantocyus recessit. Adfuere tandem milites, qui ingentem villis omnibus Baironensis pagi cladem intulerunt, servata incolume ab eorum feritate piscariæ domo.

Ab eo tempore quo imago illa ad eum locuta est, tantam ei venerationem exhibuit et curavit ab aliis exhiberi, ut undique fama de Virgine Deipara Fratris Antonii sermo esset; quam et plures in periculis positos invocasse, et ab ea certam opem retulisse testati sunt. Ab initio aut primis conversionis annis, cum ex laboris nimietate hernia intestina utrinque laborasset ad multos annos, et jam ad laborandum invalidus redderetur, ita importune pro sanitate obtinenda apud B. Virginem institit, ut aliquot annis antequam hominem deponeret, sanitatem omnimodam consecutus fuerit, non a gemina ilium ruptura sed ab una eaque graviori tantum, ad patientiæ exercitium; quæ tamen nullo modo post sanatam alteram excrevit, sed remansit in suo statu : sicque expeditior quam antea tam ad laborandum, quam ad gradiendum evasit.

Si quando adesset aliquis ex Fratribus Ordinis, qui Baironem inviseret, pius Frater ante omnia, vel antequam loqueretur, dicebat venientibus : « Bene venistis, Patres; sed priusquam de aliis tractemus, salutemus Beatam hujus domus Patronam et Dominam; » sicque sub silentio perductos ad cameram, ad cujus parietem pendebat imago, ad orationem genua ponere rogabat, et sic cum iis colloquebatur. Sæpius vero data occasione ita sublimiter et utiliter disserebat de Mariæ laudibus vel de præsenti tabella, ut videretur extra se fieri et alios ad ejus amorem solito amplius velle inflammari. Puellos et puellas adhuc in ætate infantili ob necessaria quædam ad domum ventitantes, ipse cum iis orans, faciebat orare coram icone supradicta.

Humilitas succedat pietati, cum præclara utriusque virtutis sit commixtio, nec una sine altera æstimari debeat. Antonii humilitas non ad tempus, non pro ratione temporum aut personarum, non momentanea, imo non exstitit diuturna, sed jugis, quotidiana, innata et perseverantissima fuit ad ultimum usque spiritum. Humilitatem in verbis jugiter resonabat, sed eam potius exhibebat in factis. Quamvis cum operariis operans plura de humilitate et verbis et factis diceret, nec esset qui auderet dicere « Medice, cura te ipsum », coram senioribus tamen positus, sibi temperabat a verbis.

Obedientiam, quam dicunt humilitatis primogenitam, ad quam necessitate voti tenebatur, humilitate spontanea adimplere satagebat et perficere. Quidam Vicarius Montis Dei, post erectionem novi sacelli S. Gubriani (ad quod pro Sacris convenire solet Familia, et in quo statis diebus festivis et Domini-

cis conciones habentur a Patre Vicario post finitam ipsius concionatoris Missam), ipsi Antonio injunxit, ut concionatoris Missæ inserviret, et omnia præpararet ad eam necessaria. Nec per viginti annos, id est usque ad obitum, vel semel huic obsequio deesse visus est : ita promptus et sedulus circa injunctionem illius obedientiæ, ut quantumvis ætas caduca, morbus, rupturæ incommoditas sævirent, ei vacaret ac semper expectaret concionatorem celebraturum. Sub extremam, qua obiit, infirmitatem, sanctæ obedientiæ illius ampliores adhuc emisit scintillas, aut raro aut nonnisi de admodum necessariis verba faciens. Sola hæc verba ex ejus ore procedebant : *Benedictus Deus; sit nomen ejus benedictum in sæcula.*

Officii sui pensum quotidianum reddebat nunquam in lecto resupinatus, nunquam immodestius sedens, aut aliquo indecenti corporis statu, sicut languidis in more positum est ; sed surgens e lecto et pergens ad oratorium, ibi prostrato toto corpore cursum suum complebat, et redibat ad lectum proxime moriturus. Adfuit aliquando P. Vicarius, qui ejus valetudinis internoscendæ causa advenerat. Cumque eum nec ad focum sedentem, nec in lecto jacentem conspiceret, quæsivit ubinam esset, ab assistente famulo, qui mox ipsum indicavit toto corpore prostratum ad scamnum oratorii suas Horas reddentem. Ad quem Vicarius dure locutus : « Quid ita, inquit, acceleras mortem, Frater? Noli amplius sic Horas persolvere, et caput nudatum tenere ; quin potius sedens ad focum satisfac devotioni, prout poteris. Majus meritum tibi accerses ex obedientia, quam ex privata devotionis pertinacia. » Audivit et obedientiæ manus dedit, nolens tali tempore, tali hora obedientiæ deesse, cum optime sciret Christum factum obedientem usque ad mortem. Verumtamen cum circa recitationem sui Officii nulla obedientiæ jussio affores, voluit illud recitare etiam usque ad obitum suum. Nam jam persentiscens sibi mortem adesse, et congruo tempore Vesperas recitare non posse, ipsas complevit hora prima pomeridiana, et spiritum Deo reddidit secunda subsequente.

Dum valetudine prospera frueretur, ita sibi cunctos demeruerat humilitatis obsequiis, ut omnes obstupescerent. Nec ficta aut fucata ejusmodi virtus in eo erat, qui pridem a se omnem abdicaverat simulationem et hypocrisim, vel potius ei nunquam præbuerat aditum. Pedibus Superiorum et inferiorum provolutus, eorum plantas osculabatur ita amicabiliter et alacriter, ut cunctos ea humilitate recrearet. Circa lupuletum (unde flores ad cervisiam educuntur) laborans repertus est aliquando a monachis spatiantibus. Rogatus quisnam ad caudam illius stagni lupulum illum plantasset, veritus ne quid surriperet vanitatis, ingenue confessus est se illud plantarium erexisse. Sed manu ad pe-

ctus apposita : « Ego, ego ille indignissimus, » inquit ; quasi dixisset, « qui nec nominari mereor, et unde nec minimum quidpiam boni solet prodire. » Ex quo plurimum Patres ædificati sunt.

Corpus suum non aliter tractabat quam asellum, idque cogebat spiritui servire et morem gerere in omnibus, quamvis reluctaretur. Quadam die cum maturaret iter, obviam habuit paludem, quæ intumuerat ex aquis adventitiis, dixitque corpori suo : « Mi aselle, velis nolis, debes hanc aquam pertransire. » Et confestim, ut erat, tibialibus et calceis indutus, multa generositate aquam transvadavit.

Cum non ignoraret se in aliqua æstimatione haberi apud eos qui de rebus internis non insulse sapiebant, coram iis positus quantum honeste poterat, suam sanctitatem volebat celatam, et plerumque aliqua puerilia aut narrabat aut etiam edebat, ut conceptam de se opinionem destrueret aut minueret. Cantilenam illam vulgatam peregrinorum Compostellanorum probe callens, coram gravibus viris depromebat congruis gesticulationibus. Pruna vel cerasa ex arboribus decerpta mandebat, vel simulabat mandere, qui alias admisisse crimen credidisset, si quidquam ederet extra horam debitam.

Contigit una die piscationis alicujus stagni, ut Superior pro libitu suo quidquam disponeret circa piscium reconditionem, quod erat male cessurum. Hæc videns Antonius, qui nihil in talibus ignorabat, et damnum secuturum animadvertens, siluit omnino, nolens Superioris prudentiæ vel tantillum reluctari. At Superior ad se reversus, et videns Fratrem introrsus morderi et nihilominus silere, ait ad eum : « F. Antoni, arbitror cunctos pisces nostros profligandos, si sic fecerimus; quid tibi videtur ? » — « Ita est, Pater, » respondit Antonius. At ille : « Quare non indicas mihi ? » — « Tuum est, ait, Pater, jubere, et meum obedire. Nolui tibi reluctari, veritus peccatum, si prudentior et sagacior tua Paternitate videri voluissem. »

In sacramentali Confessione circa minima exprimenda tam scrupulose aut potius ita delicate immorabatur, et cum tanto doloris sensu lapsus suos exprimebat, ut suum Confessarium pene provocaret ad lachrymas.

Patientiam, in morbis et aliis quæ nunquam in hoc sæculo desunt et gravius pungunt Cœli candidatos, constantissime servavit, ediditque plura ejus imitatione digna. Cum gemina ruptura, ut jam diximus, dietim infestaretur, nec tamen a laboribus suis ullo modo parceret, dispensatoris Obedientiam, sive coquinæ ministerium, adire compulsus est jussu Superioris, quem ejus latebat infirmitas. Sciendum porro est ipsum, dum vel foci tenuissimum calorem aut ignem sentiret, fere ad mortem usque solitum ex ruptura discruciari. Aliquando enim ad instar mulieris parturientis volutabatur, sedebat, stabat,

incurvabatur, lachrymabiliter ingemiscens, imo et altius vociferabatur, haud valens sistere vel comprimere vocem. Et tamen nunquam vel modicum institit apud Superiorem quo ab hac difficili Obedientia eximeretur, donec, re per alios agnita, tandem ab ea liberaretur.

In cæteris gaudebat se nancisci exercendæ patientiæ occasionem, nec aliter ejusmodi quam uniones et margaritas appellabat. Datus coquinæ ministerio, cum famulis et mercenariis, pro uniuscujusque congruentia et propria teste conscientia, victum administraret et potum, iique (ut est rusticorum et infrunitorum mens et inconditi mores) maledicentias et linguæ specula in eum contorquerent, sibi ipsi dicebat : « Gaude, Antoni, ii te unionibus ac gemmis exornant. Eia, quam specioso carbunculo ille te donavit ! et alter eximio te sapphiro decoravit ! » Eumdem sensum suum cunctis inculcare nitebatur circa hujusmodi uniones et margaritas.

Insignis fuit Antonii charitas in pauperes ; quibus cum ex pecuniis aut aliis hujusmodi non posset subvenire, aut ex proprio penuario, id est ex victu suo subveniebat jejunus, aut suavi reficiebat eloquio. Tanta commiseratione in eos ferebatur, ut universam Montis Dei substantiam voluisset in eos effundi. Cum largiores eleemosynæ mendicis fieri intueretur, gestiebat præ lætitia, internum vix celare valens animi gaudium.

Paupertatem, ab initio suæ conversionis usque ad exitum e vita, mire coluit. Nihil in ejus cella apparebat quod irritaret concupiscentiam : vestes attritissimæ, lectus pauperrimus, calix ligneus sordidus ad bibendum, imaguncula una aut altera ex papyro vetustiori, libellus precatorius unus, pro lectione spirituali unus corrosus, erant ejus utensilia ; præterea nihil.

Divi Antonii abbatis, cujus nomen referebat, gestiebat etiam virtutes imitari. Miram vultus alacritatem, imo et angelicum vultum omnibus exhibebat, gratus admodum colloquentibus ; et quamvis eremitici rigoris tenore ad compunctionem ejus facies alliceret, mira tamen oris suavitas internam ejus innocentiam prodebat, prædicabat sanctitatem, extra se depromebat interiorem hominem. Unde et fiebat, ut ubique semper sibi similis esset, quem nec adversa deprimerent, nec prospera commoverent ad gesticulandum. Quanquam in prosperis aliquanto amplius vultum serenaret, in adversis tamen nunquam vultum vel tantillum dejecit.

Ex ejus Vita a F. Ganneron descripta.

XVII DIE NOVEMBRIS

BASILIUS

PRIOR CARTUSIÆ MAJORIS

Patria Burgundus, professus Cartusiæ Majoris; ad summam Ordinis Præfecturam evectus, sanctitate simul et doctrina claruit. Singulari amicitiæ nexu conjunctus fuit cum Petro Venerabili abbate Cluniacensi, et Petro Cellensi abbate, sicuti testantur ab eisdem scriptæ ad Basilium Epistolæ. Dedit Basilius Literas associationis Ordini Cluniacensi, ex quo ad Cartusienses transiisse nonnulli referunt. Demum cum ab anno 1151 usque ad annum 1173 clavum Ordinis sapientissime tenuisset, ad beatam immortalitatem migravit die 17 Novembris. De eo autem sic loquitur vetus Chronicon Majoris Cartusiæ manuscriptum :

« Anno Domini 1151 in Prioratu Cartusiæ eidem sancto Anthelmo successit, ut præmissum est, sanctæ et recolendæ memoriæ D. Basilius, monachus dictæ Domus; qui multa scientia præclarus, virtutibus eximius, Domum Cartusiæ non modicum in spiritualibus temporalibusque ampliavit, ac Constitutiones ac Statuta multa ad Ordinem spectantia compilavit. Hic viginti tribus annis vel circa, Prioratum Cartusiæ et totum Ordinem (qui multum tempore suo fuit in Domibus ampliatus) mirabiliter regens et gubernans, monimenta sui regiminis præclari posteris dimisit in exemplum : deficiensque mortuus est in senectute bona, circa annum Domini 1173, ac sepultus in dicta Domo, miraculis coruscando.

« Hic sanctum Hugonem (postea Lincolniensem episcopum) recepit ad Ordinem; qui qualis vitæ quantæque sanctitatis ac doctrinæ fuerit (tam in Ordine quam in Episcopatu), qui ejus mirabilem et luculentam Vitam legerit, faciliter poterit reperire. Nam tam in morte quam in vita, et post mortem, tot miraculis coruscavit, quod inter Sanctorum numerum meruit ab Ecclesia canonizari. Hic, inquam, sanctus Hugo, cum novus tyrunculus (tamen professus) et moribus vitaque maturus, maxima carnis maceratione, post mortem dicti Basilii sui Patris spiritualis, in dicta Domo Deo militaret : tanta ei carnis tentatio tamque continue et importune exorta est, ut mallet gehennalibus flammis tradi, quam tantis suppliciis urgeri. Ad plenum autem hujus congressus modum nemo referre posset : quibus lachrymis, quantis gemitibus, quam cre-

bra Confessione, quam aspera flagellatione, vel Divinum expetierit adjutorium, vel cor contriverit, proprium corpus cruciando.

« Demum athletæ fortissimo, prostrato quidem nec superato, non victo sed fatigato, tenuis sopor obrepsit. Continuo, velut in excessu positus, vidit virum Dei (qui eum susceperat ad Ordinem) sanctum Basilium, vultu et amictu Angelico radiantem, astitisse sibi, seque sic voce blanda alloquentem : « Quid tibi, inquit, est, fili charissime? Cur ita jaces pronus in terra? Surge, et velle tuum fiducialiter enarra. » Ille vero ad eum ait : « O Pater bone, et nutritor meus piissime, affligit me usque ad mortem lex peccati et mortis quæ est in membris meis; et nisi more solito auxilieris mihi, en morietur puer tuus. » Vix dictum complevit : « En, inquit sanctus, auxiliabor tibi. » Moxque patefactis novacula, quam manu tenere videbatur, visceribus ejus, quasi strumam igneam inde visus est exsecuisse longiusque extra cellam projecisse; dataque benedictione, medicus discessit. Æger vero sanatus et sibi redditus, somno fugiente resedit; lætusque supra modum de ostensa sibi claritate nutritii sui, in corde et in carne mirabiliter se reperit immutatum. »

De Basilio agunt Dorlandus lib. 4, cap. 14 et 26; Arnoldus Bostius, cap. 5; Sutor, pag. 539; Martyrologium Usuardi auctum, ad 14 Junii; Canisii Martyrologium Germanicum; Gallia Christiana Sammarthani; Petræi Bibliotheca Cartusiana; Nicolaus Molin in Historia ms. Ordinis nostri; et multi alii Scriptores Rerum Cartusiensium.

SIMON

PRIOR MONTIS DEI

Circa annum 1160 ex Procuratore Montis Dei quartus Prior electus, spatio viginti quinque annorum in regimine permansit, id est usque ad annum circiter 1184, quo decessit, die 17 Novembris. Vir sane omnium calculo sanctissimus, quem integritas morum, vitæ honestas, in agendis rebus industria, constantia in adversis, in arduis fortitudo multum commendavit, eique inter illustres ævi sui viros non infimum dedit locum. Antequam autem Institutum Cartusiense sectaretur, in monasterio Cellensi sub divi Benedicti labaro militaverat.

[*In margine Ms. D. Le Vasseur, circa factum quod sequitur talis nota apposita legitur:* Hæc spectant alium monachum Cellensem, qui Simonem imitatus, Cartusiense Institutum etiam in Domo Montis Dei amplexus erat. — *Hoc ipsum etiam D. Le Couteulx (Annal. ad annum 1154, n.* v,) *refert de quodam Roberto, de quo agitur in his Ephemeridibus ad diem 27 Martii.*]

Ex cujus (Simonis) emigratione ad nos non modico dolore tactus venera-

bilis ejus Abbas Petrus, primum ingrate tulisse visus est, eo quod Simonem mirifice diligeret; verum ad se reversus æquanimiter rem pertulit, sciens alumnum suum non fastidientis animo sed studio Regulæ observantioris hoc fuisse aggressum. Arrepto igitur calamo, Petrus ad Gervasium Priorem Montis Dei scripsit Epistolam, quæ prima Libri 3 occurrit (al. Epist. 40); in qua de dilectissimi sui filii discessu queritur his verbis :

« Dominis suis et Patribus Priori cum cæteris de Monte Dei, Frater Petrus Cellensis indignus abbas, usque ad Montem Dei Oreb. Aliud materia, aliud suadet scribere vestra Reverentia. Et materia quidem, quæ est charissimi filii nostri translatio ad vos, potius silere, vel instantius flere, quam scribere admonet. Sanctitatis autem vestræ Reverentia sancta et digna id exigit. Itaque non quælibet levia et sæcularia, sed fortia et cœlestia debet assumere, qui vobis proponit scribere. Quid autem charitate fortius, quæ fortis est ut mors? Quid cœlestius, quæ etiam omnem exuperat sensum? Et de hac quidem, quantum ad nostrum se inclinare dignata est sensum : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quanti igitur apud meam humilitatem vestra profecerit dilectio, æstimare poterit, qui, quod pro ea reposuerim, pretium diligenter pensaverit. Certe non aurum, sed virum secundum cor meum; certe non argentum, sed quem habebam quasi unigenitum; certe non lapides pretiosos, sed lapidem quem mihi erexeram in specialis amoris titulum, in hoc proposui commercio. Scio, nec prorsus dubito, quod si omnem substantiam domus meæ dederim pro sancto amore vestro, nihil tamen in comparatione illius attulerim. De Monte namque Dei non amor mundi, sed amor Cœli descendit; non carnalis amor, qui tanquam nubes matutina pertransit, sed æterna *Charitas* quæ *nunquam excidit.* Non enim recipit æstimationem, quod omnem excedit accidentium licitationem. Divini siquidem amoris suavitatem sanctarum animarum pius redolet amor.

« Et quid humana paupertas dignum recompensationis, non dicam ad supernum amorem, sed saltem ad quamlibet Sanctorum dignationem, in omni thesauro inopiæ copiose abundantis reperire poterit? Sane nil sanioris mihi videtur ad hoc consilii, quam ut gratiam rependat pro gratia, ad Illius imitationem, qui potius ex abundanti quam ex indigenti, non aliud quidem solet dare pro gratia. Itaque et ego gratiæ vestræ gratias ago, non tamen vanas, non vacuas, sed ultra facultatum mearum sufficientiam largas et divites. Non enim de arca sed de conscientia, non de fundo marsupii sed de intimo cordis, non de supellectili domus sed de intimis visceribus profero quod accipitis. Si enim aliter fieri posset, si aliud

pretium quantumcumque magnum vestra sanctitas exposceret, si aliquam commutationem commercium illud admitteret, O quam libenter darem! O cum quanta gratiarum actione numerarem! O Deus cordis mei, quanta animæ meæ usque ad mortem in hoc partu angustia! quam importabilis! Nisi tu mecum portaveris, in separatione ista affectionis semper duratur ærumna.

« Jesu bone! indubitanter pro te aliquid me fecisse jam deinceps fateri non erubesco. Sed quid aliud facerem? Tuus est ille, tuus sum ego. Et utinam sic tuus ego, sicut ille tuus! Et qua fronte tibi de tuo tuus contradicere præsumam? Non resisto voluntati tuæ contumaciter, ut tu assistas desolationi meæ misericorditer. *Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte universa delicta mea*. Domine, Domine, nonne totam mitius a me tolleres animam, quam partem dimidiam? Placeat tibi saltem non deserere partem residuam, quia tibi assumis præcipuam. Vere nunc experior, quod separare veneris hominem adversus patrem suum. Vere hic gladius Salomonis vivus, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus. Quare propter te divisa est maceries animorum præsentia corporum? Tu mediator, tu lapis angularis, tu dispersos Israel congregas, tu Deus meus, ad te et in te utraque faciens unum. Quare sic facis? vel si non facis, quare pateris ut caream baculo meæ debilitatis? ut suam columnam deserat basis? ut sine Aaron, non Moyses, sed tuus miser cogatur sustinere quæstiones sive molestias hujus talis et tantæ multitudinis? Pie Jesu! non sustineat pietas tua sine consolatione meam diutius fragilitatem conquassari, sine visitatione fatigari.

« Quid est hoc? Vobis cœpi scribere, vobis loqui, et sic in mediis sermonibus cum tanta mora meas miserias misericordissimi Dei conspectibus explicui. Certe ut videatis, certe ut intelligatis, quis sit dolor filium dexteræ amittere, et nec saltem sublato Joseph, Benjamin retinere. Quin imo, ut Deum totius consolationis, meis compatiendo mœroribus, dulcius et obnixius pro me exoretis. Est enim benignus piorum exauditor, largus pro se aliquid facientibus remunerator. Orate itaque, ut et istum, quem quasi in vinculis Christi retinetis, non amittam, et ut optando scripsistis, pro Samuele nostro Prophetam non inferiorem recipiam. Sic enim dote bona ditatus, consolationem aliquam vestris orationibus accipiens, potero expectare illam veram ac æternam, pro qua desolationem suscipio temporalem et transitoriam. Valete. »

In alia quoque Epistola, tertia videlicet ejusdem Libri, eum ex animo salutans, amoris sui ubera teneris verbis sic exhibet: « Fratrem Simonem lumen oculorum meorum, partem viscerum meorum, attentius vobis commendo. »

Fuit vero Simon ex primis professis hujus monasterii, et Procurator sub Gervasio Priore, ut indicant Instrumenta piarum aliquot donationum. Tantum pietatis et modestiæ ab ipsius officii crepundiis exhibebat, ut jam quasi Angelus e Cœlo delapsus crederetur. Circa temporalia quoque versatus, omnia probe ac prudenter administrabat, multis constructis necessariis ædificiis. Assumptus ad Prioratum, sollicitus magis circa spiritualia quam circa temporalia fuit. Pauca etenim de eo notantur in Cartusiæ Chartulario. Tanta sub eo vigebat in claustro observantia regularis, ut eo solo nomine fama Montis Dei ubique diffunderetur. S. Bernardus Clarævallensis, Petrus Cellensis, Guillelmus Theodoricensis abbates, qui eum primitus viderant Procuratorem, multum in ejus amorem et venerationem ferebantur. Bernardus Cardinalis, Petrus Cardinalis S. Chrysogoni, Basilius Prior Cartusiæ non minus Simonem æstimabant, uti testantur ea quæ passim occurrunt in eorum scriptis.

Imprimis Joannes Sarisberiensis, postea Carnotensis præsul, illum ita observabat, ut semper de eo ubique perhonorificam faceret mentionem, vocatque eum sæpius in epistolis et tractatibus Virum sanctissimum et laudatissimum. Quæ certe laus a tanto viro prolata valde ponderanda est. Magnus enim vir et vere magnus pietate et literarum scientia habebatur Joannes, qui inter familiares S. Thomæ martyris cooptatus eique factus a secretis, multoties sanctum Martyrem ad verum hujus mundi contemptum animabat tum voce tum scriptis. Adstitit vero primæ legationi quam Simon noster obiit pro S. Thoma, ejusque in Historia meminit; amabat enim eum singulariter. Ejus etiam gratia multoties ad Montem Dei advolabat et corpore et animo. Quod si utrumque non daretur, epistolis iteratis amicos suos sollicitabat, ut de suis amicis Montis Dei sibi scriberent. Petrus tunc Abbas S. Remigii in epistola (Epist. 82; seu 14, lib. 5; al. Epist. 121) quam scripsit ad præfatum Joannem et Richardum fratrem ejus postea Canonicum Regularem, hæc ait : « Bene est amicis nostris et vestris, Cellensi Abbati, Abbati SS. Crispini et Crispiniani, Abbati S. Nicasii, Prioribus de Monte Dei et de Valle S. Petri (videlicet Simoni et Engelberto). »

Probabile vero est primam notitiam, quam S. Thomas et Joannes habuere de Monte Dei, natam fuisse ex occasione transitionis S. Thomæ per oppidum Mosomense, quando ab Anglia in Galliam profugus, tandem eo appulit anno 1164, hospitatusque est in monasterio B. Mariæ Ordinis S. Benedicti; ubi humanissime ad aliquot dies ab Abbate hujus loci fuit exceptus. Indeque discedens, ad Montem Dei fertur itineris opportunitate divertisse : quod quidem probari potest ex eo quod Simon ante suam legationem beato Mar-

tyri notus esset (ut ex epistolis Joannis Sarisberiensis videre est) et ejus familiaribus, maxime præfato Joanni, Richardo fratri ejus, Girardo et Radulfo. Interea S. Thomas a Summo Pontifice missus ad Pontiniacum, donec de ejus reconciliatione tractaretur, indeque ad S. Columbæ cœnobium beneficio Ludovici regis Franciæ translatus est et sustentatus. Ubi Rex Angliæ in tuto eum degere comperit, multa pro ejus inde ejectione molitus est, sed frustra.

Non dormitabat interim Alexander Pontifex. Et ut via aliqua sanctum Archipræsulem cum Rege reconciliandi pararetur, non semel Legati Cardinales ad utrumque et præcipue ad Regem missi sunt; sed aliqui ex iis partim timore, partim pulvere munerum obcæcati, rem mitius agere cœperunt in S. Martyris præjudicium. Solum duo ultimi, Gratianus Cardinalis, Eugenii III nepos, cum collega Viviano, Advocato Consistoriali, manus suas excusserunt ab omni munere, reque infecta redierunt ad Alexandrum. Novissime vero delegit Pontifex Maximus alios duos integritate vitæ conspicuos, videlicet S. Anthelmum episcopum Bellicensem, et Basilium Majoris Cartusiæ Priorem. Verum cum percepisset S. Anthelmum variis negotiis impeditum, et Priorem Cartusiæ nunquam terminis suæ eremi egredi, alios duos Legatos nominavit : Simonem Priorem Montis Dei et Bernardum de Corilo monachum Grandimontensem, Simonis collegam ; de quorum sanctitate et prudentia confisus Alexander, totius negotii finem præsagiebat. Sciebat enim ob reverentiam et sanctimoniæ testimonium nequaquam muneribus vel vincendos vel tentandos eos, quorum professio non tantum munera, sed et cæteras mundi quisquilias contemnere erat.

Ad ipsum igitur Regem Summus Pontifex scripsit per præfatos Nuncios; ad quos extant Literæ apud Baronium de ejusmodi eis imposito legationis officio. Ubi de Literis ad Regem scriptis hæc habet :

«... Nostras Literas commonitorias eidem reddatis, et commonitionem vestram in spiritu fortitudinis et lenitatis adjungere studeatis. Quod si vos nec sic audire voluerit, sed in sua potius duritia et obstinatione duxerit persistendum, eidem Literas nostras comminatorias porrigatis : ex nostra parte constanter addentes, quod nos prænominato Archiepiscopo os de cætero nulla ratione claudemus, nec ipsi, nisi idem Rex ante initium Quadragesimæ, quæ jam quasi instare videtur, ea quæ superius diximus, implere voluerit, ulterius inhibitionem aliquam faciemus, quin suas et Ecclesiæ sibi commissæ, necnon et suorum injurias, ecclesiasticæ severitatis gladio pro sui officii debito gravius ulciscatur. Non enim credere debet, aut in mente habere, quia dormiens Dominus non aliquando excitetur, et quod beati Petri gladium ita rubigo consumpserit, quin educi valeat

et vindictam debitam exercere. Volumus autem, ut hæc (sicut prædiximus) diligentius exequamini, nisi venerabilis frater noster Bellicensis Episcopus, et dilectus filius Prior Cartusiensis, ea, prout illis mandavimus, exequantur. Datum Beneventi, 8 Kalendas Junii. »

Hac pariter die datæ leguntur Literæ ab eodem Alexandro Papa ad ipsum Regem Anglorum comminatoriæ, quæ habentur apud Baronium loco citato, apud Rogerium de Hoveden et Radulphum de Diceto; scriptæque fuerunt hæ Literæ 11 Kalendas Junii in Codice Vaticano, ut asserit Baronius, qui easdem Literas describit in hunc modum:

« Alexander Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Henrico illustri Anglorum regi, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quam paterne et quam benigne regiam sæpius Excellentiam convenerimus, et per Literas et Nuncios frequentius exhortati fuerimus, ut venerabilem fratrem nostrum Thomam Cantuariensem Archiepiscopum tibi reconciliare deberes, et sibi ac suis Ecclesias cum cæteris oblatis restituere, Sublimitatis tuæ prudentia nequaquam ignorat, cum id toti fere Christianitati publicum ac manifestum existat. Unde quoniam in hoc hucusque proficere minime potuimus, nec animi tui motum blandis et lenibus emollire, tristes et dolentes efficimur. Et nos spe ac fiducia nostra frustrari dolemus, præsertim cum te, sicut charissimum filium, sincerius in Domino diligamus: cui hoc grave periculum imminere videmus. Et quoniam scriptum est : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuncia populo meo scelera eorum;* et alibi : *Nisi annunciaveritis impio impietatem suam, sanguinem ipsius de manu tua requiram;* et alias per Salomonem : *Piger homo de stercore boum lapidari jubetur;* duritiam tuam, sicut hactenus, contra justitiam et salutem nostram non duximus ulterius supportandam. Nec præfato Archiepiscopo os de cætero aliqua ratione claudemus, quin officii sui debitum libere prosequatur, et suam et Ecclesiæ suæ injuriam ecclesiasticæ severitatis gladio ulciscatur.

« Quæ autem in Literis istis tam de his quam de aliis minus continentur, dilecti filii nostri, Prior de Monte Dei et Frater Bernardus de Corilo, viri siquidem plus Deum quam homines reverentes, Serenitati tuæ latius viva voce proponent. Quorum admonitioni Ille, cui servire regnare est et in cujus manu corda Regum consistunt, animum et voluntatem tuam inclinet, ut potius flecti velis, quam contra Deum et salutem tuam in tantæ obstinationis proposito diutius permanere. Quod si Nos in illis nec sic audire volueris, ea quæ tibi ex parte nostra proposuerint, procul dubio venturam poteris Divinam ultionem in proximo timere. Datum Beneventi, 11 Kalendas Junii. »

Interea convenerant Reges Franciæ

et Angliæ apud Montem mirabilem in pago Carnotensi, de pace utriusque regni collocuturi. Huc accessit cum divo Thoma, quem secum adduxerat, intrepidus Apostolicarum Literarum bajulus Simon, eaque, qua decebat Apostolicum virum, audacia Regem allocutus est. Sed animum flecti nescium in eo nactus, re infecta, ad sua reversus est; ipsumque Summum Pontificem, plena relatione ad ipsum missa, de toto negotio reddidit his verbis certiorem:

« Ad illustrem Regem Angliæ cum Fratre Bernardo de Corilo nuper profecti sumus, ut auctoritate mandati vestri inter ipsum et Dominum Cantuariensem pax et concordia confirmaretur. Et quo facilius tractaretur hoc verbum, Dominum Cantuariensem traximus ad locum, ubi Reges, auctore Deo, reconciliati sunt. Traditis autem Commonitoriis vestris Regi Angliæ, et adhibita diligentia, quam apud eum credidimus expedire, monuimus et consuluimus Domino Cantuariensi, ut se coram Rege humiliaret, et rigorem ejus humilitate precum et sedulitate obsequendi studeret emollire. Hoc ipsum Rex Christianissimus Franciæ, Archiepiscopi, Episcopi et magni Viri, qui aderant, unanimiter suadebant. Arctatus Regis consilio et omnium Archiepiscoporum, Episcoporum et Baronum, acquievit Archiepiscopus, et coram omnibus accessit ad Regem Angliæ, et genibus flexis posuit se in Deo et Rege ad honorem Dei et Regis, utens hac forma verborum, *ad honorem Dei,* ut sic posset pacem et gratiam ejus promereri. Rex autem propter hoc verbum, *ad honorem Dei,* noluit eum recipere, coram omnibus dicens publice, ne videretur quod Archiepiscopus Dei honorem vellet servare et Rex minime. Sed post multa (quæ utinam siluisset!) dixit, quod ab Archiepiscopo nihil aliud quærebat, nisi ut ei, tanquam Presbyter et Episcopus, coram omnibus promitteret in verbo veritatis, se sine omni malo ingenio servaturum Consuetudines, quas sancti Archiepiscopi Cantuarienses observaverant Regibus suis, et quas ipse Archiepiscopus sibi alia vice promiserat.

« Archiepiscopus autem respondit, quod Regi fecerat fidelitatem, qua ei præstito juramento tenebatur servare vitam, membrum, et honorem terrenum, *salvo Ordine suo :* et hoc fidelissime paratus erat implere, nec ab aliquo antecessorum suorum aliquid ulterius exactum est, vel ab aliquo exigendum. Et cum Rex super hoc articulo plurimum institisset, Dominus Cantuariensis adjecit : licet nullus antecessorum hoc fecisset vel promisisset, nec ipse ullatenus de jure facere deberet, tamen dixit, quod pro pace Ecclesiæ et gratia ejus promitteret se Consuetudines illas, quas sancti antecessores sui Regibus suis servaverant, *salvo Ordine suo* ei servaturum, quatenus secundum Deum posset ; et faceret pro amore ejus recuperando, quidquid posset, *salvo honore*

Dei : asserens quod nunquam libentius ei serviret, quam ut hæc faceret, si ei placeret. Noluit autem Rex hoc recipere, sed ut præcise et absolute sub juramento ei promitteret observantiam Consuetudinum, quia nihil ulterius ab eo exigebat. Quod quia Archiepiscopus, licet multi instarent, facere noluit, Rex discessit pace infecta.

« Cum vero Regem exhortaremur, ut juxta mandatum vestrum revocaret Archiepiscopum in gratiam suam, et ei pacem et Ecclesiam suam restitueret, respondit quod fortasse consilium amicorum erit, ut Ecclesiam quandoque restituat ; sed dixit, se gratiam non restituturum, quia tunc evacuaretur privilegium, quod ei dedistis, et quo potestatem Archiepiscopi suspendistis, donec redeat in gratiam ejus. *(Quænam fuerit ista suspensio, fuse refert Baronius.)*

« Et quia præceperatis eum primo convenire in spiritu lenitatis per Commonitorias vestras, Comminatorias vestras in aliud tempus dare distulimus. Interim vero Deum oramus, in cujus manu corda sunt Regum, ut animum ejus emolliat, et ad honorem suum et Ecclesiæ utilitatem pacem faciat reformari. Quod vero de mandato vestro reliquum est, accepto tempore per gratiam Dei cum omni diligentia exequemur, et exitum negotii quem Deus dederit, Majestati vestræ significare curabimus. Rogatus Frater Bernardus, sicut nos, ut negotii seriem vobis scriberet, respondit quod in Ordine suo inhibitum est, ne quis Fratrum pro aliquo negotio vobis vel aliis scribat; sed dicturum se spopondit coram Nuncio vestro Magistro Lombardo, qui ei Literas vestras tradidit, et qui vobis rem gestam, sicut is qui præsens interfuit, fideliter significabit. »

Hactenus noster Simon ad Summum Pontificem. Ex quibus recte conjicitur Episcopum Bellicensem, sanctum videlicet Anthelmum, olim Majoris Cartusiæ Priorem, ad Regem Angliæ saltem hoc tempore minime accessisse; imo constat ex Radulpho de Diceto solum Simonem cum præfato Bernardo de Corilo ad Montem mirabilem in pago Carnotensi cum B. Thoma Reges adiisse. Libet etiam hic adjungere quæ de eadem legatione narrat Joannes Sarisberiensis in Epistola 268 [al. 285] ad Bartholomæum episcopum Exoniensem :

« Licet illustris Rex Angliæ sæpe solenniter et publice jurasset se in hominium Christianissimi Regis ulterius, quoad viveret, non rediturum, saniori consilio acquiescens propositum mutavit, et in proximo Epiphaniæ die apud Montem mirabilem in pago Carnotensi ad memoratum Regem supplex accessit, se, liberos, terras, vires et thesauros exponens, universa contulit in arbitrium ejus, ut omnibus uteretur, abuteretur pro voluntate, retineret, auferret, daret quibus et quantum vellet, etc... Receperat ante paucos dies Rex Anglorum

per sanctissimum virum Priorem de Monte Dei et Bernardum de Grandimonte, pro Cantuariensi Archiepiscopo Commonitorias Domini Papæ, pacisque probandæ spem dederat, si modo D. Cantuariensis ei coram hominibus speciem humilitatis prætenderet, persuaseratque viris religiosis, quod eum in omni honore et libertate Ecclesiæ totius regni post se Dominum et Principem constituere disponebat... etc. »

Quod autem Simon dicat in supra memoratis literis, eumdem Bernardum de Corilo sui Ordinis (nempe Grandimontensis) inhibitionem causatum fuisse, quod ad Summum Pontificem scribere recusaret : hæc certe non vera causa fuit, ut ex sequenti epistola patebit. Deprehensus est enim suæ pelli nimium timuisse, ne videlicet in aliquo Regis Angliæ indignationem incurreret. Unde visum est, ut alter collega Simoni adjungeretur; isque fuit Engelbertus sive Igelbertus Prior Cartusiæ Vallis S. Petri ac postea Episcopus Cabillonensis. Cum autem ambo tardarent iterato ad Angliæ Regem accedere pro porrigendis Literis comminatoriis Domini Papæ, hanc ad eos scripsit epistolam [286] Joannes Sarisberiensis, beato Thomæ tunc a secretis :

« Venerabilibus Dominis et amicis Simoni Priori de Monte Dei et Engelberto de Valle S. Petri, suus Joannes Sarisberiensis salutem, et in causa Dei prosperari.

« Potest vestra meminisse Discretio, quod nunquam Domino Cantuariensi placuit, ut Apostolici mandati fines exequi differretis; acquievit tamen Fratri Bernardo successus feliciores promittenti, si usque in aliud colloquium deliberandi spatium Regi indulgeretur. Pollicebatur enim ferocitatem hominis interim in mansuetudinem convertendam. Sed ecce ex literis quas nuper accepi, luce clarius patet, quia et legatio Domini Pictaviensis procurata est in fraudem Ecclesiæ et nostram. Et utinam ipsa dilatio non habuerit dolum! Nam hoc rei exitus declarabit : dum nos promissam expectamus mansuetudinem, ille sollicitus agit quomodo honorem Dei subruat et totam subvertat Ecclesiæ libertatem. Quidni faceret? Exploraverat vires nostras, et iniquitate sua, non dico, meruerat, quoniam falsum est, sed subripuerat favorem omnium. Et ille qui solus in tantæ difficultatis articulo honorem Dei ausus est protestari, omnibus in derisum et sibilum datus est, et quasi ab universis consputus abscessit. Nonne de cætero facilem poterat iniquitas armata consiliis et favore sperare triumphum? Institi, ut consuluistis, apud Dominum Remensem ut Fratri Bernardo scriberet, sed non acquievit, dicens literas suas non profuturas, quia credit eum favere parti adversæ. Frequens enim est, ut qui nihil habere prædicantur, aut rem aut gloriam plurimum concupiscant.

« Non placet Domino Cantuariensi

me aut aliquem suorum interesse colloquio, præter Magistrum Lombardum Romanæ Ecclesiæ subdiaconum, quem invenietis in familia Domini Senonensis. Vos autem illuc producat Dominus in spiritu et virtute Heliæ, et gladium Phinees, cum zelo quem habetis, dirigat et roboret in manibus vestris. Nec timeatis a facie vel multitudine hominum, quia plures et fortiores nobiscum sunt, quam cum illis. Scribit Remensis Archiepiscopus pro causa nostra Domino Papæ, præcipiens literas suas ad meum formari arbitrium ; promittens etiam se necessitatibus nostris, quamdiu res exegerit, adfuturum. Viriliter agite, quæso, dilectissimi Domini, et dilationis periculum executionis officiositate et diligentia compensate, ut per vos innotescat, quoniam quicquid, ultra quod obtulit, a Cantuariensi exigitur, non modo potestatis excessus est, sed plenæ et planæ infidelitatis indicium. Unde sunt quidam, ut scitis, in excusationem erronei consilii, prætextu sanctitatis vestræ; sed nunc pateat ex professione veritatis et libertate spiritus, quod nunquam illi consensistis errori. *Ubi enim Spiritus Dei, ibi libertas est;* et vos procul dubio veritas liberabit. Valeat semper et prosperetur in Domino sanctitas vestra, nostri memor jugiter apud Deum, et quatenus honestati expedit, apud homines. »

His acceptis literis Simon, cum collega Engelberto, redit ad Regem Angliæ; cui juxta Pontificis jussionem Comminatorias ejus præsentavit, quas tandem Rex, ubi sæpius contra stimulum calcitrasset, accepit. Quæ vero inde secuta sint, idem noster Simon sequenti relatione ad Alexandrum Papam missa, patefecit his verbis :

« Juxta mandatum Sanctitatis vestræ, Commonitorias vestras illustri Regi Angliæ porreximus, operam et diligentiam pro viribus adhibentes, ut juxta commonitionem vestram Dominum Cantuariensem in gratiam revocaret, et ei Sedem suam restitueret, et pacem et Ecclesiæ suæ liberam dispositionem habere permitteret. Expectavimus diu, sperantes et orantes, ut Deus emolliret animum ejus. Sed cum non proficeremus expectantes, urgente mandato vestro, in colloquio Regum secundo ei Comminatorias vestras præsentavimus.

« Quas cum ille tandem vix recepisset, ad instantiam nostram et magnorum virorum qui aderant, hoc, post multa quæ referre longum est, responsum dedit : « Ego Dominum Cantuariensem de regno non expuli : et tamen pro reverentia Domini Papæ, si voluerit mihi facere quod debet, et servare mihi quod antecessores sui meis observaverunt, et ea quæ ipse promisit, redire potest in Angliam et habere pacem. » Et post varietates responsionum, tandem dixit evocaturum se Episcopos Angliæ et usurum consilio eorum; sed nec diem aliquem præfixit, nec aliquid aliud ab eo reportavimus, unde possimus de pace Domini Cantuariensis et

mandati vestri executione certiorari. Et quia responsa frequenter mutabat, interrogavimus eum, an liceret Archiepiscopo redire in Sedem suam, et frui pace sua? Ille vero respondit, quod Archiepiscopus nunquam ingredietur terram, antequam faciat ei quod debet, et promittat se servaturum quod alii servaverunt, et quod ipse promisit. Deinde rogavimus eum, ut scriberet et signaret patentibus literis responsum suum, quia oporteret nobis rem certam vobis referre, quam nondum habebamus, quia tam frequenter responsa variabat. Ille vero noluit acquiescere.

« Archiepiscopus vero respondit, cum hoc ei retulissemus, se paratum esse facere Regi quicquid debet, et servare quod ab antecessoribus suis servatum est, quatenus possit *salvo Ordine suo;* sed novas inire obligationes, quæ a decessoribus præstitæ non sunt, et promittere aliquid hujusmodi, nisi *salvo Ordine suo,* sibi esse illicitum sine auctoritate Domini Papæ : tum quia novam formam in Ecclesiam inducere perniciosum esset, tum quia a vobis inhibitus est, ne aliquid unquam tale promittat, nisi *salvo honore Dei et Ordine suo.* Et adjecit quod eum increpando dixistis, quod nec pro capite suo debuisset se ad talium Consuetudinum observantiam obligasse, nisi *salvo Ordine suo.* Sed si Rex, prout mandastis, ei gratiam suam, et pacem, et Ecclesiam, et ablata sibi et suis restituat; quicquid secundum Deum et *salvo Ordine suo* poterit, libenter faceret ad voluntatem ejus, et ei diligentissime et devotissime totis viribus servire studebit. Placeat itaque Sanctitati vestræ opem ferre Ecclesiæ laboranti, et perseverare in eo, quod laudabiliter cœpistis. Quia, sicut a multis audivimus et credimus, si perseveraveritis, Ecclesiæ pax et salus in januis est. »

Collaborante igitur Simone pro negotiis D. Thomæ Cantuariensis (quæ fuse ab Historicis describuntur), Cartusia Ligeti anno 1178 exordium sumpsit, munificentia præfati Anglorum Regis. Cartusiam quoque Vallis Dei nomine Cartusiensis familiæ Simon acceptavit, eique assignavit primos incolas e Monte Dei, agente potissimum Guillelmo Senonensi, postea Remensi archiepiscopo. Hic, præter Domum Vallis Dei, ad quam fundandam ipsum Fundatorem Rotrodum Pertici comitem et Henrici regis Angliæ nepotem impulit, aliam quoque apud Trecas extrui sategit, usus opera nostri Simonis. Cum enim haberet fratrem suum Stephanum, ex comite Sancerrano Cartusianum, — [*De quo in margine nostri Ms. hæc legitur Nota :* Stephanus nondum factus erat Cartusianus, si tamen unquam factus, quando actum est de fundatione unius Cartusiæ prope urbem Trecas.]— summopere afficiebatur erga ejusdem Instituti professores. Egit igitur apud Henricum fratrem natu majorem, comitem Trecensem seu Campaniæ, quatenus Ordini monasterium construeret.

Is cum jam Simonem Priorem non mediocriter coleret et observaret, vocavit ad se Petrum Cellensem abbatem, quem noverat Simoni addictum, ut cum eodem Simone et Engelberto Priore Vallis S. Petri tractaret pro ædificatione novæ Domus juxta Trecas; insuper et ad R. P. Basilium Priorem Cartusiæ scriberet pro impetranda licentia dictæ Domus extruendæ. Qui statim ad Basilium scripsit epistolam (Ep. 12, lib. 5; al. Ep. 48), in qua de hoc negotio sub finem agit his verbis :

« Cæterum salutat vos dominus Henricus comes Trecensis, et universitati vestræ mandat cum omni supplicatione, ut suæ petitioni acquiescatis. Et nobis hoc injunxit, ut ad vos unum de Nostris mitteremus, per quem voluntas et desiderium cordis vobis innotesceret. Quod autem non proprio sigillo scripsit vobis, occupationis maximæ fuit de suis et regiis negotiis. Est autem petitio, ut ei concedatis locum præparare Ordini vestro sumptibus suis, juxta morem vestrum, in terra sua, ubi visum fuerit his, quibus hoc negotium injunxeritis. Petit etiam, ut Priori de Monte Dei et Priori de Valle S. Petri injungatis hanc curam. A multis enim temporibus hoc ipsum cœpit, et orationibus vestris adjutus cupit perficere... etc. »

Ex mandato igitur Basilii delegati Simon et Engelbertus, accesserunt ad Comitem, visoque quem assignarat ad opus loco, judicarunt eum minus Instituto Cartusiensi commodum. Quod cum percepisset Comes, a devotione sua nonnihil refriguit, opusque vel neglexit, vel intermisit. Sed paulo post novo ardore succensus, evocavit e Monte Dei quosdam, qui locum alium explorarent aptiorem; sed res infecta permansit.

Porro tanta vitæ sanctimonia et fama eruditionis floruit Simon, ut Petrus cardinalis S. Chrysogoni Legatus in Galliam, ab Alexandro III requisitus quatenus viros ad Cardinalatum promovendos ei deligeret, inter cæteros et primos nominaverit Simonem; ut constat ex epistola ejusdem Legati ad Alexandrum, cujus tenor talis est:

« Sanctissimo Patri et Domino Alexandro, Dei gratia Summo Pontifici, Petrus sola dignatione Divina tituli S. Chrysogoni presbyter Cardinalis, salutem et obedientiam tam devotam, quam debitam.

« Jampridem Literas Beatitudinis vestræ recepimus, continentes ut inquirere deberemus, quæ personæ de regno Francorum aut de partibus illis possent in Romanam Ecclesiam promoveri. Sane, cum proposuissemus ad pedes Sanctitatis vestræ redire, nomina illorum, quos ad hoc dignos et idoneos credimus, viva voce potius circumspectioni vestræ volebamus exprimere, quam literarum commendare figuris. Cæterum, cum (quod sine dolore dicere non possumus) multos Patrum nostrorum Episcoporum et Cardinalium ad se revocaverit Dominus, et Ecclesia remanserit ipsorum solatio destituta; et

nos juxta mandatum vestrum, pro pace inter illustres Francorum et Anglorum Reges confirmanda, et hæreticorum extirpatione, in partibus illis aliquantulam moram facere debeamus, ut Ecclesia Dei sub sancto Apostolatu vestro et merito et numero possit augeri : Sanctitati vestræ duximus significandum, quod N. Clarævallensis, et Prior de Monte Dei de Ordine Cartusiensi, et literati sunt, et honestate et religione prædicantur insignes; et nos tantum de vita et conversatione eorum cognovimus, quod in puritate conscientiæ et sine scrupulo alicujus dubitationis audemus consulere, ut ipsi a vobis debeant promoveri. Magister autem Balduinus, abbas de Fordenne, quamvis eum non viderimus, a toto Ordine Cisterciensi de multimoda literatura, honestate et religione potissimum commendatur... etc. »

Quamvis autem Simon inter purpuratos Patres ab Alexandro morte forsan præoccupato non fuerit annumeratus, tanta fuit apud eumdem Papam existimatione, ut præter illam legationem pro S. Thomæ reconciliatione cum Rege ei injunctam, negotium quoque præfatus Pontifex demandaverit de redhibitione uxorum filiarum Regis Franciæ maritis suis; quod quidem patet ex Alexandri Epistolis :

« Alexander Episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis et dilectis filiis suis Abbatibus, et aliis Ecclesiarum Prælatis et universo Clero per Angliam et cismarinam terram illustris Regis Anglorum constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Non est vobis, sicut arbitramur, incognitum, qualiter Henricus illustris Anglorum rex pro discordia, quæ inter ipsum et filios suos peccatis exigentibus est suborta, uxores eorum, filias videlicet charissimi in Christo filii nostri Ludovici illustris regis Franciæ detineat : pro quibus sibi restituendis idem Rex Franciæ et filii prædicti Regis Angliæ, generi sui, preces nobis porrexerunt. Nos itaque studiosius attendentes justum et honestum existere, ut viri uxores suas repetere debeant, et precibus ejusdem Regis Francorum et generorum suorum non solum in iis, quæ ex officii debito tenemur efficere, sed etiam in omnibus quæ a justitia non discordant, volentes prompto animo acquiescere : præfatum Regem Angliæ studiose satis et attente monuimus, eique dedimus in mandatis, ut ad commonitionem venerabilium Fratrum nostrorum Tarentasiensis Archiepiscopi, Claromontensis Episcopi, et dilecti filii Cartusiensis Prioris, vel loco ejus, Prioris de Monte Dei (si ipse adesse non poterit), vel duorum ex his, si tres non potuerint interesse, filiis suis uxores infra quadraginta dies post Literarum nostrarum susceptionem restituere non postponat. Si vero intra terminum præscriptum eas viris suis non restituerit, Apostolica auctoritate præcipimus, ut

tota provincia infra quam detinetur, ab omnibus divinis Officiis cesset... etc. »

Tandem Simon omni sanctitate clarus, vitæ cursum feliciter absolvit, die 17 Novembris, circa annum 1184.

ROGERIUS

MONACHUS MONTIS DEI

Circa annum 1164 in Daniam pro fundatione unius Domus profectus ad petitionem beati Eskilli Sueciæ primatis et Lundensis archiepiscopi; postea ad Montem Dei redux, reliquos vitæ annos cum Maria ad Domini pedes exigens, naturæ debitum persolvit die 17 Novembris.

Rogerii meminit in suis Epistolis Petrus Cellensis abbas. De quo etiam mentio fit in Necrologio Cartusiæ Montis Dei ad 17 Novembris.

S. HUGO D'AVALON

EPISCOPUS LINCOLNIENSIS

IN VITAM

S. HUGONIS EPISCOPI LINCOLNIENSIS

ADMONITIO AD LECTOREM

Hanc, quæ sequitur, sancti Hugonis Vitam excripsimus ex Codice manuscripto D. Petri de Wal Cartusiæ Bruxellensis professi, qui eam quoque ex alio manuscripto Codice exscriptam, variis annotationibus, et compendiis omnium quæ tractantur, in margine appositis, illustravit; ut sic, cunctis aut certe præcipuis quasi in summam redactis, stylum Authoris multis in locis obscurum et inertem Lector enucleatius perciperet. Deinde noster ipse Wallius Librum tertium uno auxit capitulo, scilicet quinto decimo, in quo quædam recenset miracula ab Authore omissa, sed a beato Hugone dum viveret perpetrata, quæ ex alia Legenda desumpsisse in margine profitetur. Hæc autem miracula iisdem ferme verbis refert Matthæus Paris in sua Historia Anglicana, quæ etiam postea, ad majorem veritatis firmitatem, inter testimonia recensebimus.

Insuper, quæ ad calcem totius Codicis habentur de canonizatione S. Hugonis, et de multis aliis miraculis ad sepulchrum ejus diversis temporibus editis, non ab ipso Authore (qui hanc Vitam conscripsit circa annum 1212, ut inferius probabimus), nisi saltem post jam relatum inter Sanctos Hugonem, anno videlicet 1220, adjici potuere: aut certe ab eodem Petro Wallio vel alio aliquo exscriptore addi potuisse credenda sunt.

His omnibus Appendicem subjicimus, in qua quomodo beatus Pontifex in Sanctorum numero adscriptus, et corpus ejus post annos octoginta translatum sit, fusius et accuratius pertractamus. Deinde mira de capite ejus, quæ ducentis sexaginta quatuor annis post

ejus mortem contigit, enarrata historia; insigniora tandem tum e Catholicorum tum e Protestantium scriptis de beati Præsulis sanctitate testimonia percensemus.

Hujus vero Vitæ Authorem, monachum quidem fuisse (sed non Cartusianum, ut quidam autumant) et beati Hugonis familiarem ac socium, certissimo liquet ex variis ejusdem Vitæ locis, maxime ex Proœmia Libri secundi, ubi de se sic loquitur : « Cum Lincolniensis ecclesiæ Præsulatum annis jam Hugo bissenis, diebus quinquaginta tribus, gloriosissime administrasset, placuit sanctitati suæ parvitatem meam de vitæ claustralis dulcedine in solicitudinum suarum qualecumque solatium assumere, suoque inseparabiliter lateri sociare. A quo tempore, per annos tres et dies quinque, quamdiu scilicet in corpore postea vixit, nunquam nisi per unam solam noctem ab ejus convictu recessi... etc. » Ex quibus verbis emendandus est Petræus, qui eumdem Authorem dicit adhæsisse sancto Hugoni circa annum Domini millesimum centesimum nonagesimum, cum potius signandus sit annus nonagesimus septimus : quandoquidem ipse Author asserit se in socium a sancto Præsule assumptum fuisse tribus annis ante illius obitum, qui accidit anno Domini 1200.

Quod autem idem Author nostrum non sit professus Institutum, colligi potest ex capitulo nono Libri quarti, ubi sic de se et Hugone loquitur : « Et hæc quidem, ad ædificationem nostram qui ei (Hugoni) candidis induto adhærebamus in schemate nigro, referre solitus erat. Adjiciebat (Hugo) Ordinis sui tenore antiquitus sancitum haberi, ut licitum sit professoribus suis, si observationes illas suis probaverint viribus aut moribus non satis congruere, ad istorum (Cluniacensium) Instituta convolare. » Hæc ille : qui, si Cartusianus fuisset, alia certe ratione de Ordine nostro verba fecisset, nec aliis, quam sanctus Hugo, vestibus usus esset. Ex his autem verbis conjicit noster Wallius eum fuisse monachum nigrum Cluniacensem. Sed nec mihi placet hujusmodi conjectio, quam vix probabilem esse sagax Lector ex ipso verborum contextu potest deprehendere ; quin etiam alibi passim de Cluniacensibus ita loquitur, ut satis inde liqueat eum ex eis non fuisse.

Restat igitur ut ex nigro habitu concludamus eum extitisse monachum Benedictinum, et ex continua cum Hugone consuetudine, ac Episcopalium solicitudinum communicatione, Archidiaconum egisse : ut Petræus post Sutorem non absurde credidit. Nam olim in Anglia monachi primas dignitates in plerisque Cathedralibus obtinebant. At ex Vita S. Birini episcopi Dorcestriensis *(Surius, Vitæ Sanct. ad 3 Dec.)* colligere possumus Ecclesiam Lincolniensem habitatam fuisse a Canonicis Regularibus, quos quidam putant gessisse habitum nigrum.

Hanc porro Vitam ab Authore in exilio agente circa annum 1212, vel 1211, conscriptam fuisse haud dubie colligo ex capitulo nono Libri quinti; ubi dicit miraculum erga quemdam furiosum a sancto Hugone, dum ire in Gallias disponeret, patratum fuisse, tredecim annis et amplius antequam hæc scriberet. Ex sequentibus vero constat sanctum Episcopum ad Regem Richardum in Galliis tunc morantem transfretasse anno Domini 1199. Itaque ut tredecim anni a patrato miraculo effluxisse inveniantur, necessario signandus est annus 1212, vel 1211. Quo etiam anno præfatus Author in exilio positus esse probatur ex capitulo quinto decimo Libri quinti; ubi de Abbate et Priore Claramarisci diœcesis Audomaropolitanæ in Artesia loquens, sic de exilio facit mentionem: « Nos, in exilii nostri præsentis excursu, ad eos parumper digressos humane satis recognovere, etc. » Invenio autem apud Matthæum Paris ad annum 1209, multos ex Clero et nominatim Episcopum Lincolniensem a Rege Joanne Richardi fratre et successore, eo quod gravioris Interdictionis fulmine Summus eum Pontifex perculisset, expulsos fuisse ab Anglia (inter quos hunc nostrum Authorem unum fuisse, qui suum Episcopum comitaretur, extra dubium esse debet), nec rediisse nisi anno 1213, post Regis cum Ecclesia reconciliationem.

Quisquis tandem hanc perlegerit Vitam, ex multis intelliget Authorem ejus fuisse virum pium et religiosum, quem S. Hugo, nisi talem reperisset, haud dubio ad tantum munus non assumpsisset. Ex ipso autem Prologo satis innotescit quantæ fuerit humilitatis; cum, præter verba quibus se frequenter deprimit, nomen etiam suum occultare voluerit, cujus primam tantum literam exaravit, sic scribens: « Dominis et amicis in Christo charissimis.... servorum suorum minimus, F. A. » Quamobrem noster Surius, qui ex præfato Authore, non autem ex alio (ut aliqui putant) hanc eamdem Vitam (cujus etiam hodie Apographum membranaceum in Cartusia Coloniensi asservatur), rudiori correcto stylo, edidit, eum Anonymum vocat. Ab aliis vero ex hac litera A. Adamus nominatur. Unde forte errat Molanus, qui in Notis ad Martyrologium Usuardi perhibet Vitam S. Hugonis ab Adamo Cartusiano Anglo fuisse conscriptam. Hæc autem ex levi conjectura dico, non affirmo: præsertim cum ipse Molanus asserere videatur hunc Adamum vixisse anno 1340. Unum tamen constat, hujus Cartusiani Manuscriptum nulli hactenus perspectum fuisse.

Unum adhuc monere operæ pretium fuerit, hujus etiam Vitæ (quam subjicio) Molanum meminisse, et initium Prologi sic referre: « Dominis et amicis in Christo charissimis Q. Priori, etc. » Sed loco Q. debuisset Molanus scribere R., id est Roberto, quem post mortem sancti Hugonis Bovoni, quarto Priori

Withamiæ, successisse alibi diximus et probavimus.

VITA
S. HUGONIS LINCOLNIENSIS
EPISCOPI ET MONACHI CARTUSIENSIS.

PROLOGUS.

Dominis et amicis in Christo charissimis R. Priori, et qui cum eo sunt sanctis Withamiensibus Monachis, servorum suorum minimus, F. A., vitæ quæ nunc est et futuræ gaudia.

Silentium mihi, Patres dilectissimi et Domini in Christo plurimum reverendi, si nihil aliud, nisi quod puer essem, imperaret, non nimis indebite vel ad balbutiendum impelleretis, qui loqui nesciret, servulum vestræ sanctitatis; esset quoque mecum ignorantia mea, quam suis viribus majora attentantem excusaret aut commendaret supplex obedientia : nunc autem et sensibus parvulum et sermone imperitum, et, quod maxime mihi lugendum est, puritatis minus conscium, non quibuscumque auditoribus, sed senioribus in omnibus præmissis, quibus ego egenus et pauper nimis sum, prædivitibus loqui jubetis ; jubetis, inquam, nec a jubendo flecti acquiescitis, quatenus non nudis loquendo verbis, perfunctorie transeuntibus, immo tenacibus scribendo litteris, scilicet ex his quæ de Viro beatissimo, Hugone Lincolniensi præsule, vidi, audivi, et certius cognovi, ad subsidium memoriæ aliqua sæculis [al. schedulis] tradam.

Instantiam beneplaciti, seu rationem arbitrii vestri, judicare non est meum ; est autem debiti, est et desiderii mei, super facultatem et præter æstimationem virium mearum, vobis per omnia obedientem me inveniri. Sit autem, sicut esse debet, dignatio vestræ benignitatis, carbonem Isaiæ purificando, sermonem scientiæ erudiendo, suppliciter a liberalissimo communique Domino impetrare orando, *Qui dat omnibus affluenter, et non improperat.* Audivi quidem ad Jeremiam factum verbum Domini, *Ad omnia quæ mittam te ibis, et universa quæ mandavero tibi, loqueris ;* ipsius et de vobis istam legi sententiam, *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* Tantam plane in vobis non spernere, tantam potius audire præopto in vobis loquentis et habitantis Majestatem ; nec causari quo minus vos audiam necessarium judico, sanctitatis Jeremiæ me tam expertem, quam in utero et post uterum miserum immo et miserrimum peccatorem ; expedit enim quo plus sanctitatis exortem, eo amplius subjectionis illius æmulatorem inveniri.

Vos autem, si placet, in scribendis per me quæ superna Pietas dignabitur inspirare, non meam imperitiam, sed vestram potius audiri cognoscentes jussionem et legi, hæc ipsa, qualiacumque fuerint, sic accipite et discutite verbis

vel sententiis; sic elimata et castigata, quibus visum fuerit communicanda, præbete, tanquam proprium vestrum sentientes esse, quidquid in eis plus minusve studio lectionis [al. lectoris] videbitur prodesse.

Nosse quoque Lectorem oportet (sicut et vos meminisse debetis), quia non seriatim et integre Vitam scribere Viri hujus beati, Fundatoris et Institutoris nostri [al. vestri], communis Patroni nostri, suscepi : cum muneri tanto imparem me et penitus insufficientem nullus ignoret. Jure vero credendum, non modo ab aliquo uno suorum tot doctissimorum filiorum, immo et a pluribus hoc jam sublimiter attentatum feliciterque, prout homini possibile fuit (licet id certius non approbemus) esse consummatum. Quis enim, ut vere dignum erat, universa quæ de tanto Viro salubriter innotescerent, scribendo explicaret? Quis etiam, ut experta loquar, non dico scriberet aut referret, sed Hugoni dum in terris ageret adhærens, Hugonem videns et audiens, Hugonis occulta et manifesta quantum homini fas erat agnoscens, quæ in Hugone miranda fuerint et imitanda digne comprehenderet? Quis, ut paucis utar, vitæ illius et morum sinceritatem, sed suavitatem, sed sanctitatem, sed singularem in tot gratiæ spiritualibus charismatibus eminentiam quantalibet mentis perspicacia amplecti potuisset?

Et quidem, in carne adhuc illo agente, sed meritis Cœlum obtinente, non modica sed nec pauca de his quosdam me longe doctiores scripsisse agnovi, ex quibus aliqua inspexi : quod etiam pro excusatione mea prætendebam vobis, cum a mea imperitia hunc scribendi laborem impendi *Hugoni,* ut dicebatis, *meo,* impensius exegistis. Avido quam maxime sermone de supplici vestro triumphastis; et, in morem Elisei, fluctivagos humilitatis meæ æstus, tanquam Jordanicos vortices, pedibus vestris pervios reddidistis. Quando enim declivem vecordiæ [al. verecundiæ] meæ inscientiam *Hugonis mei* nomen tetigerit, ut in eo Eliæ pallium aquas illas patefecit, cessi protinus; et ex gestis beati Viri, ac si de pulcherrimo ligno quodam Paradisi, vel paucula me poma decerpturum, si Dominus facultatem suppeditare dignaretur, promisi.

Quæ tandem isto qualicumque libello inserta, ut solent fructus pretiosi calatho viliore nonnunquam includi, vestræ, quanta jam possum ex devotione, transmitto sanctitati, dulciter, si placet, suscipienda, dulcius amplectenda, sed dulcissime delibanda. Ne vero aliter, promittentis aut continentis vitio aut vilitate, eveniat, missum et contentum facile, ut spero, obtinebit.

Bene valeat et vigeat in omni sanctitate et pietate, ac pro nobis jugiter intercedat, universitas sanctissimi cœtus vestri, Domini mei et Patres semper merito venerandi.

LIBER PRIMUS.

CAPITULUM I.

QUALITER HUGO, GENITRICIS SOLATIO DESTITUTUS, ET REGULARIUM COLLEGIO CLERICORUM UNA CUM GENITORE SOCIATUS, JUGUM DOMINI AB ADOLESCENTIA PORTAVERIT; ET PROPRIA IPSIUS RELATIO DE INSTITUTIONE SUA.

Illustris sobolis clarissimi genitores ea ratione splendidius justiusque exornant signum tituli liberorum, si a quibus ducitur linea generosæ propaginis, ab ipsis materia virtutis et incrementum ducatur probitatis. Eo quippe omisso, stemmata, ut quis ait, quid faciunt? Quid enim confert generosum quemlibet in hujus mundi lucem prodiisse, et in mundo degenerem vixisse? cum satius sit natalibus quam moribus extitisse obscurum, et nasci quam fieri non præclarum. Suos itaque genitores, simul et germanos fratres, Viri sanguine clari, sed clarissimi sanctitate, Hugonis Antistitis præconia jure insignia collustrant; dum ab illis sanctæ institutionis prælibavit exordium, ab istis strenuæ actionis percepit adminiculum. Verum ista procedens sermo manifestius locis absolvet opportunis.

Et genitricis quidem solatio, cum primæ necdum metas attigisset ætatis, orbatus est; collegioque Regularium Clericorum una cum genitore in brevi postmodum sociatus. Erat fere octennis, cum spiritualis militiæ subivit tyrocinia: boni quippe parentis pro eo salubriter invigilavit solertia, ut prius doceretur militare Domino, quam disceret vivere mundo. Nam ipsa tenerioris ejus quoque rudimenta ætatis non otio, multo minus vero lasciviæ cessere. Elementaria litterarum hic sibi vindicaverant gymnasia; ubi labor et dolor, ex ipsarum prodeuntes radice, exultationem parturiebant ei et multam requiem, qua quandoque satiandus erat earum dulcissima fruiturusque suavitate. Ita vero in Christi tyrone, homo natus ad laborem laboribus mox natus exercetur, ut avis aptior ad volandum in eodem citius redderetur. Ita non modo ab adolescentia, immo ab infantia jugum Domini portare consuescens, celerius canos sensus attigit, quo fieret idoneus solitarius sedere, et levare se supra se. Sic demum infantile corpusculum flagella pædagogi atterunt, sic disciplinæ compedes motus in eo pueriles coercent, ut virtutibus vitia præteriret, et tota vita ejus præsens, a sui ortu usque ad occasum, unum esset et juge martyrium.

Nam et ab illius ore veridico quæ sequuntur pluries accepimus. Ut enim fuit reverenda gravitate affabilis et sanctitate singulari accedentibus ad se, secumque viventibus dulcissimus et communis, familiariter sæpius cum suis agens, talia simpliciter de se ipso referebat : « Revera, aiebat, ego mundi hujus gaudia nunquam attigi ; jocos nunquam didici, nunquam scivi. » Consequenter, primæ institutionis suæ seu educationis in hunc modum ordinem

retexebat : « Pater, inquit, meus, cum pueriles annos ingressus elementa jam prima litterarum percepissem, patrimonium liberis suis in funiculo distributionis partitus est; portionem vero, quæ inter fratres me minimum contingebat, Regularium Clericorum collegio contulit. Nec diu moratus, omnia quæ mundi sunt funditus abjiciens, Christi militiam subiturus, tyro in castris cœlestibus, in mundanis jam emeritus, repente efficitur. Nec enim emeritorum immunitas sibi potuit esse amori; quæ etsi fatigatis militia indulget quietem, sed defunctos a militia [al. a miseria] non absolvit, etiam post mortalis vitæ expletum laborem. Vitæ igitur Regularis, cujus jam olim gessit mentem, suscepit habitum; et quod sibi concessum non fuisset medullitus gemebat in ipso mundi ingressu de mundo egredi quæ mundi sunt nescientem. Facile persuadens mihi, me pariter secum spiritualis militiæ consortem adscivit.

« Est ecclesia in territorio Gratianopolitano, Canonicæ professionis Clericos fovens, numero quoad minus septem. Spectat quoque, cum suis incolis, locus ipse ad matricem et Cathedralem Gratianopolitanam ecclesiam, quæ et ipsa ejusdem professionis nobili pollet examine. Hanc semper affectu speciali coluit genitor meus, quæ et suis castellis ac terris situ confinis erat; et ipse, ut filius devotus, Majoris Ecclesiæ gratiam in filiæ ipsius reverentiam se complecti gaudebat.

« Inter Canonicos illius loci senior quidam, religione celebérrimus, scientia quoque spectabilior cæteris habebatur. Huic Nobilium liberi certatim a parentibus tradebantur, sæcularibus simul et ecclesiasticis litteris imbuendi, nec non et Ethicis informandi disciplinis. Hic mihi sacras litteras inter ipsa rudimenta summopere ingerens, blandimentis quibus posset et monitis teneros animos ad solidioris spiritualisque amorem doctrinæ accendere nitebatur. Ab ludendi vero jocandique vanitate, varia mentis meæ intentionem arte suspendens, honestis implicabat cujusque rei exercitiis. Coævis autem et sodalibus pueris frequenter ex more ludentibus, mihi talia leviter instillabat paternæ dulcedinis hortamenta : « Non te, inquit, dulcissime fili, stolida alliciat vagaque levitas sociorum. Sine illos; sorti tuæ istorum studia minus conveniunt. » Addebatque : « Hugonete, Hugonete, ego te Christo nutrio ; jocari non est tuum. »

CAPITULUM II.

QUANTUM IN DISCENDA VOLUNTATE DEI FUERIT SOLICITUS, ET IN DIVINIS OFFICIIS SOLERS ET DEVOTUS.

Hujus itaque viri saluberrima institutione docente eum, interius Sancti Spiritus unctione proficiebat in dies puer gratiosus, Deo charus et hominibus. Repletus, supra quam facile dici potest, Spiritu sapientiæ et intellectus : gustans vero, magisque ac magis hau-

riens dulcedinem cœlestis doctrinæ,avidius inhiabat uberibus Matris Ecclesiæ. Erat ei ex toto voluntas in lege Domini, in qua meditabatur die ac nocte. Curabat solicitius in omni humilitate et puritate, utriusque charitate [al. cathizetæ], hominis videlicet rigantis exterius, et Dei interius incrementum dantis, monitis et nutibus docibilem se et submissum exhibere. Currebat, ut alter Samuel, ad quod eum invitabat suus illo quondam caligante meliorque et humilior Hely; et, cum eodem, vocante eum Domino in cordis aure, alacriter aiebat : *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.*

Certabat in ejus animo cum studio sciendi, desiderium adimplendi voluntatem Dei. Noverat quidem, sicut majus esse habeat facere quam scire, ita prius esse habet scire quam facere : sciebat id, quod inferius est horum utilitate, primum esse proficiendi ordine et temporis ratione. Nitebatur omnem Domini sui voluntatem nosse, ne forte ignorantem Dominus ignoraret. Cavebat solicitius ne vel per errorem omittendo agenda, vel admittendo cavenda, ad inimicitias Domini quandoque erumperet, et inter fideles servos, quos pius Dominus amicos suos appellat, censeri non posset; cujus animus eo minus custodiret ea, quo periculosius ignoraret. Ad utrumque ergo velox, ad utrumque solers, et ignorare quæ Dei sunt ut erroris seminarium et delinquendi fomitem devitabat, et agnita non implere, quod multarum castigatione plagarum sciret luendum, ut extremam perniciem fugiebat. Verissime illud beati Job ei congruere fidenter dixerim, quia *Semper ut tumentes super se fluctus timuit Dominum :* id quod sequitur altius pensans, *Sciens,* inquit, *quod non parceres delinquenti.*

Jam vero pubertatis tempore adolescentiam mediis in eo annis dirimente, quantum discretionis et scientiæ, quantum virtutis et gratiæ, fons ei infuderit [quem sitiebat vitæ], nullus de facili posset stylus evolvere. Plantatus siquidem ab ipsis, ut ita dicam, ortus sui primordiis, tanquam generosus quidam ligni vitæ surculus, secus salutarium decursus aquarum, miserat profundæ humilitatis radices deorsum, ut faceret fructum sursum : quem etiam in tempore suo cunctis daret habitantibus secum. Sic plane adolescens pius primo mulcebat cunctos multiplicibus gratiarum, quibus exuberabat, donis, quæ procedente post tempore longe lateque diffudit. Scintillans namque Spiritus Sancti in pectore ejus igniculus, viciniores quosque suis primo accendit flammis : qui in vastum subinde incendium convalescens, splendoris sui et caloris beneficia in remotiores circumquaque gratius dilatavit.

Videre erat dona gratiæ et dotes naturæ quemdam in ejus prærogativam sibi assumpsisse conflictum, ut vix discerneres quænam earum partes in eo ageret potiores. Sed vincebat naturam

gratia : dum bona indoles accipiebat gratiam pro gratia, superante præventricem subsecutiva. Vigebat ingenii acumine magno, quo velociter quæcumque vellet addisceret. Memoriæ vastissimis gaudebat apothecis, ubi quæ didicisset nulla oblivione perdenda reponeret. Hæc tamen naturalia nullius fuissent momenti, nisi gratiæ appositio, et præclara quæ discerentur suggereret, et cumulatius quæ suggessisset propaganda augeret. Fervebant in pectore ejus meditationum examina, et Litterarum ; fragrabant cœlestium odoramenta gaudiorum ; assurgebat ardor desiderii rorantis a supernis mellitæ dulcedinis. Et inter hujusmodi epulas felix anima cantabat sibi : *Si vix stillam tenuissimam sermonum ejus accepimus, quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri?*

Cœpit interea ut in divinis sedulus esse Officiis, ita quoque solicitus Fratrum inservire obsequiis, ut utrobique nihilominus se totum impenderet. Nihil unquam oblivio, nil quævis poterat occupatio sedulitati ipsius furari, quin Deo quæ Dei erant, et proximorum proximis, impnætermisse et inoffense, prout sibi competebat, pro tempore et loco reddere meminisset. Nec tantum deputata explere satagebat officia ; sed omnia tanquam specialiter a se credebat exigi, quæ, teste conscientia, pro cujuscumque utilitate aut refrigerio a se putasset posse exhiberi.

Denique cum talia de eo, coram eo jam Episcopo, qui eum tunc temporis noverant Fratres aliquoties, me quoque præsente, referrent, ipse aiebat : « Utique, postquam Cartusiam adii, nescio si vel semel mihi aliquando subrepsit morantia in aliquo officio quod implere deberem. » Dicitur autem vulgo *morantia* inter monachos, cum legendi, cantandi, aut serviendi sibi munus assignatum omittit quis, unde moram patitur functio regularis. Dicebat vero non quidem jactanter, sed constanter, ista de se. Cum enim in dedicationibus ecclesiarum et celebrationibus Ordinum, vel quandocumque in divinis Officiis diurnis nocturnisve, per incuriam ministrorum, cantorum, seu lectorum aliqua tardatio emergebat, talem suorum cupiens castigare negligentiam, hoc eis de se ipso habendæ in divinis Officiis exemplum intimabat diligentiæ.

In hac perseveravit usque in finem diligentia, cunctis agnoscentibus, miranda potius [al. facilius] quam imitanda. Nunquam præsens tumultuantis frequentiæ importunitas, nunquam transactæ vel præsentis cujusdam disceptationis implicitas, aut alius qualiscumque casus undecumque emergens ei potuit subrepere, quin corde semper et labiis paratum et promptum haberet quidquid tempore et hora, tam in altaris quam in alterius officio ministerii, esset prosequendum.

CAPITULUM III.

COMMENDATIO MORUM PATRIS EJUS; ET DE QUODAM NEGOTIATORE HUGONIS NARRATIO; ET QUOD IDEM PATERNÆ SENECTUTI JUSSU PRIORIS SUI DEVOTUS SERVIERIT.

Ut autem cœptæ narrationis ordinem seriatim prosequamur, Hugone jam adulto, pater ejus senectutis extremæ crebris cœpit urgeri incommodis. Tantam vero idem in utraque, prius scilicet in mundana, ac deinceps in spirituali obtinuerat militia virtutis palmam, ut nihil ejus haberetur commilitonibus gratius, quam ei in omnibus gratum deferre contubernium : fuerat enim modestiæ singularis, moribus suavis et honestus, comitate strenuus, benignitate acceptissimus. De quo, licet in rem quam intendimus videamur in digressionis præjudicium aliquatenus venire, quiddam relatu mirum, quod ipsum sæpius referre non pigebat Hugonem jam Episcopum (jam levia nec audientem libenter nec proferentem), non absurdum putamus inserere lectioni.

Manebat in quodam patris ipsius fundo negotiator quidam, quem et ipse tunc puer bene noverat, qui merces a peregrinis delatas regionibus, vicinis venundare consueverat. De remotis partibus suos, post interposita morarum spatia, repetens lares, dominum suum adire solebat : munusculis, ut erat facetus et liberalis, ipsum plerumque honorans exoticis, id est peregrinis, et pro suorum cautela, quos in sui absentia clementer fovebat, debitas ei gratiarum rependens actiones.

Contigit vero, instigante humani generis inimico, ut aliquando mercatorem post moras regressum ad propria, conjux ipsius, sociato sibi adultero quodam cum quo mœchari consueverat, nefando auxilio, crudeliter jugulatum in agello vicino glebis novalium defossum obrueret. Innotescit interea domino rediisse virum. Elapsis diebus aliquot, cum se more solito ejus minine præsentaret conspectui, mirabatur super hoc dominus, et domestici ejus similiter mirabantur. Vicini quoque et convicanei illius mirum ducebant, quod post primum reditus sui diem inter eos non comparuisset. Volens igitur dominus quidnam accidisset ei plenius nosse, multis [al. militibus] eum concomitantibus, venit per semetipsum ad domum viri. Cui occurrens infida mulier, blande salutans eum, cœpit de viri sui adeo repentino discessu conqueri, qui jam diu dominum charissimum et sibi in multis beneficum non vidisset. « Nobiscum, inquit, vix una cum post longas absentiæ suæ moras nocte quievisset, mane facto recessit, nec certum nobis est quando domum revertatur. »

Interea vero canis domesticus, plausibus ululatibus mixtis, mirisque gestibus, domino qui advenerat vel alludens vel conquerens, tam ipsum quam omnes qui aderant in admirationem agebat. Recedentem demum non deserit canis dominum; sed ipsum comitatus,

ipsi obambulans nunc quasi amplexurus erigitur in eum, nunc solo prostratus terramque unguibus scalpens, questibus et ululatibus vacat. Milites qui hæc videbant, stupentes quandoque subsistebant. At tunc molossus, dum illos expectare cerneret, cursum tendebat versus aggerem quo tegebatur cadaver occisi. Cumque canem jam putarent abscedentem nec ulterius rediturum subsequi dominum postposuisse, ad propria ut cœperat tendentem ille cursu insequebatur velocissimo; statimque ut prius, gestu voceque lamentabili ipsum quasi interpellans, non ante destitit quam eum, quibus potuit nutibus motum, ad locum obruti funeris prævius ipse perduxit. Veniensque ad sulcum, qui scrobem, id est foveam sepulti cadaveris callide celabat, ut quasi aratro tantum crederetur inversus, eruderare dentibus et unguibus congestos cespites instantius festinabat. Apponunt tandem et viri astantes manus, fodiunt, demumque cadaver inventum extrahunt, inspiciunt, agnoscunt; mœchumque super maleficio discutientes, rei citius seriem addiscunt.

Hæc nos de his scripsisse Lectori non sit onerosum, quæ tanto Pontifici, multis et magnis plerumque viris præsentibus, narrare non videbatur superfluum. Verum ad cœpta jam sermo recurrat.

Igitur Hugoni, qui Fratribus universis devotione ex viribus totis deserviebat filiali, Prioris sui mandato injungitur speciali, quatenus suo præcipue et peculiarius, in quibus opus haberet, serviret genitori. « Nihil, ait, mihi aut cæteris Fratribus præstabis gratius, quam si viro adeo spectabili nil votivi denegaveris obsequii. Te vero inter Fratres nullus devotior, humilitate pronior, officiositate nemo te promptior invenitur, cui a nobis adeo grati cura negotii demandetur. » Excipit libens, libentius exequitur adolescens pius, patris jussu spiritualis, erga necessitates carnalis, immo et spiritualis quoque parentis curam : per quem se potius gaudebat fuisse Deo genitum et oblatum, quam mundo antea procreatum.

Videres jam eum, qui in singulorum obsequiis Fratrum gratiam sibi uberiorem conciliaverat universorum, in eo quam maxime universis placere, quod in paternis necessitatibus studia vinceret singulorum. Quidquid namque viro strenuissimo exhiberi universi et singuli præoptarent, solus ille pro cunctis implebat. Hunc igitur, ut ipse sæpius gratulando referebat, de cætero quamdiu supervixit, ducebat, portabat, vestibus et calceamentis tegebat, nudabat, lavabat, extergebat, lectum consternebat, cibos languenti parabat, paratis debilem ipse cibabat. Hæc et his similia dulcius ei sapiebant, cum ea faciebat, quam saperent mella comedenti, aut quælibet pigmenta vehementer sitienti. Accipiebat millies ad singula hæc ab ore patris benedictiones, et has corde avido sitienter hauriebat. Sciebat nam-

que quia *Benedictiones patrum confirmant domos filiorum.* Nimirum, Benedictiones omnium gentium daturus illi Dominus, præveniebat eum in benedictionibus dulcedinis, dulcem et amabilem et benedicibilem illum exhibendo universis.

CAPITULUM IV.

QUOMODO LEVITA ORDINATUS MOX PRÆDICATIONIS STUDIO INSERVIERIT.

Annum vero ætatis ingressus nonum decimum, petente omni cœtu Fratrum, per venerabilem Gratianopolitanum Antistitem gradum invitus et coactus ascendit Leviticum. Erat jam illi sensus pro canis, et vita immaculata pro senectute. Unde non immerito muneri et honori tanto cunctorum hunc sententia et idoneum censebat et dignum. Indutus vero sanctitatis amictum, tunicam polymitam, et stola jucunditatis redimitus, candidus ipse et rubicundus facie quidem et veste, sed multo eminentius spiritu et mente, lotis inter innocentes manibus, circuibat altare Dei cum summa reverentia et devotione. Pronunciabat Evangelium angelica voce, divinis observiens mysteriis [al. ministeriis] cum metu et ferventissima oratione [al. mentis compunctione].

Cœpit mox etiam sanctæ prædicationis studio plebem informare, ad amorem cœlestis patriæ torpentium corda instantius excitare. Peccantes publice coram omnibus arguebat; prorsus cunctis quibus poterat scientiam salutis, quam uberius fuerat assecutus, in commune dabat. Venter ejus musto geminæ dilectionis, cum Spiritu scientiæ et pietatis, ad summum usque repletus, eructabat ex hoc in illud. Coarctabat eum præterea spiritus uteri sui : comedebat eum zelus domus Domini, videntem messem multam, sed operarios nullos aut paucissimos. Unde cum verecundia quidem et tremore fluenta putei sui, jubente Prælato, petente populo, in plateis dividens, sentiebat ipse dum divideret, sentiebat et populus dum biberet aquam cisternæ suæ, quam præ timore quasi gelidam cœpisset propinare, accedente inter ministrandum fiducia, fervoris [vini] effectu calescere, tamque ministrum quam bibentes salubriter inebriare. Complebatur namque in fideli pigmentorum spiritualium pincerna quod ait Scriptura : *Qui inebriat, et ipse inebriabitur*. Taliter quoque potati in voce psalmi undique clamabant : *Calix tuus inebrians quam præclarus est!* Benedicebant vero verum Joseph, qui in ore sacci fratris sui minoris posuerat scyphum suum.

CAPITULUM V.

QUALITER CELLAM SANCTI MAXIMI ADMINISTRAVERIT.

Gaudebant universi in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus; sed præ cæteris Prior suus, vir religiosus et pius, qui eum educaverat, qui et ut animam suam eum diligebat. Hinc corde lætis-

simo alumnum suum cum sublimitate vitæ sublimari cernens verbo gratiæ, contendit etiam ipse ad altiora eum attollere.

Vicinam igitur Cellulam, quam vocant Sanctum Maximum (eo quod ejus basilica sancto est Maximo regentium nobili Patrono consecrata), ei committit regendam. Quam ille, rebus quidem necessariis pene vacuam, quia recusare obedientiam obedientiæ addictum legibus fas non erat, suscepit, bonisque in brevi ubertim implevit. Loci sane illius possessiunculæ vix unico ad honestam videbantur habitatori sustentationem, cum familia parva, sufficere. Verum Hugo, sciens melius esse duos quam unum, noluit esse solus, ne sibi quandoque dici potuisset : *Væ soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem.* Sciens quoque, juxta viri doctissimi sententiam, sicut junioris jucundiorem, ita cohabitationem senis esse tutiorem, presbyterum Concanonicum annis et moribus gravem in socium accepit. Agelli vero curam et vinearum rusticis timoratis commendans, ipse lectioni et orationi vacabat : cogitatum in Domino jactans, et solicitus quæ Dei sunt, quomodo placeret Deo. Nihil de crastino, neque de hodierno multum solicitus, psallebat cum fiducia : *Propter nomen tuum, Domine, dux mihi eris et enutries me.*

Unde et Dominus sui, et suorum qui secum erant, propter ejus fidem benigne solicitus, omnem gratiam abundare faciebat in eis. Ipsi quoque abundanter, exemplis pueri junioris, ad omne opus bonum sobrie et pie et juste viventes, egenis alimoniam administrabant, divitibus honorificentiam exhibentes. Sic quoque factum est ut in brevi, loci incolæ rerum et morum stipendiis ditati, celebrem opinionis bonæ circumquaque famam obtinerent. Sanctæ vero exhortationis studio non solum ecclesiolæ suæ parochianos, verum etiam confluentes undique turbas populorum ad audiendum verbum Dei instantius edocebat : monens unumquemque, pro status sui conditione, irreprehensibilem se Catholicæ traditionis et piæ per omnia conversationis sectatorem exhibere.

CAPITULUM VI.

QUALITER ILLUD EVANGELIUM, SI PECCAVERIT IN TE FRATER TUUS, ETC., ERGA PAROCHIANUM SUUM SUPER ADULTERIO INFAMATUM COMPLEVERIT.

Erat autem inter creditas curæ suæ oviculas, ovis quædam morbida, erratica, lupinis ultro se morsibus ingerens. Crimine siquidem adulterii quidam ex parochianis ejus pertinacius laborabat. Verum quid curæ, quid solicitudinis, quid instantiæ huic impenderit boni Pastoris pedisequus bonus, ejusdem potius verbis absolvere dignum duximus. Nam vice quadam, plurimis consedentibus viris litteratis, contigit, ipso præsente et cum iisdem plura familiariter conferente, a quibusdam Canonici nec non etiam

Civilis Juris peritis quæstionem illam proponi, qua Dominus Petro dicit : *Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te et ipsum solum.* De his vero quæ sequuntur, scilicet de adhibendis secum duobus vel tribus testibus, seu de forma dicendi Ecclesiæ peccatum fratris, aliis sic, aliis vero sic diffinientibus, sed in eamdem assertionem minime accedentibus, (Hugo tunc erat Episcopus quando hæc quæstio ventilabatur) demum ipse quid sibi videretur protulit, suamque sententiam exempli hujus prosecutione astruxit.

« Dum, inquit, adolescentulus quondam in creditæ parochiæ regimine ipse quidem Diaconus administrarem (simplici sacerdote quodam, quod sui erat officii in Sacramentorum seu officiorum ecclesiasticorum celebrationibus vel collationibus exequente), notam, immo et quod deterius est, etiam noxam adulterii quemdam ex parochianis meis contigit incurrisse. Compertam ego famam mali ægre satis tuli, rem diligentissime inquisivi : inventam et agnitam, cooperante Domini nostri gratia, hanc progressu temporis emendavi. Conveni virum, inter me et ipsum solum dixi quæ pro loco et negotio dicenda putavi. Ille e contra reatum suum pertinaciter inficiari cœpit et irasci, et quatenus ausui mentis cæca obduratio suggerebat, etiam convitiari mihi et comminari. Abscedens demum tam me tristem reliquit, quam se incorrigibilem ad tempus ostendit.

« Præcepti vero hujus Evangelici memor, duobus primum ac postea tribus testibus, qui rem æque noverant, mecum adhibitis, hominem corripui, correctionem suasi, veniam correcto, mediante satisfactione, repromisi. Distulit ille correctionem polliceri : nec criminis vero, nec suspicionis materiam sustinuit aboleri. Tandemque ejus reatum, jam omnibus manifestum, media in ecclesia quadam die solemni palam argui, immanitatem flagitii cunctis audientibus denotavi, tradendum eum Satanæ in interitum carnis (si non ocius resipiscat) terribiliter denunciavi. His ille territus et confusus vehementer in medium prosiliit, peccato suo non sine gemitu et imbre lachrymarum renuncians, pœnitentiam egit, veniam correctus et reconciliatus accepit. »

Hæc Vir sanctus de his : quæ præsenti historiæ idcirco inserenda putavimus, quatenus ex his manifestius pateat Lectori, quid solicitudinis et zeli, quid discretionis et studii, circa salutem animarum Vir Deo plenus ab ineunte ætate habuerit et exhibuerit; ut non immerito super multa Domini sui bona, in modico repertus fidelissimus, tempore demum opportuno videatur constitutus.

CAPITULUM VII.

QUOD CUM PRIORE SUO CARTUSIAM INVISERIT, ET VISAM DILEXERIT.

Verum, ut dicit Scriptura, *Cum consummaverit homo, tunc incipiet.* Jam

Hugonem pro modo suæ conversationis seu professionis, ac supra modum suæ ætatis, perfecte consummatum in virtutum apice omnibus conclamantibus, ipse nec initium quidem perfectionis vel dignæ conversationis se attigisse putabat. Comperta vero sancta et sublimi opinione Cartusiensium monachorum, cum inexplebili cordis desiderio, eorum anhelabat informari exemplo. Ac primo quidem, dissimulata hujus desiderii vehementia, obtinere studuit ut simul cum Priore suo jam superius memorato, illorum mereretur aspectu et affatu potiri. Quo facto, tantus mox in ejus pectore spiritualis illius amor conversationis succensus est, ut nullatenus incendii ejus flammam intra se cohibere posset. Experiebatur enim, jam feliciter ardens, infeliciter ardentis verum eloquium dicentis :

> Quoque magis tegitur, tectus magis æstuat ignis.

Intuebatur vero, et intuens mirabatur locum, ipso quoque situ nubes pene supergressum, cœlis contiguum, ab omni penitus inquietudine terrenorum semotum. Considerabat tantam etiam ibi opportunitatem vacandi soli Deo ; cui quoque negotio hic videbatur adminiculari prædives sanctorum librorum abundantia, legendi facultas copiosa, orandi quies inconcussa. Et quidem, quoad loci dispositionem, hæc ita se habere dignoscuntur. At in loci habitatoribus attendebat carnis mortificationem, mentis serenitatem, spiritus libertatem, hilaritatem frontis, puritatem sermonis. Instituta eorum solitudinem, non singularitatem, commendabant ; segregabant mansiones, sed mentes sociabant ; unusquisque habitabat secum, nec habebat aut agebat aliquid suum. Omnes manebant seorsum, et communiter quisque degebat. Seorsum manebat unusquisque, ne impedimentum experiretur ab aliquo : communiter degebat, ne fraterno privaretur solatio. Hæc et hujusmodi notata ibidem, ac præcipue obedientiæ secura munitio (quæ multos sæpe solitarios hanc non sequentes destituit et extremæ perniciei exposuit), Hugoni placebant, Hugonem rapiebant, ipsumque tanquam extra se repente effectum sibi funditus vindicabant.

Erat in illo cœtu Sanctorum senior quidam magni quondam in sæculo nominis, tunc quoque in sancto Proposito celeberrimæ opinionis. Huic secretius Hugo pectoris sui æstus aperiens, nec tam consilium an faceret, quam quonam pacto quanto citius quod optabat perficeret, cum gemitu et fletu inquirens ab eo, longe aliud quam sperabat responsum accepit. Intuens vero vir prædictus adolescentem, ut aspectus enunciabat, qualitate delicatum, ætate tenellum, sciens etiam ipsum natalibus clarum, nec moribus ejus credebat posse rigorem illius Ordinis congruere, nec viribus convenire. Hunc igitur terrifica sic responsione, quasi a tali præsumptione compescens, aut con-

stantiam [potius animi] ejus explorare nitens, inquit : « Istud, o filiole! quomodo vel qualiter cogitare præsumis? Homines, quos rupes incolere cernis præsentes, saxis omnibus duriores sunt; nec sui sciunt nec aliorum secum habitantium misereri. Locus iste horridus ipso aspectu est, Ordo visus [al. usu] gravissimus. Porro ipsius cilicii asperior amictus cutem et carnem desuper ossibus vivo tibi abraderet. Disciplinæ rigor teneritudinem istam, quam in te intueor, penitus exossaret. »

Hic vero Christi tyro et beatissimi Martini familiaris cultor et devotus imitator, illato terrore constantior, Laurentii secum invictissimi eloquium tacito versabat in pectore, qui, prolato ante se omni tormentorum genere, terrere eum cupientibus ait : « Has epulas ego semper optavi. » Ut enim caminus injectis exilit aquis et flammarum in sublime comas extollit, sic Sanctorum ignescens desiderium, cum obviant adversa, fortius convalescit.

CAPITULUM VIII.

QUOD PROMISSUM SUUM, AD INSTANTIAM PRIORIS SUI FIDEI INTERPOSITIONE FIRMATUM, INFREGERIT, ET MONACHUS CARTUSIENSIS EFFECTUS SIT; ET DE HUJUS TRANSGRESSIONE FIDEI SENTENTIA EJUSDEM.

Senem itaque memoratum, tanquam votis suis crudelius adversantem declinans, aliis quibusdam ex Fratribus hos cordis sui æstus confestim pandit. Nec morantur illi cum ingenti favore et instanti exhortatione persistendi in stabili proposito, suum ei et assensum impertiri et auxilium polliceri. Tunc Hugo gaudio gestiens infinito, hæc Priori suo celanda duxit. Evangelicæ nimirum institutionis sedulus æmulator, inventum meminit thesaurum abscondi oportere, donec, omissis omnibus quæ habuisset potius quam venditis, emere illum mereretur et securius possidere. Verumtamen, licet dissimulatione multa quod moliebatur tegere niteretur, effugere tamen suspicionem solertis nequivit Pastoris nimio eum amore zelantis. Unde ad propria eis sub festinatione regressis, sic lachrymis ora suffusus senior illum affatur :

« O, inquit, fili charissime, scio, utique scio, quia in grande malum meum, et irreparabile ecclesiæ meæ damnum, te in Cartusiam adduxi. Te sibi Cartusia totum rapuit, te possidet. Nos interim te corpore tenus vix tenemus; sed anima tua nobiscum non est. Sed nec istud, vereor, diu erit; nam spiritum ab ineunte secutus ætate, carnem nihili ducens, illius procul dubio impetu, non hujus ductus, a nobis in brevi es abducendus. Proh dolor! Lumen oculorum meorum sic subito extinguitur; baculus senectutis meæ, cum eo jam solito plus indigeam, nutabundo præripitur. Sed numquid dulcedo mellis mei sic derepente vertetur in absynthium, et gloria mea, qua de filio sapiente tantum gloriabatur pater, ita redigetur in nihilum? Miserere, fili,

miserere potius patris tui, nec tantæ strenuitatis tuæ solatiis canos meos jam busto proximos destituendo, innatæ tibi pietatis cancellos transcendas. Quod si materna viscera ecclesiæ quæ te Deo genuit, si fraterna dulcedo piorum quæ te suaviter fovit, non funditus revocant animum ad perfectiora æstuantem, saltem in hoc paternæ condescende senectuti, ne adhuc spirantem deseras, qui amodo in te solo debuit respirare. »

Inter hæc et alia hujusmodi jam utriusque spiritum luctus absorbuit, cum, resumpto vix flatu, senex etiam hæc locutus est : « Spero, inquit, spero, de ingenita sibi bonitate confisus dilectissimi filii mei, quia exaudivit me. Juret ergo mihi in nomine Domini Dei sui filius meus, quod, patre derelicto, Cartusiensibus, dum advivam, minime sociabitur ; alioquin suspicionis telum, quo viscera spiritus mei atrociter transfixit timor, nullatenus avelletur. »

Deus bone! quid inter hæc mentis, quid animi servo tuo fuit! Quantus in corde ejus geminæ dilectionis conflictus sæviebat! O mira res! O perplexitas mira! Utrobique tempestas, et utrinque serenitas : hinc et inde ad naufragium et ad portum impulsio. Si vocanti ad perfectiora non obediat Deo, deseritur una charitas ; si potestati contradicat ordinatæ a Deo, læditur gemina charitas. Una deseritur, quæ Dei est : gemina non impletur, quæ Dei et proximi est. O angustiæ undique, sed præ nimia (quod dictu mirum est) charitatis latitudine! Quid tamen faciet sic dilatatus et sic angustatus ? Dicere inter hæc quid poteras, o anima dilatata, o anima angustata ? Quid eligam [al. eligas], ignoro. Verumtamen dico ego : quodlibet horum elegeris, sive præstiteris sive renueris præstare quod posceris, vita non mors est tibi.

Verum quid egeris, quem exitum inveneris, qualiter effugias manus importunas, jam videamus. Solitus utique et assuetus obedire Præpositis et subjacere eis, nescius contradicere, ignorans nolle acquiescere, das manum exigenti, et præcipienti fide corporaliter præstita satisfacis ; exitum de cætero tui negotii Divino prorsus arbitrio committis. Meministi Matrem luminis, Virginem salutis humanæ puerperam, voto virginitatis illibato in nuptias consensisse ; Dei tamen sapientia [mirabiliter] dispensante, nullum inde voti præjudicium, immo et magnum integritatis præsidium et fœcunditatis solatium acquisivisse. Nec dissimile quiddam sane præsumebas et sperabas tibi a puritatis tuæ inspectore, a teste conscientiæ et intentionis tuæ judice, Deo omnipotente.

Sed neque in longum Deus te fraudavit a spe tua. Nam paulo post, cum hæsitares aliquamdiu et quid ageres ignorares ; cum et dispendia spiritualis vitæ quotidie sustineres, et contra fidem datam venire potius abhorreres, infudit subito cordi tuo superna Clementia verissimæ et lucidissimæ radium discretionis, inspirans tibi et cer-

tificans te plenissime, sacramentum non esse observandum, inconsideratius extortum contra utilitatem animæ, aut in detrimentum veræ salutis. Sciens igitur et exultans quod revera ista loqueretur in te Dominus Deus, audiens eum et exaudiens, disposita tibi domo credita, nullo sciente quia nullo insidiante, nec tale aliquid suspicante, clam discessisti ; Cartusiam advenisti : cum gaudio exceptus, in multa ibidem gratia profecisti [al. perstitisti].

Inquisitus sane multoties a puero tuo, utrum aliquando ullum, ut assolet, scrupulum hujus fidei transgressio tibi peperisset, mihi semper istud respondebas : « Nunquam certe inde scrupulum, sed potius jubilum sensi : cum factum memini, unde profectum tantum cepi. »

CAPITULUM IX.

QUOD NOVAM INGRESSO MILITIAM HOSTIS ANTIQUUS NOVOS TENTATIONIS INJECERIT INSULTUS, SED TUITIO SALVATORIS NUSQUAM EI DEFUERIT.

Hic vero universa quæ servus Dei egit, quæ pertulit, quæ meruit, quæ percepit, si, quantum posceret utilitas multorum, tentaremus evolvere, et vires succumberent, nec vivendi spatia sufficerent, et ad reliqua ejus gesta prosequenda ora penitus obmutescerent. Sed transeamus et ista cursim, nec reticentes omnia, nec singula recensentes : quæ præcipua vero dicenda paucis pro posse absolventes.

In primis vero id non prætereundum videtur, quod de primordiis suis crebro familiariter nobis ipse referebat : « Mox, inquit, ut intra cellæ limen pedem posui, exurgentem novæ tentationis novum in corde meo motum sensi. Nec uniformis tentatio illa fuit ; sed novam ingresso militiam omnia tentator innovavit antiquæ malitiæ suæ instrumenta. Præcipue, quasi balistam robustissimam, et eo, ut sperabat, insuperabilem quo mihi magis inseparabilem, tetendit, dum accendit contra me stimulum carnis meæ. Die ac nocte non discedebat a me, imminens mihi et pungens [al. perurgens] me, angelus Satanæ colaphizans me.

« Quid ad hæc ego, Jesu bone ? immo quid bonitas tua ad hæc ? Faciens fecisti bonitatem cum servo tuo. Ego quidem genibus terram, gemitibus Cœlum, pectus pugnis, genas lachrymis rigavi, tutudi, pulsavi, cecidi. Sed hæc omnia et alia innumera quasi aerem verberans feci : quousque et tu, qui non dormis neque dormitas, qui custodis Israel, o Samaritane benedicte ! manum apposuisti. Tu custos de nocte, manum apponebas semivivo vix, ut putabam, relinquendo a latronibus hinc inde irrepentibus et dire irrumpentibus, ac omne malum subito dissipabas.

« Tunc videns cordis mei aream arefactam carnisque fornacem fatiscentem, cedentibus inde fluxis cogitationibus, hinc ignitis motibus, mirabar quis fuissem, quis subito effectus essem. Talibus

erga me, immo intra me vitiis et curationibus alternantibus vices, oblivisce-bar persæpe mei, memor tui de terra Jordanis. Inde, quasi de duobus, unde nomen et originem is fluvius ducit, duplicabam confessionem humiliationis meæ et glorificationis tuæ; misericordias tuas tibi cantans, et injustitias meas adversum me pronuncians, sentiebam quia tu remittebas impietatem peccati mei. Manens enim in Hermon et monte modico, dum detestarer et anathematizarem omne lubricum turpitudinis obscenæ, humilians me, et post ferale incendium pulverem me et cinerem sentiens esse, mox benefaciebas servo tuo, revelans oculos meos ut considerarem mirabilia de lege tua.

« Dabas quoque mihi fatigato et defecto, vel modice interdum prælibare manna illud absconditum. Illud vero tantillum, quod hinc merui prægustare, tale erat et tam immensum, ut facile contemnerem, propter id ipsum obtinendum plenius et dulcius [al. diutius], quidquid mundus novit dulce vel amarum, leve vel asperum. Verum in his rara mihi hora, et parva mora; rursum ad certamina, rursus ad bella rapiebar. Nusquam vero, sed nec unquam defuit, licet indigno mihi, piissimi miseratio Redemptoris : semper in aure cordis mei vox ejus erudiens et confortans me atque consolans, semper manus ejus mecum eripiens et corroborans me. »

Et hæc quidem ac plurima in hunc modum mente contrita, non modo pro consolatione nostra, sed pro devotione et humiliatione sua, secretius agens de statu suo, quem in Episcopatu deflebat immutatum, de his quæ in vita priore humanitus vel pertulerat aut divinitus perceperat, memorare solebat. Inferebat autem hæc in sui ipsius vehementem sugillationem, quasi Deo pro beneficiis suis congrue non responderet, aut se, post largiora Domini sui dona, jam in ætate robusta, infirmioribus annis viribus animi imparem exhiberet.

CAPITULUM X.

SENTENTIA PAPÆ DE PRÆROGATIVA ORDINIS CARTUSIENSIS; ET DE MORIBUS SEU VIRTUTIBUS MONACHORUM ET CONVERSORUM, QUOS IBI S. HUGO INVENIT; VEL QUANTUM INTER EOS IN REBUS SPIRITUALIBUS PROFECERIT IPSE.

Potitus tandem cupitis amplexibus formosæ et luminosæ Rachelis, sedebat novus eremi accola, tanquam religiosissima Maria, Hugo in cella solitaria. Sedebat vero solitarius, qui tamen non erat solus; sed erat cum eo Dominus Deus, per quem erat in cunctis prospere agens. Sedebat quidem cum multa humilitate, pedibus adhærens dulcissimi sui Jesu, aviditate summa audiens verbum ejus. Hic istam sibi præcipue familiaritatis confidentiam ad suum conciliavit Jesum, quæ illum in tantam extulerat superbiam, ut de cætero in totum vitæ suæ reliquum, omnem mundi gloriam, omne culmen arbitraretur ut stercora : omnem superborum et sublimium hujus sæculi fastum, velut in imo

positum, ipse in sublimi quodam fixus rerum vertice longe despiceret. Hic illam sibi vocem assumpserat, qua diceret Sapientiæ : *Soror mea es : apud quam opes superbæ sunt et gloria;* quibus participans, tanquam frater copiis bonæ sororis, positus est a Domino in superbiam sæculorum, sicut inferior hujus scripti textus edocebit.

Erant quidam (ut semper sunt) tunc temporis quam maxime, in Congregatione illa sanctorum, viri tam Clerici quam Laici miræ sanctitatis et gravitatis, ipsisque summis Principibus et ecclesiarum Prælatis admodum reverendi. Prior Domus, proprio vocabulo dictus Basilius, præ meritorum eminentia et virtutum prærogativa, non aliud quam Sanctus ab his qui eum noverant communiter vocari consueverat. Sequebantur et eum cæteri, nec a remotis, per culmina Religionis consummatæ : nec erat dictu facile quis ferventior, quis esset perfectior inter illos. In grege Laicorum quamplures quidem eminebant, eximiis præditi donis gratiarum. Plurima de horum virtutibus, quæ utiliter scriberentur, agnovimus; verum quia ad ea, quæ specialius referenda suscepimus, nos insufficientes videmus, digressionum etiam necessaria diverticula studiose declinamus.

Tantus ibi in domandis corporibus rigor, tanta in rigore servabatur discretio, ut, medium cum Beatis tenendo, nihil infra vires aggredi quis contentus esset, nihil quod virium metas excederet exercere, etsi vellet, sineretur. Fervebat in commune studium inter eos rigidæ paupertatis, superfluitatis odium, necessariorum parcitas, oblivio temporalium, ambitus æternorum, communis humilitas et cordis contritio, omnibus in commune sui ipsius abjectio, prælatio sociorum.

Hæc ut in monachis, ita et in Conversis, indifferenti studio inoleverant. Jam vero inter monachos legendi assiduitas, contemplandi sublimitas, meditandi et orandi defæcata suavitas, sic palmam tenebant, ut videretur incredibile. Quantum etiam Laicis gratia in his affluebat, excepto quod per se litteras atramento deformatas legere nesciebant, vix haberetur fides referenti, si publicis niteremur auribus tradere, quam acute et ipsi sensum capiebant Lectionum; quam ignitas et Clericis etiam ignotas, spiritualis inde elicere sciebant intelligentiæ scintillas : sicut et nobilis ille Gerardus, comes olim Nivernensium permagnus, tunc Conversus minimus, ut ipse reputabat, Cartusiensium.

Cum aliquando, eo præsente, conferentibus quibusdam magnis viris de Salomone, utrum constaret quia cum Sanctis salutem esset consecutus ; cum et ille quod sibi videretur proferre rogaretur, « Ita sane, inquit ; cum enim Dominus Jesus Christus infernum spoliaturus, patrem suum David honorabiliter acciperet secum, non dubium quin de Salomone fratre suo curam

habuerit, qui tanta ejus præconia cecinit. Nam pater utriusque David diceret utique ei : Domine fili, hunc talem fratrem tuum ne derelinquas, sed tecum, ut decet, assumas. » Nec dicebat hic vir piissimus quia damnatis in gehenna crederet per Sanctorum quorumlibet intuitum absolutionis beneficium provenire, sicut hæreses quædam delirando somniant; immo, plenius a sanctis viris ejus quæstionis solutione instructus, veracis sententiæ rationem tali urbanitate, ut erat per omnia illustrissimus, condiendam putavit.

Sic utriusque Instrumenti vel Testamenti Historias, et moralia præcepta, hujus plerosque Ordinis Conversos didicisse novimus, ut vix errorem committeret aut falleretur qui statutas de more Historiarum Lectiones, aut sacros Evangeliorum expositores in ecclesia recitabat, quin citius hoc illi deprehenderent, et subtiliando [al. subtussiendo] id ipsum ut audiebant [al. audebant] indicarent. Nam et ipsi negotiationem Sapientiæ Dei, ut quidam sæculi nundinas, frequentabant pro viribus et exercebant. De Ordine siquidem isto in Registro Papæ, cujus tempore approbatus canonizatus est, ita legitur : « Ordo Cartusiensium in eo alios Ordines antecedit, quia cupiditati modum posuit. »

Quid vero hic egisse, quantumve profuisse vel profecisse Hugonem putamus? Ubi inclytus [al. inolitus] ei a primævis, ut ita dicam, mensibus discendi amor, cum libris, cum magistris, cum ingenio præclarissimo, cum otio quam opportuno, tam firme et continuo, tantum juvari et promoveri potuit, quantum sylvis infinitis ignis inexplebilis. In his studiis dies continuabat et noctes, nec aliud suis causabatur profectibus novercari et gaudiis, nisi temporis brevitatem : cui, mirum in modum, legenti semper, aut meditanti, vel oranti, omnis dierum noctiumque prolixitas minori quam optasset spatio tendebatur.

CAPITULUM XI.

QUOD SENIOR CUI IN SERVITOREM HUGO DEPUTATUS FUIT, SPIRITU PROPHETICO QUOD EPISCOPUS FIERET PRONUNCIAVERIT.

Itaque Hugo cum Maria vacabat quidem verbo Dei; cum qua nihilominus ministerio quod ei competeret ferventi animo insistebat. Nam sicut Maria nunc caput, nunc totum corpus, nunc pedes Domini ungere gaudebat : ita et Hugo modo Prioribus, modo coæqualibus, modo etiam inferioribus suis, dulcis obsequii gratiam impendere et quadam devotionis suæ benevolentia eos gratius refovere curabat et cupiebat. Quod dum circa universos quam sincere tam et impigre exerceret, injungitur ei cura et obsequela senis cujusdam monachi, magnarum virtutum viri. Hunc jam valetudinarium, ac præ ætate et debilitate suprema cellulæ suæ parietes nunquam excedentem, Hugo in Horis Regularibus cantandis, vel quibuslibet necessariis suppeditandis, servitor de-

votus et indefessus, tanquam nutrix alumnum suum aut mater filium, juvabat et mulcebat; nec aliter quam ipsi Domino Jesu Christo in omnibus ei ministrabat.

Contigit aliquando, tempore sacrorum Ordinum ab Episcopo loci celebrandorum instante, annis jam aliquantis in tali conversatione peractis, de ipsius promotione verbum fieri. Hoc sciens vir Dei, Hugonis pariter institutor et alumnus, cœpit dicere illi quasi tentans illum : « Ecce, ait, fili, jam in te est, an velis, sacerdos fieri. Si acquieveris, ad hunc gradum modo promoveberis. » Ad hoc ille, cum jam olim nil dulcius, nihil antiquius haberet, quam sacris deservire Mysteriis, quamque divinis Sacramentis saginari, Jesumque suum quia sibi dulcissimum, ut inferius plenius docebitur, cordis faucibus et corporis in Hostia liberius contingere salutari, æstuanti ad audita desiderio, mox suppliciter [al. simpliciter] et pure quod optavit aperuit. Ait ergo : « Quantum in me est, Pater, nihil sane magis appeto in vita ista. » Tunc vero senex ad eum : « O quid dixisti! O, inquam, quid dixisti! O quis crederet ausurum aut dicturum te ista! O miraculum! O, toties legisti, Ad Sacerdotium qui non accedit invitus, accedit indignus; et tu modo non invitus, immo et avidus, ut ipse fateris, accedere non metuis! »

Ad hanc vocem territus et quasi fulmine tactus, tota corporis strage ad pedes objurgantis prosternitur, flens ubertim, et veniam tantæ præsumptionis gemebundis vocibus petens. Qui ad modicum velut simulans anxiantem, cum ad tantam ejus devotionem et humilitatem totis et ipse visceribus concuteretur, tandem ita leniter et flebiliter, « Surge, inquit, surge. » Quo etiam ad jussum ejus sedente, hæc spiritu prophetico vir Dei locutus est : « Ne turberis, inquit, non jam fili, sed domine mi; ne, inquam, turberis. Scio, et vere scio, quo spiritu, quo affectu locutus sis verba hæc. Tibi igitur dico, [et vere dico tibi] : mox quidem Sacerdos, ac post, cum tempus præstitutum advenerit a Deo, etiam Episcopus fies.

CAPITULUM XII.

QUOD PROMOTUS AD PRESBYTERATUS GRADUM, QUANTUM CREVIT ORDINE, TANTUM PROFECIT ET DEVOTIONE; ET DE ABSTINENTIÆ RIGORE, QUA ANTE EPISCOPATUM PERDOMUIT CARNEM SUAM.

Promotus itaque, juxta verbum viri Dei, ad gradum Sacerdotii, quantum crevit ordine, tantum in sacra profecit devotione. In altaris quidem officio ita versabatur ac si visibilem manibus contrectaret Dominum Salvatorem. Videbatur astantibus, Divina celebrans, opere et veritate cum Sponsa illud epithalamicum decantare : *Dilectus meus mihi, et ego illi;* tantam ei Dilectus devotionem [interius] conferebat, tantam ille Dilecto attentionem exterius impendebat. Iterumque panis et vini visibilem

speciem intuitus, ad invisibilia mentis intendens aciem, *Dilectus,* inquit, *meus candidus et rubicundus.* Ad duo ista, quæ et quanta cordis ejus uterus conceperit [et parturierit], quæ vox, quæ poterit lingua retexere ? Interdum etiam Crucis lactucam cum Agno Paschali expressius, immo impressius gustans, et internis dentibus terens, totis animæ suæ vocibus clamabat: *Fasciculus myrrhæ Dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.*

Nec enim perfunctoria afficiebatur compunctione ad horam, ac postmodum ad levia mentem relaxabat; sed animum in vigore discretionis continens, illud Prophetissæ et precatricis egregiæ sibi vindicabat : *Vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati.*

Domabat corporis membra vigiliis, jejuniis, flagellis, et juxta morem Ordinis, usu cilicii, et potu aquæ cum arido pane. Nihil omittebat de austeritate, quam communis Regula et Majorum admittebant exempla. Peculiaria etiam quamplura supererogare non desistens, genua flectebat crebrius, corpus totum sternebat in terram; jacensque pronus, cum Moyse et Aaron, cum Josue et Daniele, divinam exorabat Clementiam, quatenus a populo suo furorem suum averteret et propitiationem acceleraret. In omni Quadragesimæ septimana tres ferias in aqua et solius panis edulio, nullo penitus condimento adhibito, nisi forte salis adderetur prælibatio, transigere consueverat. In ultima hebdomada, Sabbati adjiciebatur observantia in simili dieta. Nunquam debilitas, aut infirmitas, seu casus alius, ante sumptum Episcopatum, alio cibo vel potu illud quatriduum eum compulit aliquatenus relaxare.

Abstinentiæ vero huic adscribebant medici, in ætate progressiori, stomachi illius nimiam infrigidationem; unde plures interdum perferebat dolores, et juges pene molestias. Hanc quoque designabant causam, qua virtus in eo appetitiva virtute digestiva erat potentior, corpulentioremque eum jam quinquagenarium faciebat quam fuerat pridem adolescens.

Sic ergo non modo sobrie et juste et pie, immo parce et benigne et devote Deo, proximo et sibi vivendo, ad summum Sacerdotii gradum dignissime subeundum divinitus meruit præparari. Scalam nempe virtutum haud segniter diatim conscendens, cujuslibet dignitatis apicem sanctitatis jam culmine præcellebat.

CAPITULUM XIII.

QUOMODO PETRO TARENTARIENSI ARCHIEPISCOPO FAMILIARE OBSEQUIUM HUGO IMPENDERIT ; ET DE QUIBUSDAM QUÆ CIRCA EPISCOPUM ET PRÆDICTUM EJUS MINISTRUM CONTIGERUNT.

Per idem tempus vir sanctissimus, Tarentariensis archiepiscopus Petrus, Cisterciensis monachus, Cartusiam sæpius adire solebat; ibique in cella solitaria infra sanctorum illorum habitacu-

la, velut intra mellita quædam alvearia, pluribus per intervalla mensibus, ut apis prudentissima, commorabatur: aut certe, ut columba mitissima et mansuetissima in arca tutissimæ quietis, ibi cum Noe respirabat, fugiens sæculi tumultum quasi impetum aquarum inundantium, ac universam fere terrarum faciem misere obruentium. Hic vero sacris meditationibus et spiritualibus sanctorum vacans collationibus, alterum cum Paulo Paradisum se credebat invenisse; unde persæpe ad tertium rapiebatur cœlum sublimis theoriæ.

Hujus itidem Hugo mancipabatur obsequio, servitio delegabatur. Quis enim Hugone dignior tanti viri interesset arcanis? Quis membra sanctissima purius contrectaret, foveret dulcius, solicitius demulceret? Quis illo devotius serviret tanto Præsuli? Quis sciret, quis posset tam facetum, tam acceptum exhibere Sancto Dei famulatum? Si lectio recitari, si quælibet sententia in tanto librorum pelago inquiri petebatur et inveniri; quis utrumque competentius, sed celerius, sed libentius adimpleret? Ad manum ei omnis, quæ posceretur, Scriptura erat. Si de paginis veteris, si de novi Instrumenti vel Testamenti sermo erat; si gesta Sanctorum, si tractatus Doctorum inquisitionem movebant: Hugonis solertiam nihil latebat. Cum Sanctus ille loqueretur, hic auditor erat mansuetus et docilis; cum loqui juberet, pronunciator acutus, et mirum in modum in eloquio efficax et suavis.

Si illum senem, si hunc juvenem pariter videres, Petrum et Joannem sibi redditos et conjunctos æstimares. Et ille quidem ætate et nomine Petrus; hic Joannes gratia et obsequela. Obsequebatur namque in cunctis gratiose, quæ Sancti poterant aut reverentiæ congrua aut animo grata esse. Abluebat frequenter pedes ejus et osculabatur osculo cordis sui, quia oris osculo non sinebatur. Diluente autem illo, ut referre solitus erat, plantas ejus et tibias, aiebat ei Sanctus: « Fili, etiam superiora lavari indigent; lava secure et bene. » Asserebat enim hoc genus fomenti infirmiori corpusculo suo plurimum conferre.

Extat usque in præsens, sub declivi montis latere quo itur a monachorum mansionibus ad Fratrum diversoria, sedes quædam pro sancti Pontificis illius pausatione, ac sic [al. illic] frequentius in eundo et redeundo usque ad sudorem fatigati, parata. Neque enim ibidem equitare, quia vel Priori illius loci hoc minime licebat, Archiepiscopo aliquando licebat [al. aliquatenus libebat]. Est autem sedes ejusmodi: stant cominus duæ proceritatis immensæ abietes, locum sessionis humanæ capacem medio inter se spatio præbentes. His per transversum incisis modice, insertus est vectis taxeus, quadrus, nec multum grossus. Hoc totum erat illius Cathedræ Pontificalis opus.

In hac sedentem vidimus aliquoties jam Episcopum Hugonem, de suo quondam Archiepiscopo jam regnante in Cœlo, hæc et alia nobis gratissime referentem, et sudorem suæ sanctæ faciei extergentem : non enim parum laborabat et ipse in ascensu viæ illius. In throno excelso isto nobis, qui ab eo hæc audivimus, sedere jucundum fuit, mirantibus lignum aridum crescentibus arboribus ita insolubiliter compaginatum, ut obduci pene videretur cicatricis utrinque incisio. Quidam et hoc miraculi loco ducebant, pro abietibus per quater ternos [al. quater denos] vel eo amplius annos in aera crescendo in tantum elevatis, quatenus sedile trabis insertæ, in sublime nullatenus evectum, ita solo esset contiguum, ut etiam hominis exigui sessioni cerneretur accommodum. Quod etiam ita recens apparebat, ac si succum nativum nondum exuisset.

De Archiepiscopo hoc etiam memorabat, quia post stratus sui ingressum ut fatigata diurno labore quiete nocturna membra relevaret, dum hunc Hugo in lecto componeret et vestibus operiret, quotidie hanc eum orationem proferre audiebat : *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut de perceptis muneribus gratias exhibentes, beneficia potiora sumamus*. Quotidie vero et benedictionem petentem [al. et benedictione potenti] ministrum suum Hugonem muniebat : et authoritate Pontificali a peccatis omnibus absolvebat, et monitis spiritualibus instruebat. Nihil denique utilium subtrahebat, sed omne consilium Dei, quod sciret esse profuturum ei et pluribus per eum, illi solicite manifestabat.

CAPITULUM XIV.

QUAM INDUSTRIE FAMILIAM GUBERNAVERIT, QUAM SOLICITE PRÆDICATIONIS STUDIO INSUDAVERIT; QUAMQUE IN DIVINIS SIVE IN REBUS TEMPORALIBUS, OMNIBUS IN COMMUNE A SE CONSILIUM PETENTIBUS, JAM PROCURATOR CONSTITUTUS DOMUS CARTUSIÆ, CONSULTOR EXTITERIT EFFICAX ET DEVOTUS.

Post hæc, cum jam Hugo, in quietis suæ nidulo per bina circiter lustra moratus, et mundo plene mortuus, plumis undique et pennis fultus solidissimis, ad volatum esset aptissimus, Procurationem totius Domus ei (valde, in quantum licuit, renitenti) Prior suus delegavit. Hujusmodi vero columba hæc pulcherrima satis exhorrebat volatum. Horrebat corporaliter circumvolitare officinas materiales et diversoria corporalia, qui spiritualiter volare didicerat ad Domus Patris qui in Cœlis est multas mansiones, et Domini virtutum cogitatione spirituali et aviditate perambulare æterna tabernacula. Volatus quippe iste fuit ad requiem, ille ad fatigationem. Ad hunc dabantur ei pennæ, ut diceret cum Psalmista : *Volabo et requiescam;* ad illum sumebat pennas suas diluculo ut habitaret in extremis maris : cujus itinera licet ipsi extrema essent (quia et tenebris curarum et solicitudinum amaritudinibus

erant respersa), extra tamen negotiorum sæcularium mare erant.

Viderat autem Prior illius, ut erat prudentia ita et benevolentia unice præditus, viderat, inquam, illum vas effectum in honorem, utilem in omnibus et ad omne opus bonum sufficientem. Sciebat enim eum, serviendo fidelissime Jesu Christo, affatim didicisse bonis quibuscumque operibus præesse. Reputabat igitur incongruum, aliis eum de cætero manere infructuosum, qui sicut oliva fructifera, speciosa et uberrima, fructificaverat sibi in domo Dei. Noverat illum et igne charitatis splendescere, et pinguescere oleo pietatis; nec censebat opportunum ut lucerna lucens et ardens, sub modio diutius latens, sibi tantum luceret, quæ lucem omnibus qui in domo Dei erant sufficiens erat ministrare. Exponitur itaque in publicum et ponitur super candelabrum, quatenus ad lucem ejus, non modo ad horam, immo in æternum gaudeant universi.

Regebat ergo industrie commissam sibi familiam; Fratres solicite instruebat; et, juxta illud de S. Honorato dictum, quod frequenter in ore habebat multumque laudabat, « Torpentes semper excutiens ad desideria [al. a desidia], ferventes spiritu cogebat ad requiem. » Exhibebat se Priori suo alterum Joseph; qui optime esse Dominum cum eo sciebat. Unde, creditis ipsi omnibus, nihil ipse noverat nisi panem tantum quo vescebatur. Ipse vero fidelis in omnibus, tanquam David, ingrediens et egrediens ad imperium ejus, in cunctis se prudenter habebat. Erat revera Dominus manifeste cum eo, et omnia opera ejus dirigebat; unde ad ingressum ejus benedixit Domui suæ valde, exuberare omnia [al. eam] faciens in omnibus bonis.

Erat quoque in sermone prudens et efficax, in consilio acutus et circumspectus. Qui ad illum accedebat, cellam se vinariam putabat introisse, aut certe promptuarium eructans ex hoc in illud. Si enim de temporalibus alicui consuleret aut ab aliquo consuleretur, mox consilium pro negotio instanti referebat opportunum consulens eum, vel ab eo consilium accipiens; sed confestim, consilio salutari, de caducis ad mansura consulentem et consultum transferebat.

Rideant, si videatur, talia prosequentem, aut nimium litterati, aut parum creduli; illi syllabas captent et cavillent, isti sententiis derogent et discredant. Ego, ut verum fatear, litteratis satisfacere nescio, incredulis non sufficio. His autem, quibus sola per se ipsam veritas, etiam nullo fucata ambitu verborum, placet, id quod verum novi, celandum non duxi; sed fiducialiter imperanti cedendo charitati, ut facultas tulit, exposui. Syllabas calumniantibus, utpote doctis, indoctus cedo; discutientibus sententiæ veritatem, ad defensionis meæ patrocinium omnes qui Hugonem agnoverunt interpello.

Quis ab Hugone, etiam in temporalibus destitutus consilio, non solum non retulit consilium necessitatibus suis profuturum, sapientibus quoque hujus sæculi admirandum ? Quem vero in temporalibus non erudivit, quem ad perpetua mox non accendit ?

Loquebatur in Capitulo monachorum verbum Dei; sed spiritualibus spiritualia comparans, quasi musto quodam pretioso rerum spiritualium pigmentis condito, jucundissime, vino licet meracissimo Scripturarum jugiter potatos, impinguabat [al. inebriabat]. Loquebatur in auditorio Fratribus, et lactentibus lac Apostolicum affluenter immulgebat. Sæcularibus qui forte advenissent loquebatur, et dicebat divites non sperare debere in incerto divitiarum. Pauperes recreabat, ut licebat pro rigore Ordinis, diurnis etiam subsidiis. De hoc jucundum aliquid et utile, volente Domino referemus, cum illa scribemus quæ apud Cartusiam ipsum jam Episcopum vidimus egisse. Istos vero, cum rebus nequiret, consolabatur sermonibus, illud implens viri Sapientis : *Ecce,* inquit, ***verbum bonum super datum optimum.***

Omnes interea Hugonem loquebantur : sive Prior, sive Monachus, sive Conversus, gratiam attollebat collatam Hugoni. Dives Hugonem laudibus efferebat; egenus precibus Domino Hugonem commendabat. Hoc etsi ille votivum et expetendum ducebat, illud tamen tanquam frivolum contemnebat, cum nullus ex hoc fructus procederet. Sed hoc melius alterius Libelli textus exponet : nam et Lectori parcendum, et prospiciendum labori et intentioni; et jam recessurum ex Burgundia novis Anglia dicendi principiis competentius suscipiet, quem ad innovationis suæ gratiam felici suscepit auspicio, Rectorum maxime suorum jam diu parum lætis successibus mœrore confecta [al. jam diu vitiis misere inveterata].

LIBER SECUNDUS.

PROŒMIUM.

Cum Lincolniensis ecclesiæ Præsulatum annis jam Hugo bis senis, diebus quinquaginta tribus, gloriosissime administrasset, placuit sanctitati suæ parvitatem meam de vitæ claustralis dulcedine in solicitudinum suarum qualecumque solatium assumere, suoque inseparabiliter lateri sociare. A quo tempore, per annos tres et dies quinque, quamdiu scilicet in corpore postea vixit, nunquam nisi per unam solam noctem ab ejus convictu recessi, die semper noctuque adhærens ipsi et ministrans ei. Hujus ergo spatio temporis, omnia fere quæ de eo Libellus præsens continebit, aut propriis vidi oculis, aut a sanctis ipsius labiis audivi. Causam ob quam in nostrum venit orbem, tum et ab eo, tum ab illis qui hujus adventus procuratores extiterunt, audivi et accepi : similiter et modum quo a dilecta

sua Cartusia discessit, quo etiam ordine Domum Withamiensem a fundamentis construendam disposuit et instituit ac viris optimis implevit, ac post hæc ad Episcopatum accessit.

De his, quæ in Episcopatu gessit antequam ei adhærere cœpissem, de industria prætereo innumera, certissime comperta et notitia cunctorum dignissima. Quia enim plurima ex his quosdam longe me doctiores litteris mandasse accepi, superfluum, immo et præsumptuosum esse judicavi, ab aliis congruentius exposita insipidiore eloquio replicare. Ad ea vero seriatim referenda, quorum istos notitiam minus ad liquidum credimus assecutos, calamum pariter intendimus et animum, et tale, invocato Spiritus Sancti adjutorio, sumimus exordium.

CAPITULUM I.

QUOD REX ANGLIÆ DOMUM ORDINIS CARTUSIENSIS IN BATHONIENSI TERRITORIO NOMINE WITHAM FUNDAVERIT ; ET BATHONIENSEM EPISCOPUM AD CARTUSIAM DIREXERIT, UT HUGONEM ACCERSERET ET AD ILLIUS REGIMEN MITTI OBTINERET.

Ea igitur tempestate, qua bono Christi odore inter cæteros Domus Cartusiæ spirituales viros, Hugonis nomen celebre multorum circumquaque corda mulcendo etiam ora repleverat, contigit ad regis Angliæ Henrici II notitiam virtutum illius famam tali occasione pervenisse. Quadam die, Rege in transmarinis agente, venit ad eum vir quidam Nobilis de Moriennæ partibus. Rex vero de Ordine Cartusiensi, inter alia mutuæ sermocinationis verba, pleraque inquirere cœpit. Nam dudum, sanctæ illius conversationis fama præventus, adsciverat de Domo præfata quosdam Fratres ; quibus et locum quem ipsi elegerant in Anglia contulerat, villam scilicet de Witham [al. Wittan vel Withan] appellatam, in Bathoniensi territorio sitam, cum terris et sylvis, cum pascuis et vivariis, necnon et aliis fundandæ illius Ordinis Domui necessariis.

Qui vero prædictis Fratribus Prior fuerat designatus, ad breve vix tempus in Anglia degere acquievit. Vacationi namque quietæ [al. et quieti] solitudinis assuefactus, negotium solicitudinis tantæ constructioni debitum mente delicata non ferebat. Tædebat eum, immo et socios ejus pene cunctos, ritus gentis alienigenæ, dietæque insolitæ, et cæterorum, quæ moribus advenarum et votis in solo peregrino de facili pariunt offensionem. Nam et Provincialium nonnullis eorum formidolosus videbatur esse in suos fines accessus : frustra scilicet istis metuentibus sibi, ne illi, minus contenti propriis limitibus, eorum jugeribus occupandis inhiarent. Quem indigenarum adversum se viri innocentes motum pullulare sentientes, et in futurum præcavere quieti suæ satagentes, Priorem suum ad Domum suam redire permiserunt : quatenus, communicato cum viris sanctis consilio, vel animæquior ipse rediret, sive

alium loco suo ad hoc magis sufficientem destinari obtineret.

Rediit ergo, et loco ejus alius mittitur; qui tædio simili affectus, morte beata finem laborum et vitæ initium citius accepit. Reliqui, inter ista, Fratres variis perturbationum procellis immaniter fluctuabant. Rex vero angebatur medullitus ad hæc. Cœpit namque imaginari jam et pertimere futuri notam ruboris,qua inurendum se noverat apud Magnates multarum in circuitu nationum, si cœpta adeo salubria, adeo cunctis exteris gentibus favorabilia nequivisset consummare.

A viro igitur memorato super his tale accepit consilium : « Ab his,inquit, Domine mi Rex, fluctibus, unico vos et efficacissimo liberare potestis consilio. Est in Domo Cartusiæ quidam monachus, natalibus quidem clarus, sed strenuitate morum longe præclarior, nomine Hugo de Avalon [al. Avalim]. Hic, omni virtutum gratia decoratus, ita est omnibus qui eum noverunt acceptus et gratiosus, ut solo aspectu omnium in se rapiat affectus. Qui etiam verbum ab ejus ore audire merentur, tanquam Divinum se vel Angelicum gaudent oraculum percepisse. Hunc si novella adhuc in partibus vestris sanctissimi Ordinis hujus plantatio cultorem habere meruerit atque rectorem, videbitis eam lætissime ad omnem subito gratiam fructificando proficere. Tota insuper (ut certus sum) Ecclesia Anglicana illius purissimæ religionis et religiosissimæ puritatis nitore venustius decorabitur.

« Cæterum, quia hunc sui non de facili emittent de Domo sua, ipse quoque nonnisi coactus et invitus alterius habitationis adibit sedem, favorabili et strenua opus est legatione, operosa etiam precum ambitione nitendum, quatenus, hoc solum quantocius impetrato, et vester animus a solicitudinis hujus molestiis de cætero relevetur, et hæc sublimis Religio ad gloriam Dei et Excellentiæ vestræ insignius propagetur.Invenietis in uno homine isto,cum cæterarum virtutum universitate, quidquid longanimitatis et dulcedinis, quidquid magnanimitatis et mansuetudinis, in aliquo mortalium poterit inveniri. Nulli hujus ingrata vicinitas esse aut cohabitatio valet; nullus hunc videbit [al. vitabit] ut alienigenam; nullus non ut civem, ut domesticum, ut fratrem, aut amicum intimum, illum respiciet. Nam et ipse omne humanum genus non aliter quam propria attendit viscera, universos homines amplectitur et fovet ulnis unicæ charitatis. »

Hæc et in hunc modum plurima ille dixerat. Dicenti quoque Rex multum applaudens et gratias agens, dirigit quam celerrime cum litteris Regiis ad Domum sanctam Legatos venerabiles, Dominum scilicet Reginaldum Bathoniensem episcopum cognomento Lumbachum [al. Lumbarh], et cum eo viros quosdam strenuos et industrios.

CAPITULUM II.

DE TENTATIONE CARNIS QUA VEHEMENTER VEXATUS EST, IMMINENTE JAM VOCATIONE SUA AD PRÆLATIONIS GRADUM; ET DE VISIONE QUA PER SANCTUM BASILIUM QUONDAM PRIOREM CARTUSIÆ MERUIT A TENTATIONE CARNIS LIBERARI.

Mirabilis vero Deus in Sanctis suis, futurorum præscius, quin potius author et conscius, jam prævenerat Sanctum suum dispensatione sua mirabili. Visitaturus namque eum diluculo, subito probavit illum : in probatione subita infirmitatem ejus ostendens illi, in visitatione diluculi suam conferens salutem ei. Ut enim Apostolorum Principem Dominus sub Passionis articulo negare se permissum prius ostendit sibi, in brevi postmodum [loco sui] aliis præficiendum; ita egit erga fidelem et pervigilem servum suum, super familiam suam mox constituendum. Ostendit namque illum sibi ipsi, multiplicans vulnera ejus, ut ait sanctus Job, etiam sine causa; et sic eum præfecit aliis, prius sanans, supra humanæ modum infirmitatis, contritionem ejus speciali gratia.

Quid enim potuit esse causæ, in homine jam circiter quadragenario, jam corpus portanti contritione multiplici pervalide castigatum [al. edomitum], jam cor habenti meditatione defæcata nec non et oratione continua puraque mundissimum; quid, inquam, habuit, aut in hoc quid potuit esse causæ, ut repente traderetur angelo Satanæ, stimulis carnis suæ colaphizandus usque ad desperationem pene vitæ suæ? Stimulus quidem carnis paulo minus ei usque ad mortem accessit carnis; vitæ autem animæ etsi timere potuit, sed desperare nullatenus valuit : quæ jam in tuto fuit, colligata nimirum quasi in fasciculo viventium penes Dominum. Ut autem quid athletæ fortissimo contigerit, quonam modo impugnatus fortiter fortius repugnaverit, repugnando vicerit, et vincendo triumphaverit, succincte referemus et plane.

Tanta ei tentatio carnis subito exorta est, tam continue tamque importune in eum debacchata est, ut mallet gehennalibus interim tradi pœnis, quam tantis urgeri flammis. Tam ingens pugna, tam forte certamen fuit, ut solius Divinæ non dubitetur virtutis fuisse, quod humanitus non cessit, sed viriliter resistendo triumphum reportavit. Quia vero ad plenum hujus congressus modum nemo referre posset, quibus lachrymis, quantis gemitibus, quam crebra Confessione, quam aspera flagellatione, vel Divinum expetierit adjutorium, vel cor contriverit, vel corpus proprium cruciaverit (nam nec hic Libellus omnia caperet), eventum hujus belli breviter absolvamus.

Diei cujusdam diluculo visitavit eum hoc ordine oriens ex alto Sol justitiæ, mittens Angelum suum, et eripiens eum de potestate tenebrarum harum. Egerat noctem illam sicut in tenebris, sic ipse insomnem pene totam; luctabatur namque Angelus ille tenebrarum adversus

eum, ut eum traderet in teterrimam vesperam contentionis [al. consensionis] iniquæ. Ille vero non solum reluctabatur ei, immo et cum alio luctabatur Angelo usque mane triumphalis palmæ : illud Apostolicum expetens, et expectans in se impleri, *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Sic cum duobus congreditur unus, hunc invitans, illum devitans ; repellens illum, attrahens istum. Nimirum ab isto extorquere nititur benedictionem, per quam consequatur de illo ereptionem.

Palæstra adeo virilis pugnæ area fuit cellæ ipsius; in qua demum athletæ fortissimo, prostrato quidem nec superato, non victo sed fatigato, tenuis obrepsit sopor. Erant quippe oculi ejus gravati præ vigiliarum prolixitate ; cui dicere competebat Domino, *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo,* ne prævaricarer *eloquia tua ;* jam vero *dormitavit anima mea præ tædio.* Nec vero hujusmodi telis leviter vulnerabat eos cum quibus congrediebatur. Et quidem sagittabat unum ut compateretur et auxiliaretur, alium ut confunderetur et fugaretur. Summis tandem viribus jaculum hoc tibi tergeminum, o Deus ! emittens, uno impetu vicit utrumque colluctantem, sic exclamans : *Per Passionem et Crucem et Mortem tuam vivificam, libera nos, Domine.* Hoc dicto, solo prosternitur, *Adhæsit*, inquiens, *pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum,* Domine, qui mortuus es pro me.

Continuo, velut in excessu positus, vidit Virum Dei qui eum susceperat ad Ordinem, illum quondam Priorem Cartusiæ, sanctum Basilium, vultu et amictu Angelico radiantem astitisse sibi, seque sic voce blanda compellantem : « Quid tibi, inquit, est, fili charissime? Cur ita jaces pronus in terra ? Surge, et velle tuum fiducialiter enarra. » Ille vero ad eum, « O, ait, Pater bone, et nutritor meus piissime, affligit me usque ad mortem lex peccati et mortis quæ est in membris meis ; et nisi more solito auxilieris mihi subito, en morietur puer tuus. » Vix dictum compleverat, et Sanctus paucis sic, « Bene, inquit, auxiliabor tibi. » Moxque patefactis novacula, quam in manu tenere videbatur, visceribus ejus, quasi strumam igneam inde visus est exsecuisse, et longius extra cellam projecisse : dataque benedictione, medicus discessit. Æger vero sanatus et sibi redditus, somno fugiente, resedit. Lætus autem supra modum de ostensa sibi claritate nutritii sui, qui ante aliquot annos migraverat ad Dominum, omnimode et in corde et in carne se reperit immutatum.

Horum summam cum ab ipsius ore Hugonis secretius mecum loquentis pluries acceperim, in extrema demum ægritudine sua planius et diligentius totius eventus ordinem, sicut eum modo digessi, mihi enarravit. Quærenti vero utrum aliquem postea hujusmodi in carne sua motum senserit, « Revera, inquit, quod aliquem senserim non

nego, sed simplicissimum, et quem non minus contemnere quam comprimere facillimum mihi fuit. » Hæc idcirco dixerim, quia aliter de his alium quemdam scripsisse accepi, asserentem videlicet, quod per B. Virginem Dominam nostram, Dei Genitricem, sibi apparentem visitatus, eunuchizatus et curatus ita fuerit, ut nullam deinceps carnis tentationem omnino senserit [al. expertus sit]. Verum quæ ab ore illius de curatione ejus et curatore audivi, verissime expressi.

CAPITULUM III.

DE ADVENTU NUNCIORUM REGIS ANGLIÆ AD CARTUSIAM CUM VENERABILI EPISCOPO GRATIANOPOLITANO; ET SUPER ILLORUM POSTULATIONE PRIORIS FRATRUMQUE DIVERSA SENTENTIA; ET HUGONIS ALLEGATIO DISSUASORIA.

Ita Levites Domini, quem ab utero matris sibi assumpserat electio Dei Patris (jam feriata a præliis, jam celebrante jubilæum optatæ quietis terra corporis ejus), post diutinam ac devotam ministrationem tabernaculi, custodiendis præparabatur vasis sanctuarii. Mysticum enim Legis quinquagenarium ante moribus obtinuit quam annis, et prius attigit et implevit sanctitate quam ætate. *Consummatus siquidem in brevi, complevit tempora multa; placita enim erat Deo anima illius; propterea properavit illum educere de medio iniquitatum,* libidinis videlicet et elationis. Miscuit ei cœlestis Medicus arte mirabili confectam potionem, veneno et balsamo temperatam. Venenum quippe tentationis [al. tentantis] libidinis, venenum in ejus mente extinxit elationis; at vero balsamum superni medicaminis, venenum devicit in carne ejus totius libidinis. Illo fundatus est in humilitate, isto in incorruptione solidatus. Sic, sic duobus illis famosis et principalibus antiqui serpentis capitibus in eo contritis, a reliquis ejus membris, id est a vitiis secundariis, facile in posterum triumphavit.

Ita vero optabilius a figurato, quam olim Petrus a vero eductus Herodis carcere, nesciebat quia vere ista fiebant per Angelum: æstimans se tantum visum vidisse, non autem etiam visus effectum percepisse. Sciebat se ad præsens alleviatum; nesciebat in posterum et in perpetuum ab hac febre se esse sanatum. Dominus vero, qui procurabat jam in remotis mundi partibus promotionem ejus, sic, eo nesciente, operabatur salutem in intimis sensibus ejus.

Venientes autem Regis Legati Cartusiam, assumpto secum venerabili Gratianopolitano Episcopo, ipsius loci diœcesano, litteras domini sui Priori et Fratribus præsentatas, persuasoriis verbis suppliciter et strenue prosequuntur. Omnibus vero ad primum contristatis auditum, Prior quam maxime conturbatur: procrastinatur eorum responsio; [conscientiæ et] vota super negotio discutiuntur interim singulorum. Prior primus penitus petitioni contradicit: Fratrum in diversa variatur sententia. Quidam talem virum, et

universitati Ordinis adeo profuturum, in tam remota dirigi nullatenus oportere dicebant; alii vero, quorum unus Domnus Bovo fuit (quem postea Priorem Withamiæ hoc sæpius referentem audivimus), a Deo exiisse verbum Regis asserebant, nec tutum esse contradicere plurimis rationibus edocebant.

« Vos, inquit Bovo, nescitis quidquam; nec cogitatis quia superna dispositio facit hæc omnia, ut Ordinis hujus sanctitas per Virum sanctum usque in extremos mundi limites splendidius elucescat. Sed neque putetis illum diu sub nostrarum latebrarum modio posse cohiberi. Credite meæ parvitati, inter præcipua Ecclesiæ sanctæ luminaria ipsum in brevi audietis super candelabrum ecclesiastici regiminis sublimari. Dudum mihi virtutibus Hugo Episcopus potius visus est quam monachus extitisse. »

Postulatus demum Hugo super hoc suam proferre sententiam, ac suam aperire voluntatem, ita citius ait : « Voluntati meæ super statu meo nihil penitus reservare jam pridem edoctus sum. Quid autem de his vere sentiam, libere exponam. In medio vestræ sanctitatis tamdiu conversatus, monitis et exemplis vestris in tantum adjutus, nunquam vel per unum diem animam meam custodire scivi. Unde miror, quomodo in cujusquam sapientis animum ascenderit, vel ita visum sit alicui, quod ad aliorum regendas animas per memetipsum longius mitti debeam. Qualiter vero instituere novam Domum sufficerem, qui Antiquorum Instituta servare nequivi? Puerilia sunt ista quæ audio, nec deliberationis tantæ spatio (salvo Reverentiæ vestræ beneplacito) aliquatenus digna.

« Omissis ergo talibus, cum et negotium arduum sit nec patiens dilationis, vestraque intersit solerter providere, ne Regis illius cœpta ad periculum animarum et Ordinis sancti dedecus protelentur diutius imperfecta : ex hac, vel ex cæteris Domibus nostris, virum quempiam ad opus idoneum eligite, et cum istis mittite. Viris autem istis, tanquam sapientibus, et vos sapienter respondete; velle eorum melius quam isti postulent adimplete : assignantes eis, non quem utpote decepti, sed qualem ut religiosi et discreti quærunt. Non expedit deceptos in persona postulati inconsultius exaudiri, qui decepti in qualitate personæ nec esse volunt. Sic denique in sua petitione exaudiantur, ut ipsi gaudeant se utilius quam petierunt exauditos. »

CAPITULUM IV.

QUOD HUGO, INSTAR SANCTI OMNIUMQUE JUSTORUM SPIRITU PLENI BENEDICTI, CARNIS DEVICTA IMPUGNATIONE IN SE IPSO, REGENDIS ALIIS PRÆFICI DIGNUS FUIT; ET QUOD TANDEM CUM REGIIS NUNCIIS IRE COMPULSUS WITHAMIAM VENIT, ET A FRATRIBUS IBI CONSISTENTIBUS CUM INEFFABILI GAUDIO SUSCEPTUS EST.

Revera enim tentationis expertæ [al. ex parte] et perennius quam intellexit

devictæ, metu nimium adhuc trepidabat : quæ ne itineris hujus occasione aliqualiter excitari et reaccendi posset summo studio præcavebat. Nesciebat tale quid secum in præsenti, quale dudum cum omnium Justorum spiritu pleno gestum legerat Benedicto, divinitus fuisse actitatum. Nam et iste modo, sicut quondam Benedictus, carnis tentatione vehementissime impugnatus est; sed cum Benedicto et Hugo repugnavit, cum Benedicto vicit, cum Benedicto triumphavit; cum Benedicto quoque, hoste superato, aliorum dux Christi militum effici, et institutor sacræ conversationis, cum Benedicto sanctissimo et ipse in omni sanctitate probatissimus meruit inveniri. De quo sicut inferius planius dicetur, quidam versificator egregius verissime et brevissime, multa illius bona complexus, ita ait :

[scholarum
Pontificum baculus, monachorum norma,
Consultor, Regum malleus, Hugo fuit.

Qui licet hæc (quæ præmissa sunt) ac etiam alia pro sua excusatione instantius prosequeretur, æterna tamen dispositio cuncta suaviter moderantis sapientiæ Dei nullatenus potuit virtutis suæ [al. nutus sui] effectu privari. Sed nec Prioris patrocinium hunc retinere cupientis, ei contra dispositarum a Deo rerum ordinem poterat suffragari. Utriusque vero contradictio, et Prioris videlicet et Hugonis, dum nescienter nititur refragari, compellitur necessario famulari operanti invisibiliter Majestati. Nam quo pertinacius Prior resistebat, quo instantius Hugo se ad hoc insufficientem asserebat, eo vehementius Episcopi præsentes cum suis consiliatoribus, junctis sibi tandem quibusdam Fratrum de Conventu natu majoribus, ut fieret quod tantus Rex petierat perurgebant. Quid plura ? Fratrum tandem universitas, tum precibus tum et rationibus eorum qui advenerant victa, petentibus cedit.

Hugo a cunctis assentire flagitatur; at ille in Priorem, cum in alium non posset, transfudit sententiam. Sciebat id sibi ab illo, qui eum ut animam suam diligeret et a se nullatenus elongari optaret, vix unquam aut nunquam injungi posse. Quem monitis sui Episcopi, cunctorum etiam gemebundis precibus qui aderant interpellatum, sic dicunt (qui intererant) respondisse : « Vivit Dominus, nunquam sermo iste egredietur de ore meo, quo jubeam Hugonem meam senectutem deserere, suaque dulcissima et pernecessaria præsentia Cartusiam viduare. » Qui, nimia importunitate universorum tandem obrutus, et quid faceret potius non inveniens, conversus ad Dominum Gratianopolitanum, ait : « Jam quidem ratum est quod de me dixi : Hugonem vox mea aut mens mea a me nunquam removebit. Tu jam videris; tu Episcopus noster es, tu et Pater et frater noster. Si hoc ei injungas, si præcipias, ego non con-

tradico, non resisto. » *Nec plura est elocutus, nam vocem interrumpentibus lachrymis indulgebat affectibus suis, quibus mentis anxiæ levaret dolorem. [al. * Nec plura locutus, jam vocem fletu interrumpente, lachrymis indulgebat, quibus mentis anxiæ leniret dolorem.]

Videres jam per ora cunctorum rivos effluere lachrymarum. Episcopus et ipse, ut erat piissimus, et monachus valde honestus et mansuetus, compellentibus omnibus ut permissa sibi a Priore in Hugonem uteretur potestate, ita primum universos alloquitur :

« Quia vobis, Fratres charissimi, [quos non minus conversatione quam professione Christianæ perfectionis apicem conscendisse manifestum est, nos desides et a culmine vestræ sanctitatis longe inferiores,] non necesse est ostendere quid in his quæ Dei sunt agere debeatis ; nec etiam vos monere ut vobis melius cognita strenue compleatis, qui in omni vita vestra non quæ vestra sunt, sed quæ Jesu Christi vos quærere comprobatis. Hoc unum ad memoriam vobis, Domine Prior, et vestræ, Fratres, universitati revocandum putavi, [quo vobis ante oculos ponatur,] quomodo in casu simillimo se habuerint nostri [al. vestri] prædecessores. Cum enim, ad instantiam sancti Cenomanensis tunc episcopi Bercitramini [al. Bercitranni vel Berticramni], in occiduas Galliarum partes sanctissimus Benedictus dilectum et sanctum discipulum suum Maurum, fundandæ Religionis monasticæ gratia, destinaret, similem ibi luctum, ex luctus causa non dissimili, legistis exortum. Quem suum pariter et Fratrum dolorem ea Sanctus Dei ratione compescuit, ut ostenderet non oportere servos Dei ullatenus contristari super his quæ velle noverint Dominum suum. Ubi et verbum memoria dignissimum intulit : « Ne forte, ait, hac ipsa nostra tristitia, quod absit, inveniamur ordinationi Divinæ contraire. »

« Sed et te, Hugo, Frater charissime, in hoc quoque imitari te convenit, quem sequi semper dulce habuisti, Unigenitum Filium Summi Patris, qui de altissimo secreto suæ Divinitatis, pro multorum salute, ad publicum dignatus est exire humanæ conversationis. Et tu ergo peregrinari ad modicum a tuis charissimis, postposito interim quietis adeo dilectæ silentio, pro Eo ne cuncteris in præsentis vitæ exilio, ut perenniter Ei postmodum socieris in Beatitudinis suæ regno. Hoc ego, licet indignus, vice ipsius, in remissionem peccatorum tuorum, et ob compensationem etiam æternorum præmiorum, tibi injungo, et in vi obedientiæ firmiter præcipio. Perge itaque sospes et felix cum venerabilibus viris istis qui te vocare venerunt, curamque suscipe Domus Withamiæ in Anglia favente Domino construendæ. Præsis constanter et prosis instanter loco et Fratribus ibi congregatis in nomine Domini, et congregandis. »

Hugo diffinitionem hanc (aliquamdiu se pedibus Pontificis advolvendo) irritare nitens, nec quidquam proficiens, cessit postremo; se seque orationibus omnium præsentium commendans et Fratribus in osculo pacis valefaciens, cum Legatis profectus est. Ad Regem venit, tandemque cum favore maximo ab ipso dimissus et ad Withamiam cum honore deductus, tanquam Angelus Domini a paucis Fratribus qui tunc ibi erant, in Priorem suscipitur cum gaudio ineffabili.

Hæc nos aliquantulum diffuse prout gesta sunt retulisse, nulli sit onerosum; quibus et Hugonis modestia et humilitas, quibus et Fratrum in eum benevolentia et charitas evidentius commendatur. Habent præterea in his unde sibi metuant, qui nulla regulari disciplina probati, ipsi regulariter victuros [quibus præsint] coacervant; habent simul et Prælati, qui talibus authoritatem talia tentandi et præsumendi administrant. Qui si forte et nobis (illi quibus hæc scribimus) cœperint indignari, noverint profecto et vere noverint, se ab Hugonis ingenio alienos. De quo sane manifeste constat, qui in Religione perfectissima ab infantia perfectissime conversatus est, quod promotionem suam in hujusmodi procurantes exhorruit, impedire conantes arctius dilexit.

CAPITULUM V.

DE SOLERTI PROVISIONE HUGONIS SUPER UNIVERSIS QUÆ UTILITAS FLAGITABAT ECCLESIÆ WITHAMIENSIS; ET QUAM FAVORABILEM SE BENEFICUMQUE PRÆSTITERIT PRISTINIS ILLIUS LOCI INDIGENIS IN TRANSMIGRATIONE IPSORUM.

Invenit autem Fratres, velut alter Joseph, in Dothain, quod interpretatur *defectus*. Consistebant equidem in sylva, haud procul a Regia tunc villa vocabulo Witham: quæ futurorum quodam præsagio tale nomen creditur sortita. Dicitur namque Latine *mansio* sive *habitatio sensus*: quod excellenter, per adventum Viri hujus [al. veri hujus Christi philosophi], locus ipse effici meruit in re. Attractis siquidem undique ad honorem [al. odorem] notitiæ suæ viris sensatis, in omni verbo et in omni scientia præstantissimis (qui manentes ibidem et habitantes corpore in solitudine, ad æternam vitam illam paratam in Cœlis, cujus jam perfectis sensibus gaudia prægustabant, cogitatione et tota aviditate inhiare non cessabant), locus illustrari cœpit.

Quos autem invenit ibi Fratres, habebant cellulas ex asseribus contextas, vallo perexiguo et palis circumseptas. In his utcumque usque ad tempus correctionis se recipientes, omnibus (ut breviter dicatur) aut pene omnibus necessariis ac debitis Ordini suo adminiculis destituti degebant. Neque diffinitum erat usque adhuc, ubi major, ubi minor ecclesia, illa monachorum cum

cellis et claustris, hæc cum Fratrum domunculis hospitumque diversoriis, aptius construi deberet aliquando. Nam villam supradictam, eis jam collatam, per censuram habitatores pristini adhuc incolebant; necdum eis sic provisum erat, ut sedes avitas sine murmure aut sine tergiversatione [al. sine sui læsione] novis vellent vel possent successoribus cedere. His et aliis de situ, de qualitate loci, necnon et de cæteris quæ necessitas Ordinis flagitabat loco convenire, vel utilitati ibidem conversantium inservire, diligenti solertia perspectis ac sigillatim prænotatis, Hugo (nam et inter eos ita condictum fuerat) ad Regem citius repedavit. Cumque de singulis quæ sibi viderentur exposuisset, Rex in omnibus prudentiam illius et modestiam admiratus, quæcumque ille disposuit, et ipse approbavit; et quæ postulavit, clementer indulsit.

Ac primo quidem universos convocari fecit prædiorum vel rerum circumjacentium quarumlibet possessores, quos loco cedere oportebat, ne quolibet strepitu aut frequentiæ cujuscumque accessu, solitudinis suæ alta silentia interrumpi aut saltem interpolari vel modice potuissent. Quibus ex parte Regis optio in commune data est, ut ex duobus quod mallent [al. maluisset] unusquisque eligeret : agros scilicet et habitandi æquivalentia loca, [conditione pari ut apud Witham fuerant sortiti,] in Regiis ubi elegissent maneriis reciperent, aut, pristinæ servitutis jugo absoluti, quas vellent regiones libere incolendas adirent. Tunc, aliis terras, aliis petentibus libertatem, Hugo juris benigni æmulator tenacissimus Regi ait : « Jam, Domine, hoc etiam provideri necesse est, ut pro domibus vel quibuscumque in culturas et varias structuras sumptibus aut sudoribus impensis istorum, compensatio pecuniaria tribuatur : ut vel sic in nullo per nos detrimentum sustinentibus, lætis læti, et benevolis succedamus grati. » Ad hæc in primis cum velut difficilem se exhiberet Rex, ille in bonitate præcipuus, in interventu strenuus, adjecit dicens : « Revera, inquit, Domine mi, nisi usque ad obolum novissimum super omnibus his fuerit prius satisfactum hominibus istis, locus idem non poterit conferri nobis. » Ita vero mercem sibi (ut putabat) in nullo profuturam Rex emere compulsus (tuguria scilicet vetustissima, tigna cariosa et parietina semiruta), multum effudit æs pro brevi commodo.

Venditores autem, accepto pretio, novo negotiationis genere exhilarati quia ditati, novum benedicebant institorem, qui de longe portaverat panem suum : panem utique confortantem, primo cor proprium ne Regi quod esset dignum audire reticeret, et ut quod esset congruum mediocribus exhiberet. Deinde etiam ipse Rex et hi et illi mediocres eodem pane roborati et confortati sunt, utique ad ædificationem animæ; sed illi qui egebant, etiam ad solatium hujus vitæ.

Verum negotiator iste bonus tantillo non contentus lucro, ubi justitiam servasse potius quam fecisse misericordiam sibi videretur, ita Regi ore faceto rursus infit : « Eia, Domine mi Rex, ecce in terra tua propria divitem te domibus numerosis advena ipse et egenus feci. » Ad hæc subridens ille, « Sic, inquit, ditescere non cupiebam. Divitiæ istæ jam pene egenum me fecerunt. Sed nec scio cui sint usui aptæ opes istæ. » Tunc Hugo eliciens per ejus responsum occasionem quod intendebat proferendi, « Bene, inquit, bene : en, ut video, parvipenditis commercium istud. Fiat igitur quod vestram deceat magnitudinem, et mihi non habenti ubi caput reclinem dentur ædes istæ. » Stupens ad hanc postulationem Rex, et postulantem cum admiratione intuitus, « O, inquit, Dominum mirabilem ! non putas quia novas vobis domus valeamus extruere? Dicito tamen quid tu inde faceres ? » At ille, « Non decet, inquit, Regalem amplitudinem de quibuscumque minimis interrogare. Hæc prima est petitio mea ad te; et cum sit modica, cur moram patior in exaudiendo ? » Tunc Rex alludens (libenter enim ingenium viri longa concertatione verborum explorabat), « O, inquit, hominem in solo peregrino pene jam violentum ! Iste, si viribus niteretur, quid ageret, qui verbis ita extorquet ? Ne vero duriora nobis inferantur ab eo, fiat quod exigit. »

Tunc ille concessas sibi ædes omnium pristinis reddidit possessoribus (quarum illi jam pretium possidebant), ut iterato aut ipsas pretio distrahant, aut transferant alias iterum inhabitandas. Sic ille, non jam in sanguinibus ædificaturus Jerusalem, Nehemiæ solertia præditus et devotione, favore Salomonis, solicitudine David, locum exstruere festinabat.

CAPITULUM VI.

QUOMODO REX MODESTIAM EXPERTUS ET LONGANIMITATEM VIRI DEI, JURAVERIT ILLUM SE VIVENTE DE REGNO IPSIUS NULLATENUS DISCESSURUM ; SEQUE CONSILIA SALUTIS SUÆ ILLI COMMUNICATURUM ASSERUERIT.

Accidit interea, majoris ædificii jam parte convenienter explicita, Regem variis regni curis detentum minus intendere quibusdam fabricis perficiendis, quarum usus pernecessarius videretur. Inde, sumptibus in stipendia deficientibus, artifices queruli Priorem et Fratres importunis crebro verbis lacessebant. Hinc Prior quosdam ex Fratribus ad Curiam destinavit, qui Regi super hujusmodi defectu id quod res erat suggererent, huncque suppleri obtinerent. Ille provisurum se citius negotio, et necessaria pollicetur esse missurum. Redeunt qui missi fuerant, nihil præter verba reportantes. Dissimulante interim Principe quod promiserat adimplere, cessatum est funditus ab opere. Prior sub silentio sustinendum credidit, donec Rex motu proprio id quod expedire noverat exequi studeret. Ve-

rum, ipso diutius negligente, rursus iterata legatione interpellatur; iterumque sicut prius, verbum, non datum, reportatur. Inter hæc, multa dilatione protracta, tædium subrepsit Fratribus. Quidam ex his etiam, bile commoti, verbis in Priorem asperioribus invehuntur; desidiæ eum simul et negligentiæ incusant, qui per se ipsum Regem, licet in remotis agentem, pro tanto negotio jam olim non adiisset.

Fratrum autem quidam, Gerardus nomine, vir austeri quidem ingenii, sed bene religiosus et sermone inter Magnates et Principes efficacissimus, talibus Priorem affatur : « Quousque, inquit, Domne Prior, palpandum judicatis hominem durissimum, nec potius palam ei denunciatis ut consummet citius ædificia, quibus carere non debet forma Ordinis nostri ; aut, si ulterius differre maluerit, valefacientes ei, ad patriam et Domum propriam una redire cum omnibus nobis maturius festinetis? An minus animadvertitis, quia in Ordinis nostri redundat injuriam tanta circa nos incuria, et nos ipsi pateamus cunctorum in circuitu derisioni, qui tot jam temporibus hic commanentes exiguis nequeamus mansiunculis istis culmen imponere? Quod si verecundia vos innata cohibet ne homini huic quæ decent proferatis, adeamus ipsum pariter, et quæ ei dicturus sum ego ipse audietis. »

Convocatis autem cunctis Fratribus, et negotio in commune prolato, placuit omnibus Gerardum cum Priore proficisci ad Regem. « Et consilium vestrum, inquit Prior, gratanter accepto. Verumtamen vobis, Frater Gerarde, providendum erit, ut quemadmodum libere, ita et modeste vos habeatis in vestro sermone. Cum enim sit, ut vere comperi, Princeps iste sagacis admodum ingenii et inscrutabilis vere [al. fere] animi, forsan ut tentet nos, dissimulat exaudire nos. Scit procul dubio perfectionis quam professi sumus quam maxime interesse, illud Dominicum implere documentum quo dicitur nobis, *In patientia vestra possidebitis animas vestras;* necnon et illud beatissimi Pauli, *In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros, in multa patientia.* Multa vero patientia in eo probatur, si multa contraria sive adversa in multa lenitate supportet longanimitas multa. Patientia enim sine longanimitate, non multa sed curta erit; absque lenitate vero, prorsus nulla erit. »

Assumptis itaque Prior secum prædicto Gerardo, et alio Fratre nomine Aynardo, viro grandævo et probatissimæ virtutis in sancta Religione, ad Regem profectus est. Quos ille omnes, ac si cœlestes Angelos, venerabiliter excipiens, ad insinuationem instantis negotii blanda locutus, bona pollicitus, dilationis metas excusans, celerius omnia perficienda promittens, sumptus tamen in præsentiarum non contulit, nec quando esset collaturus certius intimavit. Tunc vero infrendens Frater Gerardus,

suæque potius deliberationis pristinæ quam admonitionis sibi factæ memor, Regem aggreditur durius arguere, « Demum quidquid, ait, de cætero vobis visum fuerit, Domine Rex, de faciendo vel omittendo opere, mea ulterius non intererit. Totum vobis regnum vestrum quietum cedo; ad nostram potius Cartusiensem eremum, vobis valefaciens, mox redibo. Putatis vos nobis gratiam exhibere, si vestro nos vel pane sustentetis, cum eo penitus non indigemus? Vere satius nobis est ad saxa nostrarum confugere Alpium, quam ad talem hominem habere conflictum, qui totum quod pro salute sua geritur tanquam perditum arbitratur. Habeat sibi, citius amissurus et cui nescit ingrato relicturus, opes quas tantum amat; nec Christus his dignatur, nec quisquam bonus [Christianus] participari. »

Hæc ita et his similia, immo et his [satis] duriora, Gerardi blandimenta ad tantum Dominatorem fuisse referuntur. Quid vero pio inter ista et modesto Priori suo animi fuit? Referebat sæpius jam Episcopus talia eum et tanta prosecutum, ut horum post tantum temporis ipse reminiscens totus inhorresceret. Tunc vero, cum hæc proferebat heros ille, cui ex Spiritu Dei tanta libertas fuit, hic tanto vice Regis suffundebatur rubore, ut vix confusionem cordis sui ipse toleraret. Monebat autem Prior Fratrem modestius effari, talibus parcere, aut penitus silere. Verum is, ut erat conscientiæ purioris et reverendæ canitiei, sanguinis etiam generosi, nihili ducebat quæcumque dixisset, si [al. quin] jam dictis alia atque alia, quibus Principem corrigeret aut erudiret, nec adhuc dicenda subnecteret. Putares quoque eum cum Eliu, amico beati Job, musto zeli debriatum loqui : *En, venter meus quasi mustum sine spiraculo, quod langunculas novas disrumpit ;* itemque : *Conceptum sermonem tenere quis poterit?*

Verum interea Regem videres philosophantem. Non vultus immutavit, non verbum edidit ; immo tacitus et tranquillus dicentem sustinuit, quousque universa quæ mente concepisset ore parturiret. Tandem iste satiatus, præcordialique parturitione exoneratus, finem fecit objurgationibus ; et silentio labia flagellantia concedens, spiritum continuit, vocem pressit.

Habito post hæc aliquamdiu ab universis alto silentio, Priore vultum præ confusione deprimente, Rege autem subaspiciente, æstusque mentis illius ex gestibus ipsius perpendente, sic tandem ipse Rex orsus est loqui, « Quidnam tu, inquit, meditabundus deliberas tecum, Vir bone? Num et tu abire disponis et cedere nobis regnum nostrum. » Ad quem ille submisse et leniter, « Non adeo de vobis, inquit, Domine, despero. Potius compatior impedimentis vestris et occupationibus, quibus impediuntur salutaria studia animæ vestræ. Occupati enim estis; et cum Dominus adjuverit, bene persequemini cœpta salubria. »

Tunc Rex complexus eum, cum juramento ait : « Per salutem animæ meæ, dum vitales spirabo auras, tu a regno meo non discedes. Tecum enim partiar salutaria consilia, tecum et studia animæ meæ necessaria. » Misit extemplo et sumptus, opusque summa cum instantia jussit compleri.

CAPITULUM VII.

DE SINGULARI ERGA PRIOREM WITHAMIÆ REGIS FAVORE, PROPTER QUEM ILLUM GENUISSE CARNALITER IPSE REX ÆSTIMABATUR A MULTIS ; ET DE MONITIS IPSIUS HUGONIS CIRCA SALUTEM ET VARIAM UTILITATEM TAM IPSIUS REGIS QUAM ET QUORUMLIBET ALIORUM.

Post hæc Princeps ille magnus Viri Dei crebrius fruebatur colloquio, consilio amplius delectabatur; nec erant multi, sed nec, ut a multis credebatur, vel unus sub omni ejus erat potestate, in quo magis requiesceret spiritus ejus, quam in Priore Withamiæ. Erat autem potestas ejus multa ; cui tota, cum parte maxima Hyberniæ, serviebat Anglia ; cui Neustria cum Andegavia, Aquitania quoque vel Gasconia, necnon et finitimarum regionum tractus magni et multi subjacebant. In omnibus vero terris his nulla inveniebatur persona cujuscumque gradus aut ordinis, cui libentius auscultaret, cui pronius [al. promptius] obtemperaret quam homini huic, in omnibus quæ vel ratio salutis ab eo inquiri vel audiri exegisset. Tanta denique familiaritate se ipsum illi committebat, tam singularis amoris privilegio cunctis fere hominibus illum præferebat, ut crederent et assererent pertinaciter nonnulli, hunc filium Regis naturalem esse, hujus illum genitorem carnalem fuisse.

Vidimus post mortem Regis Richardi, hujus de quo loquimur Regis filii et successoris, cum esset Hugo in finibus Aquitaniæ, innumeras undique diversæ conditionis et dignitatis turmas ad ipsum concurrere, nec aliter quam a Regis defuncti germano super statu suo Hugonem consulere. Contendebant nobiscum plures, illum fratrem Regis nuncupantes ; nec credebant nobis de illius cognatione aut progenie quod verum noveramus asserentibus. « Nos, inquiunt, quid verum habeatur de his melius scimus, et agnovimus evidentius. Dominus noster Rex quondam Henricus nunquam externum hominem ita ut istum amabat, ut istum honorabat, nulli prout isti fidebat, nemini ut isti se ipsum credebat. Nisi esset iste filius ejus (quod etiam corporis forma consimilis fateri probatur), nunquam se et sua tam specialiter illi exponeret, nec ad tantum honoris culmen hominem alienigenam tanta cum instantia promoveret. »

Et hæc quidem illi. Verum nos quod verissime scimus firmissime asserimus, quia non istam ei penes Regem gratiam conciliaverat caro et sanguis, sed revelatio et inspiratio Patris qui est in Cœlis. Ita enim in hac quoque parte gratiæ complebat in famulo suo Domi-

nus, quod suis promiserat in Evangelio discipulis omnia propter ipsum relinquentibus : « Accipietis in hoc sæculo centies tantum, et in futuro vitam æternam. » Nam conscius ipsius, qui in excelsis erat manifeste noverat, quam sincero quamquė perfecto cordis ipsum, relictis omnibus, ille sequeretur affectu, qui nihil nisi propter ipsum, nihil præter ipsum amare sciebat.

Rex quoque id ipsum prævidens acute et perpendens (sicut hanc a Deo gratiam noscitur percepisse, ut viros bonæ conversationis testimonio probatos arctius diligeret), tanto eum præ cæteris eminentius coluit, quanto sensit illum divini amoris facibus flagrare excellentius. Nec enim in sermone assentationis, nedum adulationis, aliquando fuit apud eum. Enimvero qualem noverat expedire, ipsi primo, deinde suis, postremo universis, illum cupiens exhiberi, instabat opportune importune, pro ratione causæ et negotii, pro tempore et loco, arguens, obsecrans et increpans eum, in omni patientia et suavi doctrina; miscens, juxta S. Benedicti egregiam sententiam, temporibus tempora, terroribus blandimenta. Tam vero solerter et circumspecte, adeoque efficaciter et modeste, nunc subtilibus quarumdam rerum argumentis, nunc splendidis virorum illustrium exemplis, Regis animos alliciebat, et quo vellet sæpius ducebat, ut videretur, juxta illud Dominicum ad beatum Job, Rhinoceros voluntarie ipsi servire; videretur et ipse Rhinocerotem alligare loro suo. Nec erit absurdum si etiam dicatur quia et glebas vallium post eum Rhinoceros iste confregerit; qui duritiam hominum terrena sapientium adeo emolliverit, ut post eum in unguentorum odorem ipsius currere, et eum sibi in ducem et præceptorem eligere, dulce tandem habuerint.

Verum de his subsequens sermo planius quæ fuerint dicenda, prout Dominus dederit, explicabit. Nunc seriem cœptæ narrationis prosequamur.

De illis itaque rebus duntaxat seu negotiis tractabat iste cum illo, quæ Christum, quæ Ecclesiam, quæ regni tranquillitatem, quæ populi pacem, quæ denique suam ipsius contingebant salutem. Curas terrenorum tam in nullo cum illo tractabat, quam sola ipse cœlestia curabat; illa sola, quibuscumque posset [modis], amanda, quærenda et obtinenda esse inculcabat. Quam multis tamen bona quoque terrena Hugonis hortatu ille contulerit; quoties iras in clementiam per Hugonem mutaverit, et his, a quibus ultionem expetere posset offensus, veniam concesserit; quot ecclesias et loca religiosa Hugonis obtentu provexerit, rebusque necessariis ampliaverit, perlongum esset sigillatim recensere. Monebat hunc assidue, non in vana ventoque fugatiore mundi prosperitate atque potentia confidere, non in incerto divitiarum sperare, sed in Deo vivo, qui est vera fortitudo, qui certa et æterna est beatitudo speran-

tibus et confidentibus in se. Suadebat ei facile tribuere, perituris mansura comparare, indigentibus communicare bona momentanea, pro quibus sortiretur æterna.

Super variis excessibus sæpius arguebat eum et ad correctionem sedulo eum invitabat. Corripiebat eum vehementissime pro ecclesiis Cathedralibus et cœnobiis vacantibus, quorum investituras in manu sua illicite sæpe ac diu detinebat, quæ et per manus suorum pessime tractabat. In præficiendis tandem Episcopis et Abbatibus, abuti eum usurpata a prædecessoribus suis potestate convincebat. Insinuabat omnium pene malorum causas et materiam in populo Dei per indignos pullulare Prælatos, per eosdem foveri, per ipsos augeri, per eos et vigere. Pro his vero omnibus, in illos præcipue pœnas Divino asserebat judicio retorquendas, qui talibus in eorum promotione authores se aut fautores non timuissent exhibere.

« Et quid necesse, aiebat, o Princeps sapientissime, ut pro vano cujuscumque favore personæ, tot animabus mortem perniciosam inferas, tot deperditione multorum Christi morte redemptorum dispendia Deo irroges, tibique perinde tot suppliciorum cumulos in futurum reponas ? Quanto satius liberas quibuscumque electiones juxta Canonum scita relinqueres ! et te ipsum tot malorum labyrintho explicares ! et tuas ad hoc tantum partes interponeres, ut Deo acceptum, et in his quæ Dei sunt populo tibi subdito credis profuturum, qui eligerent, prævalerent; in contrarium nitentes, in suis molitionibus elisi deficerent ! Ob hanc enim rationem provida sanctorum Patrum dispensatio, in præficiendis ecclesiarum Rectoribus, Christianissimis olim Principibus authoritatem concessit [al. Principibus locum noscitur accommodasse non extremum] : ut per eorum sincerissimam diligentiam, ambitiosorum si qua emersisset temeritas facilius premeretur, Religiosorum unanimitas in studiis suis robur, in votis effectum expeditius consequeretur. »

Talibus Hugo insistebat eloquiis : hujuscemodi erga Principem vacabat monitis, quoties occasione qualicumque ejus utebatur familiari accessu, aut quoties secretiore illius potiebatur affatu. Equidem ob rationes multiplices ipsum adibat frequentius, nunc accersitus ab eo, nunc pro variis Domus quam fundabat et regebat necessitatibus ultro ad eum pergens. Emergebant vero creberrime tunc temporis Regi hinc inde difficultates et adversa perplurima : quæ jugiter Viri spiritualis varia consolatione ferebat levius, nonnunquam vero facilius superabat fretus orationibus ejus, plerumque autem instructus consiliis ejus et circumseptus [al. circumspectus] prudentius declinabat.

CAPITULUM VIII.

QUALITER IN MARI BRITANNICO REGIA CLASSIS PENE NAUFRAGATA OPTATUM LITTUS SEDATA TEMPESTATE SUBIVERIT, REGE DEUM INVOCANTE PER MERITA PRIORIS WITHAMIENSIS ET VOVENTE QUOD EUM PROMOVERI SATAGERET IN EPISCOPUM.

Contigit vice quadam Regem, cum classe non modica, medium pelagus quod inter Neustriam Britanniamque limitatur sulcantem, nimia repente tempestate suborta, pene naufragare. A prima denique vigilia noctis, mare intumescens furentibus ventis, nimiis motibus aut obsistere aut allidere nisum [al. alludere visum], naves mediis nunc astris inserere, nunc immergere abysso videbatur [al. laborabat]. Hoc elementorum ludo, nescio an aliquid in hoc mundo humana pertulerit conditio luctuosius. Sub hac, morte ipsa amariore, mortis imagine, non modicum tempus expensum docebat singulos navigantium, omne vitæ mortalis spatium vix exiguum reputari posse momentum, si sagax inspector rerum illius contempletur occasum. Nil rex, nil consul, nil potens, nil fortis aut dives, nil juvenis aut senex, totum illud tempus esse censebat quod eatenus vixisset, quod serenum aliquando vidisset et tranquillum. Jam enim sub oculis præsens mortis imago cogebat nonnullos habere in votis, ipsius mortis pridem aculeum pertulisse. Quibus mens sanior erat, Confessioni peccatorum insistebant, ex desperatione vitæ præsentis solicitudines futuræ capientes. Precibus plerique gemebundis votisque ad Dominum et ad Sanctos ac Sanctas succlamabant.

Rex tandem et ipse in hæc verba prorupit : « O, inquit, si vigilaret nunc Cartusiensis Hugo meus, si secretis intenderet modo precibus, si vel solemnibus cum suis Fratribus interesset modo divinorum Officiorum excubiis, non ita in longum mei oblivisceretur Deus ! » Tunc altius ingemiscens, inquit: « Deus, cui in veritate servit Prior Withamiensis, illius interventu ac meritis nobis, in tanta pro peccatis nostris angustia juste deprehensis, clementer miserere. » Ferunt quidam etiam vovisse eum, quod ad Pontificalem niteretur gradum quantocius illum promovere, si meruisset incolumis ad portum pervenire. Nec mora : pelagi fragor, ventorum turbo, subsedit et evanuit. Cadit fluctus, redit aura lenior, funditus complanatur æquor; naves universæ optato potiuntur littore; referuntur ab universis gratiarum actiones Divinæ clementiæ;

Votaque servati referunt in littore nautæ.

Rex de cætero venerationi viri Dei se totum devovit.

CAPITULUM IX.

QUOD, EXPLETA CONSTRUCTIONE HABITATIONIS MONACHORUM ET CONVERSORUM, HUGO SACRIS VITÆ CONTEMPLATIVÆ OTIIS FERVENTI DEVOTIONE ANIMUM INTENDERIT; ET QUOD PER SOPOREM, SPIRITU VIGILANTE ET ORANTE ETIAM VOCALITER, *amen* SÆPIUS REPETERE CONSUEVERIT; ET QUOD SEMPER TOTUS ET INTEGER INVENIEBATUR IN EODEM AD QUOD EUM INTENDERE CUJUSQUE TEMPORIS RATIO PRÆSCRIBEBAT.

Ipse jam, completa ædificatione utriusque mansionis, monachorum scilicet et Fratrum, solitis sanctæ conversationis exercitiis, quo liberius, eo et impensius vacabat. Tempus omne quod somni sola necessitas sibi minime vindicasset, orationi aut lectioni, meditationi vel spirituali indulgebat collationi sive exhortationi : quanquam et dormienti corpore, mentis nunquam dormitionem subrepere credidisses, si familiarius ei adhæreres, si dormientem solicitius observares, si referentem quæ corde vigili inter soporis nexus spiritu liber percepisset studiosius attendisses. Audires hunc centies, cum vehementi spiritus impulsione, cum forti labiorum impressione, sive in die sive in nocte quiescentem, mysticum illud, toties ore Dominico iteratum, *Amen,* quasi in conclusionem præmissæ orationis proferre. Nihil vero aliud ab ore dormientis (sicut plerisque moris est aut voces aut verba somniando emittere) aliquando procedebat; sed leniter, silenter et quietissime pausando, nunc per intervalla rarius, nunc vero frequentius, protracta aliquantulum prima syllaba, et ultima in acutum veluti jaculando emissa, *Amen* innumeris vicibus repetebat.

Quoties hoc a dormiente prolatum audivimus, toties illud Sponsæ de Canticis illi congruere sentiebamus, ut loqueretur cœlesti Sponso anima ipsius, dicens : « *Ego dormio et cor meum vigilat,* immo etiam orat. » Quoties vero nobis ea quæ per soporem percepisset referebat, hymnidicum illud competere ei perpendebamus, quod ille vigilando etiam attentius sæpe canebat, *Exuta sensu lubrico, Te cordis alta somnient.* Nec mirum si dormienti non deerant interna serenitas [al. sinceritas], intima claritas, mira suavitas, quem vigilantem nec externa vanitas, nec cæca curiositas, nec impura voluptas, suis irretire illecebris ullatenus valebant.

Cum vero corporalia sumebat alimenta, cum faucibus tereret cibi nutrimenta terreni, tunc potissimum aures ejus esuriebant et hauriebant verbum Dei. Si cum Fratribus pro more, juxta consuetum diei festi refectorium ingressus, una cum illis pranderet, (prout ipse cæteros monebat et docebat) oculos in mensa, manus in scutella, aures ad librum, cor ad Deum semper habebat. Si solus edebat in cella, partiebantur sibi liber et mensula oculorum officia. Tunc enim lumina ejus sibi distrahebant vicissim, hinc liber apertus, hinc panis appositus; nam pulmenta rarius adjiciebantur. Aqua sola sæpius poculum simul et jusculum fuit. Condimen-

tum his epulis pretiosissimum nunquam defuit, sermo Dei. Codicem vero celeri perstringens obtutu, velut raptim, animo potius transmisit quod ruminaret, quam desiderio quod illud satiaret, aut studio quod illi satisfaceret.

In omni namque tempore et in omni loco, quod loci, quod temporis flagitaret ratio, hoc et ipse faciebat, hoc et aliis agendum monebat : quam adeo velut in habitum sibi verterat ordinatissimam et saluberrimam institutionem, ut cum spiritus [al. ut cum semper] totus et integer esse videretur in eo ad quod eum intendere præscribebat loci præsentis aut horæ dispositio, hoc ipsum etiam tempore quiescendi observaret in lectulo. Nunquam eum lectulus (dummodo esset incolumis) vel ad momentum tenuit vigilantem. Mox ut ejus membra stratum excepisset, et ipsa pariter sopor excipiebat. Si quando intempestive quolibet casu excitaretur a somno, confestim vel ad orationem surgebat, vel sub momento solvebatur rursus in soporem.

CAPITULUM X.

DE EO QUOD SUBLIMES IN ERUDITIONE VIRI TAM DE CLERICORUM QUAM DE MONACHORUM ORDINE, COGNITA PERFECTIONE WITHAMIENSIUM CARTUSIENSIUM, ABDICATA MUNDI HUJUS SAPIENTIA, CHRISTIANÆ INTER EOS PHILOSOPHIÆ MANCIPARI FESTINAVERINT.

His et hujusmodi spiritualis disciplinæ studiis florente apud Withamiam Hugone, et cum Fratribus suis et condiscipulis hic salubriter philosophante, confluebant ad eum plurimi diversæ conditionis seu professionis viri religiosi, aspectu illius et affatu ædificari et instrui, et munere optatæ consolationis refoveri cupientes [al. citius *vel* certius præsumentes]. Nec vero sua quempiam spes fallebat : nullus hac in parte pio fraudabatur cordis desiderio. Cunctis apud Withamiam exempla dabantur perfectæ Religionis ; omnes reportabant inde documenta sanæ instructionis ; quisque ibidem affectu replebatur piæ devotionis.

Hinc subito, per omnes Britanniæ vel Angliæ fines, sanctæ hujus opinionis fragrantia suavius diffusa, præcordia multorum tantæ dulcedinis afficiebat gratia, ut viri litteratissimi variisque redditibus ditati, relictis hujus sæculi pompis, sanctæ et sinceræ illius conversationis humilitatem tota devotione expeterent, totaque alacritate subirent. Gaudebant illustrissimi disciplinarum sæcularium Magistri, sub tanti magisterio Doctoris illud implere Apostolicum : *Si quis videtur inter vos sapiens esse, stultus efficiatur ut sit sapiens.* Abdicata itaque vana mundi sapientia, sub disciplina præceptoris a Deo [al. adeo] docti, efficiuntur et ipsi docibiles Dei, tramitem Christianæ Philosophiæ indeclinabili vitæ carpentes rectitudine. Nonnulli quoque ex monachorum et clericorum Ordinibus Regularium, sub virga solertis se transferre cupiebant Pastoris : sagaci nimirum animo perpendentes, corporeæ quidem pascuæ

ariditatem, quæ penes eum reperiebatur, pinguedine spiritualis alimoniæ uberius compensari.

Experientia docente sentiebant manifeste, longius a Pastore isto illam relegari maledictionem, qua mulctatur in Libro beati Job, is qui *pavit sterilem quæ non parit, et viduæ bene non fecit.* Hujus quippe sub dispensatione Pastoris, hæc versa vice sterilis (de qua et per se ipsam Veritas dicit, *caro non prodest quidquam*) macerabatur abstinentia, squalebat cilicio, vigiliis pro deliciis, frigore et inedia exercebatur. Vidua vero, cujus vir abierat via longissima, nec ante plenilunium reversurus, sed tunc sub integro meritorum fulgore ad cœlestis eam thalami delicias introducturus : hæc, inquam, vidua apud fidelem hunc amicum Sponsi epulabatur quotidie splendide, calceabatur hyacintho, induebatur purpura et bysso. Nihil tamen huic cum illo divite erat commune, qui post hujus nominis [al. illius sterilis] cultum et epulum sepultus est in inferno. Hujusmodi namque byssus viduæ, secundum Apocalypsim, justificationes fuerunt carnis et spiritus ; purpura, carnis Dominicæ stigmata; hyacinthus vero, cœlestia desideria, quibus internorum affectuum muniebantur vestigia. Talibus siquidem insignibus adornata, nutriebatur in croceis; et juxta sententiam viri Sapientis, *Epulæ ejus diligenter fiebant.* His ipsa quotidie saginanda epulabatur splendide, splendoribus repleta cœlestis theoriæ.

Hoc videntes et cognoscentes plurimi, nitebantur in sancta suscipi triclinia ascetarum. Eorum vero Præpositus, ut erat vir prudens per omnia et circumspectus, nec cito nec facile aperiebat pulsantibus. Probabat namque spiritus, ut monet Apostolus, si ex Deo essent : et quidem non sine cauta dulcedine, et leni quadam asperitate. Aperuit autem quibusdam, post longiora probamenta, perseverantibus in pulsando; verum, ut ex fine patuit, non in omnibus illis beneplacitum fuit Domino. Abierunt quippe nonnulli retrorsum; et si forte non omnimode post Satanam, tamen quidam declinarunt cum Loth a monte arduæ contemplationis, salvandi forsitan in Segor actionis piæ : non valentes cum Moyse ad caliginem conscendere in qua erat Deus, redierunt ad tabernaculum suum in quo habitaverant prius.

CAPITULUM XI.

DE TURBULENTA INQUIETUDINE ANDREÆ ET ALEXANDRI, QUI CARTUSIENSEM ORDINEM DESERUERUNT ; ET QUOD ALEXANDER, POSTEA FACTI PŒNITENS, REDEUNDI ADITUM NON INVENERIT.

Concussa sunt interea maternæ pietatis in Hugone viscera. Collidebantur inter se duo, quos nitebatur parturire Deo, rei quidem veritate parvuli, sed sua, immo et publica æstimatione magni. Andreas unus, alter Alexander vocabatur. Posterior sæcularis, ut vulgus loquitur, extiterat Canonicus, Canoni-

catum habens de Lens [al. Lewes] : prænominatus Magister, major habitus in quadrivio, sed minor repertus in Evangelio. Prior ille, qui et Andreas, monachus habebatur et Sacrista monasterii quod Muchelenia nuncupatur. De horum utroque illud Rebeccæ, Matri quæ eos parturiebat licuit proferre : *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Uterque istorum, sibilo instigatus serpentis antiqui, sæpius in Hugonem, semper vero in sanctum quem indigni subierant Ordinem, dente vipereo sæviebant. Corde siquidem reversi in Ægyptum, manna cœlicum nauseantes, ad pepones et allia suspirabant. Nec in longum fraudati sunt miserabili desiderio suo; sed usque ad nauseam ingurgitati, sero intellexerunt, quid distet inter siliquas regionis longinquæ, et panes domus paternæ. Nec vero in sugillationem sacri Ordinis ad quem alter eorum rediit, alter vero accessit, hæc dicimus : sed quid eis acciderit, qui bonum non bene deseruerunt, sed nec bene ad bonum accesserunt, veraciter intimamus.

Versi namque in seditionem, ut illi quondam famosi murmuratores Moysen, ita Hugonem isti durius exacerbabant, irritantes eum in vanitatibus suis. Andreas utcumque modestius furebat. Alexander vero, sine moderaminis respectu, multa suo Paulo mala ostendebat.

« Seduxisti, inquit, nos pessime, et induxisti in locum horroris et vastæ solitudinis, privatos et exutos habitationibus amœnis rebusque opimis ; et quasi religiosæ quietis habitacula in sæculo non sint, ita hic inter feras et frutices nobis ferino more delitescendum præscribis. Abundat omnis terra Religiosorum cœtibus virorum, ubi et cohabitantium multitudo ad solatium, et perfectio satis superque nobis sufficeret ad exemplum ; et ecce soli sine solatio, præ acedia languidi et torpentes, neminem totis diebus videmus quem imitemur, parietes solos quibus includimur intuentes. Sed nec cedent [al. sedent] nobis nimium licet argutæ rationes tuæ; manifestis enim et rectissimis sententiis nostris semper adversatur sermo tuus. Ita vero rarissimæ adhuc in terris jugum novellæ hujus Legis portandum ingeritur nobis, ac si perierit ubique, præterquam apud Cartusienses, Christianitas tota, et vix nisi paucissimis homunculis via sit comperta salutis. Verum quos potiora non latent, hæc inutilia et vana diutius tenere non valent, nec debent. His ergo, longe salubriora quæsituri, ulterius recusamus addici. »

Talibus sacrum Ordinem illum exagitabat blasphemiis, talibus Virum Dei afficiebat conviciis, hominis pervicacia vesani. Dolebat interea Hugo periculis eorum, qui jam sibi firmaverant sermonem nequam apostasiæ ; timebat quoque scandala infirmorum ac recenter conversorum, quos, præter inevitabiles undecumque prodeuntes tentationum æstus,* hujus vehementius exagitabat formido tempestuosæ procellæ [al.

* hujusmodi vehementius exagitabant tempestuosæ procellæ]. Erat enim spiritus eorum, male scilicet robustorum, velut turbo impellens parietem sanctæ illius societatis, discindens pro viribus compagem. Quantum denique mœstitudinis, quantumque tædii sacrum illud pectus, in fraterna compassione et vera pietate tenerrimum, occupaverit ob illorum amaram obstinationem, nec ipse qui hæc pertulit, ullis potuit (ut sæpius fatebatur) verbis declarare.

Vidimus autem postea hunc ipsum Alexandrum, jam Cluniacensem monachum, rebus aliquantulum sibi cedentibus contra votum, permutationis suæ pœnitudine ductum, Hugonis tunc Episcopi ambitiosius gratiam implorare; nobis etiam preces ingeminare multiplices, ut interventu nostro reditum mereretur ad veri, ut asserebat, Paradisi incaute perditam mansionem. Verum, sicut per Apostolum dictum est de Esau, *Non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisisset eam*. Obstitit enim non solum memoratæ improbitatis suæ in posterum quoque suscepta transgressio, verum etiam præsentis inquietudinis ejus variabilis [al. notabilis] occasio. Translato enim ad regimen Cluniacensis monasterii Hugone Radingensi abbate, qui eum ob litterarum prærogativam et magni nominis umbram in commensalem sibi et familiarem adsciverat, hic, jam velut inglorium se reputans et destitutum, deteriora cœperat sentire de claustrali amplitudine et sodalium multitudine, quam senserat pridem de angustia cellæ et solitariorum raritate.

CAPITULUM XII.

DE EO QUOD DIFFICILLIMUS SEMPER INVENIEBATUR HUGO AD RECIPIENDOS SEMEL EGRESSOS DE ORDINE CARTUSIENSI ; CUM ASSIGNATIONE CAUSÆ HUJUS DIFFICULTATIS.

Semper quidem Hugo difficillimus inveniebatur ad recipiendos semel egressos ab Ordine, seu monachos seu Conversos : asserens huic quam maxime Religioni cavendam sedulo instabilium levitatem palearum. Hoc siquidem nomine illos exprimebat, qui ad facilem motum tentationis separantur a collegio bonorum, excussi ab area initæ professionis. Hujusmodi homines in aliis commodius habitare posse locis Religiosis dicebat, in quibus vitæ activæ disciplina etiam istos quandoque promovet ad salutem. Eo autem ipso, quod talium deprehensa et improbata [al. experta et probata] societas repudiatur ab Ordine Cartusiensi, tam illis consuli aiebat, qui ne ingrediantur repelluntur, quam et illis qui semel admissi, quieti interius morantur : cum et istis id ad quod minus idonei sunt non conceditur, aliis vero eorum accessu obex aut impedimentum non irrogatur. Nullius vero, quamlibet dilecti, quamlibet præeminentis viri, ullatenus admittebat in hoc casu preces : omnibus in commune aditum claudens et spem redeundi, qui sponte deseruissent, in quibus se prius

intractabiles exhibuissent, septa ovilis sui.

Zelabat per omnia suorum quietem tanquam sui ipsius salutem. Unamquamque commissarum sibi animarum non aliter attendebat, nec aliter omni studio spiritualis pulchritudinis excolebat, quam Sponsam amantissimam Domini sui. De qualibet ipsarum, omnibus quidem sed specialius sibi, vel cuilibet illius Ordinis Rectori, voce cœlestis Sponsi illud de Canticis æstimabat dictum : *Adjuro vos per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.* Videbantur ei non solum hanc adjurationem spernere, qui aliqua importunitate [al. improbitate] sabbatum illorum sanctum et delicatum præsumerent infestare ; sed etiam illi qui infestos dissimularent vel inclusos reprimere, vel infestaturos et exclusos ne ingrederentur negligerent arcere.

Rediit autem, ut prælibavimus, et memoratus Andreas, nominis sui honore mutilatus, ad nota infantiæ suæ cunabula.

CAPITULUM XIII.

QUOD SACRIS CODICIBUS SOLICITE ACQUIRENDIS PLURIMAM IMPENDERIT OPERAM ; ET DE BIBLIOTHECA WINTONIENSIUM MONACHORUM, QUAM REGI DATAM ET CARTUSIENSIBUS WITHAMIENSIBUS A REGE COLLATAM, HUGO PRISTINIS RESTITUIT POSSESSORIBUS; ET DE PRÆROGATIVA DILECTIONIS INTER UTRUMQUE COLLEGIUM.

Libet succincte quiddam ex gestis Viri spiritus pleni duplicis seu geminæ dilectionis (Dei videlicet et proximi) referre, quod ejusdem, quæ in illo vehementer enituit, sincerissimæ charitatis insigne documentum fuit. Igitur pene jam, pro consuetudine illius Ordinis, completo integro numero Fratrum, ædificiisque regularibus decenter consummatis, ædificandis indesinenter in sancto proposito sibi commissarum ovium animabus boni hujus Pastoris invigilavit solertia. In cujus negotii non mediocre adjutorium, sacris Codicibus conficiendis, comparandis, et quibus posset modis acquirendis, haud segnem operam impendebat. His enim pro deliciis et pro divitiis tempore tranquillo, his bellico sub procinctu pro telis vel armis, his in fame pro alimonia, in languore pro medela, Religiosis quibusque, maxime vero ducentibus solitariam Vitam, utendum esse memorabat.

Hinc contigit ut cum Rege familiarius quodam tempore agens, de penuria librorum intersereret mentionem. A quo admonitus ut conscribendis insisteret per conductitios scriptores libris, membranas sibi deesse respondit. Tunc ille, « Et quantum, inquit, pecuniæ tibi vis conferri ad hunc supplendum defectum ? » — « Una, inquit, marca argenti diu sufficiet. » Rex ad hæc subridens, « O, inquit, quam immoderate gravas nos ! » Jussitque incontinenti decem marcas Fratri, qui cum eo erat, numerari. Promisit etiam unam Bibliothecam, utriusque Testamenti corpus

integre continentem, se transmissurum ei. Rediit Prior Domum. Rex autem promissi sui non immemor, inquirit solicite Bibliothecam optime confectam, quam eis conferre possit. Suggeritur demum studiosius quærenti, monachos Sancti Wintini [al. Swithuni] egregiam recenti et decenti opere confecisse Bibliothecam, in qua ad mensam edentium Fratrum legi soleret. Quo ille comperto, oppido gavisus est. Accersito itaque quantocius Priore illius ecclesiæ, sub multæ recompensationis pollicitatione donari sibi munus optatum petiit, et citius impetravit. Itaque Prior Withamiensium Cartusiensium cum Fratribus suis, propter Bibliothecam Regio munere susceptam et inspectam, non mediocriter et ipsi lætati sunt : in eo potissimum gavisi, quod styli elegantiam totiusque operis venustatem, operosior emendatio commendaret.

Contigit post hæc quemdam ex monachis ecclesiæ Wintoniensis, ædificationis gratia, venisse Withamiam. Quem Prior, more suo, summa cum affabilitate optato reficiens sanctæ discretionis colloquio, didicit repente ab eo, cum quanta supplicatione Dominus Rex Bibliothecam ipsam dignatus fuerit a Priore suo postulare. « Et nos quidem in eo, ait, etiam gratulamur impensius, quod vestræ illam contulit sanctitati. Quæ si vobis per omnia placet, bene res processit; sin alias, et si a vestra consuetudine dissidet aliqua sui parte, nos ista pro vestro libitu longe meliorem citius conficiemus, pro vestra in omnibus dispositione ordinandam. Hanc enim nostro usui nostræque consuetudini, non sine magni sudoris impensa fecimus consonare. » Ad hæc Prior admirans (nescierat enim prius quonam ordine Rex obtinuisset illam), Fratrem continuo ita affatus est : « Itane Dominus Rex ecclesiam vestram fraudavit adeo necessario labore vestro? [Crede mihi, Frater amantissime, restituetur vobis incontinenti Bibliotheca vestra.] Sed et Fratrum vestrorum supplicamus per vos devote universitati, ut nostræ dignentur humilitati indulgere, quod occasione nostra, nobis id ignorantibus, defectum sustinuerunt Codicis sui. »

His monachus auditis vehementer expavit, orans gemebundis vocibus ne talia cogitaret vel loqueretur : nullatenus expedire affirmans ecclesiæ suæ, ut sibi utiliter conciliatam tali xenio Regis gratiam quavis occasione disturbaret. Hinc Prior exultans, « Estne, inquit, hoc verum, quod de ejus favore plus solito præsumitis? nec vobis triste est tali hunc munere negotiis vestris propitium esse effectum? » Tunc cum ille Fratribus suis omnibus ex hoc gaudium provenisse assereret, Hugo subjunxit : « Ut hoc gaudium, inquit, perpetuetur in longum, cunctos necesse est lateat facta vobis restitutio pretiosi revera laboris vestri. Si vero Bibliothecam hanc recipere clanculo minime acquiescitis, ego illam ei restituo qui huc

ipsam destinavit. Si vero modo eam reportaveritis, hoc illi per nos nullatenus innotescet. » Quid multa? Receperunt monachi Codicem suum, quasi recenti dono acquisitum : multum de Codice, sed multo plus de transmittentis et restituentis dulcedine, et charitatis ipsius plenitudine exhilarati.

Quo facto, ut præmissum est, evidentius innotuit quanto geminæ charitatis ardore mens Viri Dei flagraverit : qui, gratia sui commodi, viris noluit Religiosis opus ad honorem Dei elaboratum deperire, ne vel in momento [al. in modico] eidem derogaretur Divino honori, vel honorem exhibentium detraheretur utilitati. Proximos ergo et beneficio juvit et exemplo : quatenus et per lectionem proficerent Codicis, et virtutem æmularentur impensæ sibi fraternæ dilectionis; ex utroque vero transirent [al. crescerent] in amorem sui Conditoris. In hunc sane finem omnis ejus actio, sermo et cogitatio dirigi consuevit, ut præstaret proximo, et tam ipse quam proximus exinde placerent Deo. Sed neque fraudari potuit intentio ejus pia et recta a spe sua. Convaluit siquidem ex illo præsertim tempore inter utriusque loci accolas, Wintonienses videlicet cœnobitas et Withamienses eremitas Cartusienses eximiæ dilectionis prærogativa, præstante Dei gratia, in ævum duratura in Cœlo cœlorum, non autem in terra in qua jam amplius non est Ordo sed horror et error.

CAPITULUM XIV.

QUOD AD INSTANTIAM MAXIME VENERABILIUM VIRORUM, DOMNI ROBERTI PRIORIS SANCTI WINTINI (SWITHUNI) ET SOLITARII POSTEA WITHAMIENSIS, NEC NON ET D. RADINI SACRISTÆ, HÆC POSTERIS DE HUGONE COGNOSCENDA SCRIPTO MANDATA SINT.

Vidimus postea virum omni laude attollendum, quia omni virtutum gratia decoratum, Domnum Robertum ejusdem Cathedralis ecclesiæ Wintoniensis Priorem, ut liberius vacaret Deo sanctæque illius institutionis proficeret magisterio, relictis turmis obsequentium, Withamiensem effectum solitarium. De cujus virtutibus vel moribus silere potius quam pauca dicere satius est; cum placidæ et sanctissimæ illius vitæ insignia recolenti veniat plerumque in dubium, quid primum, quidve præcipuum in tot ejus præconiis sit commendandum. Qui, in summa jam constitutus ætate, * idcirco a Spiritu se dicebat impulsum, ut eremiticæ conversationis arriperet Institutum [al. * idcirco asperum se dicebat eremiticæ conversationis arripuisse Institutum], quatenus moreretur tutius, qui citius videbatur moriturus. Qui et accelerandam quoque jam imminentem æstimare potuit mortem, eo quod in tanto naturæ defectu tam insuetum subiret vivendi rigorem.

Verum superante in eo naturam Christi gratia, creverunt ei etiam præsentis vitæ spatia, ad promerenda uberius perennis vitæ præmia. Audivimus autem

eum (postquam in cellæ solitudine, in cibi ariditate, in cilicii squalore tertium jam exegerat lustrum) cum spirituali jucunditate protestari solitum, adeptum se præteritarum deliciarum affluentiam, quam mensa pridem lautior cumulare solebat : optimam valetudinem sibi et juvenilium quodammodo annorum rediisse vigorem. Erat vultu placidus, corde serenissimus, canitie niveus, sermone facundus, spiritu mitis, affatu [al. affectu] suavis.

Istius sane, et viri æque præstantissimi D. Radini [al. Radulfi], quondam Sacristæ istius ecclesiæ, monitis præcipue animatus, precibusque importunis compulsus sum, aliqua posterorum notitiæ de præsenti materia scribendo transmittere. Quorum jam uterque ex hac, ut accepimus, luce ad illam migravit claritatem felicitatis æternæ, pro cujus desiderabili expectatione diutius flendo, jejunando et vigilando, corporeæ lucis aliquamdiu privati sunt visione, instante jam beata corporis hujus quod corrumpitur resolutione. Hæc vero de his paulo quam sperabamus diffusius prosecuti sumus, ut Lectori claresceret evidentius, ad quantam pietatis frugem bonitatis germina in Hugone pullulare consueverant : quem ad ædificandum et plantandum super gentes et regna cœlestis Clementia decrevit constituendum.

LIBER TERTIUS.

PROLOGUS.

Quia, præstante Domino, beati Viri gesta, quibus ab ipso pueritiæ suæ tempore usque ad Episcopatus susceptionem omnipotenti Deo se se commendavit, qualicumque stylo summatim exaravimus; nunc qualiter ad Episcopatum, cœlesti prosequente gratia, conscenderit, qualiter in eo vixerit et docuerit, succinctus sermo percurrat. Nec enim singula, sed neque præcipua gestorum ejus atque verborum, a nobis recensenda promittimus; sed ea sola, nec tamen ea omnia, quæ nobis sunt ex ejusdem actibus et memorabilibus dictis certius comperta et memoriter retenta. In quibus non admirationem superfluam legentium sive audientium captamus, sed ea potius quæ sancta et salubria sunt nosse et imitari cupientium ædificationem.

Nam et in hoc etiam, traditam a sanctis Ordinis Cartusiensis Authoribus, gravitatem pariter et humilitatem arctius et perfectius mente tota imbiberat B. Hugo, ut nihil minus quam miraculorum prodigia mirari aut æmulari videretur : cum hæc tamen de viris Sanctis lecta aut cognita suaviter referret et sublimius veneraretur. Referebat, inquam, hæc ad commendationem ea exhibentium, et ad exercitationem talia admirantium, cum illi sola esset Sanctorum sanctitas pro miraculo, sola

sufficeret pro exemplo. Unico autem et universali sibi erat pro miraculo, Conditoris sui, quæ nunquam ei deerat, præcordialis recordatio, magnalium quoque illius stupenda et inexplicabilis multitudo. Plurima vero, ad suam ipsius quandoque relevationem, necnon et aliorum sæpius opitulationem, per eum (dum adviveret) seu scientem seu nescientem, Dominum exhibuisse miracula, nemini qui ei familiarius adhæsit incertum fuit. Sed per ista, quæ Fidelibus communicanda scribemus, pie lecturis rei hujus certitudo (superna opitulante gratia) plenius constabit.

Hæc vero de Procemio Libelli hujus tertii in Vitam beati Viri prælibasse sufficiat; jam historiæ seriem incultus licet stylus evolvat.

CAPITULUM I.

DE HUGONIS ELECTIONE IN EPISCOPUM ; ET DE AMPLITUDINE LINCOLNIENSIS EPISCOPATUS ; ET DE COMMENDATIONE MORUM HUGONIS.

Promoto in Archiepiscopalem Rothomagensis ecclesiæ sedem viro venerabili Waltero Lincolniensi Episcopo, rex Anglorum Henricus Secundus apud Egnesham [Eynsham], octo ferme continuatim diebus, tractatum habuit super variis regni negotiis cum Episcopis et Magnatibus terræ. Ad idem siquidem monasterium et eodem tempore, piæ memoriæ Balduinus Cantuariensis archiepiscopus, et suffraganeorum ejus quidam, hospitii gratia se se contulerant. Rex singulis diebus illuc mane adventabat; indeque ad palatium suum quod apud Wodestore [Woodstock] habebatur, post actitatum cum prædictis colloquium, denuo redibat. Celebrabantur ibidem tunc temporis Episcoporum et Abbatum quorumdam electiones. Huc et Lincolniensis ecclesiæ Canonici advenerant, electuri, seu potius suscepturi Episcopum cœlitus jam electum.

Fuerunt eo tempore præminentiores ipsius Ecclesiæ personæ non paucæ, consiliis aut obsequiis etiam Palatinis adscriptæ vel addictæ. Erantque in sæcularibus famosi, litterarum sicut et divitiarum mundanarum copia præpollentes. Plerique ex his nullum quamlibet amplum Episcopatum magnitudine sua reputabant majorem : nimirum cum ipsi amplioribus cumularentur redditibus, quam ingens quilibet Episcopatus præstare posset. Eorum tamen aliqui, sive ob bonum (juxta Apostolum) opus, sive juxta sæcularem ambitum ob honoris et potestatis decus, minime renuissent episcopari, si affuisset qui eos coegisset. Verum Domino cor Regis in manu tenente et quo vellet inclinante, annuente sibi memorato Metropolitano aliisque nonnullis religiosis personis, maxime vero, illo de quo superius mentio facta est, Reginaldo Bathoniensi episcopo instante, ad tot Dominicarum ovium custodiam Rex ipse utiliorem provideri satagebat Pastorem.

Illa namque diœcesis, bis quaternos

continens Archidiaconatus, per novem et eo amplius distenditur Comitatus; urbes prægrandes, plebes vero complectitur innumeras. Neque facile invenitur alter eo vastior aut populosior Episcopatus. Vacaverat vero paulo ante Sedes tam egregia annis circiter decem et octo : duobus videlicet et semis post translationem Episcopi præfati, quindecim vero ante illius consecrationem. Tot annorum curriculis ager ille Dominicus cultoris industria destitutus, haud mirum si vitiorum sentibus multisque abusionum germinibus squalebat opertus. Discrimen tanti mali sibi Rex sentiens imputari (quem videlicet vacationis tam inconsultæ authorem extitisse patebat), omnibus modis nititur per alicujus cultoris electissimi strenuitatem omissæ diutius culturæ dispendia compensare.

Clericis itaque illis in vota disparia frustra studentibus, nullius vero nisi propriam quisque suam ipsius promotionem ex animo, ut dicebatur, expectantibus [al. expetentibus]; insistunt plurimi, suadentes eis obnixius ut Virum incomparandæ bonitatis, Priorem videlicet Withamiæ, studeant in Pastorem petere [al. obtinere]. Commendatur a multis ejus sanctitas, ejus discretio; affabilitas ejus et religio in immensum attollitur. Omnis quadratura virtutum, omnis denique morum elegantia in solo homine isto convenisse prædicatur. Nullus eo dignior summo Sacerdotio, consona multorum voce acclamatur.

Ad hæc primum velut horrore quodam perfundi cerneres homines præfatos, homines nimirum quæ carnis sunt sapientes; homines, inquam, etiam in causa Dei, quæ hominum potius quam quæ Dei sunt quærentes. Denique cultum Religionis illius, ritus et loquelam ipsius sibi prorsus aut contraria aut ignota prætexere, non sine derisionis cachinno, cœperunt. Verum hæc illorum derisio a sanum sapientibus, magno eorum commodo, salubriter derisa est. Ipsi quoque ad immensum non modo suæ, immo et totius Ecclesiæ sanctæ decus, quem pueriliter primo despexerant, mutato repente consilio, unanimiter demum elegerunt. Itaque quem ab æterno in hoc ipsum elegerat Dominus, tempore divinitus præfinito eligitur ab hominibus. Gratulantur qui noverant eum; qui notitiæ ejus expertes erant, mirantur. In commune vero ab omnibus Deus et Dominus voce altisona collaudatur.

CAPITULUM II.

DE LOCIS, IN QUIBUS DEBET VEL NON DEBET PONTIFICALIS CELEBRARI ELECTIO, HUGONIS DIFFINITIO; ET QUOD REPUDIAVERIT HABITAM DE SE ELECTIONEM NON IN CAPITULO LINCOLNIENSI.

Clero igitur petente, Rege approbante, Proceribus cum Episcopis acclamantibus, a Metropolitano ejus mox confirmatur electio; ipso interim in sua eremo latente, et quid de se ab illis longe a se positis ageretur prorsus nesciente. A loco autem ipso, ubi celebrata est electio ipsa, directi sunt ad eum quidam ex primis electoribus illis, jam in spe

filiis et Clericis suis. Qui Domini Archiepiscopi mandatum cum litteris quoque Regiis deferentes, mox ut ad eum perveniunt, ei vocationis suæ ordinem ad gradum superiorem exponunt. Quo ille audito, litteris etiam quas attulerant inspectis, quibus post alia denunciabatur ei quatenus sub celeritate Regi et Archiepiscopo se se præsentaret de consecrationis suæ negotio tractaturus, tale incontinenti ad audita et inspecta responsum dedit :

« Non videtur, inquit, mirandum si Dominus Archiepiscopus aut Dominus Rex personam meam, quamvis tali honore indignam, licet tanto oneri longe imparem, ad gradum libenter videant provehi altiorem. Nam et Domino Regi quis ambigat placiturum, si viros a se Religionis obtentu de partibus accitos remotis, prosperis in regno suo videat florere successibus ? Nihilominus et Domino Cantuariensi, qui Religionis habitum jam pene solus inter Episcopos terræ hujus præferre videtur, quis nesciat in votis esse, ut in suscepto curæ pastoralis officio coadjutores accipiat et comministros, regularis disciplinæ experientia instructos? Verum hæc istorum vota vel studia vobis præjudicare non valent. Vestrum est Rectorem libere eligere, cujus de cætero moderamina vos oporteat necessario moresque tolerare. Denique non in Regali palatio, sed neque in Pontificali concilio (dummodo schismatis vel alterius non interveniat noxa discriminis), quin potius in suo cujusque Ecclesiæ Capitulo, Rectoris ecclesiastici est celebranda electio.

« Itaque ut meæ vobis parvitatis sententia intimetur, noveritis me quidquid de ejusmodi electione actum est irritum habere et prorsus inane. Vos quoque, pro infecto habentes quæcumque super hoc pars quædam cœtus vestri noscitur attentasse, ad propriam cum Dei benedictione Ecclesiam remeate. Ibi, Sancti Spiritus consilio pariter et adjutorio invocato iterum Canonicam Pastoris vestri electionem solemniter celebrate. Quod ut digne efficiatis, non Regis, non Præsulis, non denique cujuscumque hominis, sed solius Dei omnipotentis voluntatem, gratiam et favorem præ oculis habeatis. Aliud a mea parvitate minime reportabitis. Abite igitur, et Angelus Domini bonus comitetur vobiscum. »

Eo itaque in hac sententia persistente, cum nulla posset ratione induci ut vel Regi seu Archiepiscopo suam pro tali negotio præsentiam exhiberet, illi ad eos qui se miserant quantocius redierunt, miro modo in omnibus quæ ab eo audierant et quæ circa eum viderant ædificati. Nec solum ipsi, sed et omnes qui audierunt, mirati sunt et vehementer jucundati : collaudantibus in eo cunctis ac magnificantibus sinceritatem animi, virtutem eximiæ discretionis, vivacitatem consilii, et zelum ecclesiasticæ libertatis.

CAPITULUM III.

QUOD CITRA JUSSIONEM PRIORIS CARTUSIÆ NOLUERIT ELECTIONI ACQUIESCERE, ETIAM IN LINCOLNIENSI CAPITULO SATIS FAVORABILITER CELEBRATÆ.

His ad notitiam Lincolniensis Capituli perlatis, universitas illius Collegii jam quasi arrham futuræ strenuitatis, et quasdam virtutum primitias de suo se Electo percepisse impensius gratulatur. Quique se prius male inductos ac circumventos querebantur, ut hominem natura barbarum, moribus (ut formidabant) agrestem et asperum, sibi in Rectorem et Dominum elegissent; nunc vice versa, bonitatis et sapientiæ illius virtute comperta, accelerant denuo ac de novo illum eligere, utque super se Pastoralis curæ ministerium dignetur suscipere, devotissime supplicare. Mittuntur iterum cum litteris Capituli, Regis quoque et Archiepiscopi, nuncii plures prioribus. Omnibus itaque existimantibus consummatum jam esse negotium, nec ullum ei de cætero superesse procrastinandi subterfugium, Legati tam plene instructi, hilares et læti perveniunt ad eum.

Præsciverat quidem ab olim Vir beatus ad Pontificatus officium se quandoque divinitus perducendum : unde, quod vitare se non posse dolebat ne demum fieret, quantum in se fuit ne citius fieret differri cupiebat. Auditis ergo (post inspectas litteras) verbis nunciorum, sic eos alloquitur :

« Mirum est, inquit, quod viri adeo sapientes adeoque civiles, me hominem incultum et idiotam tantopere solicitent, et familiarem mihi et amicam ab adolescentia mea quietem solitudinis auferre non desinant, publicisque conventibus et negotiorum implicamentis mihi prorsus inassueto, immo et inexperto ingerere laborent. Verum quia, ut video, id vobis dissuaderi prolatis a me rationibus non potest, hoc sciatis indubitanter, quia vestri laboris meta in arbitrio meo non est. Latere vos non potest, quia homo sum sub aliena potestate constitutus : monachum me nostis, Prioris mei nutibus subjectum, servandæque usque ad mortem obedientiæ addictum, præcepto quoque illius præcipue qui in has terras misit me substratum. A meo mihi Præposito Domus hujus custodia credita est ; nec admittit ratio, ut, ea neglecta, alterius cujusque Domus vel Ecclesiæ suscipiam gubernacula. Dominus quidem Cantuariensis Primas et Princeps Ecclesiæ Anglicanæ sub Pontifice Summo est ; attamen in hujusmodi est et alius inter nos medius. A vestræ igitur petitionis hujuscemodi intentione desistendum est, aut itineris onerosi usque ad Cartusiam fatigatio subeunda. Nam citra Prioris mei jussionem, hujus oneris tantam sarcinam humeris meis nullus imponet. Vestræ igitur petitionis hujus arbiter ille inter nos medius est. »

CAPITULUM IV.

QUOD LEGATI CARTUSIAM DESTINATI SUNT, UT PETERENT CONCEDI HUGONEM ECCLESIÆ QUÆ VOCAVERAT EUM; ET QUIBUS INTERIM EXERCITIIS VACAVERIT IPSE.

Hoc illius accepto responso, cum verbum illius cernerent penitus non posse mutari, redeunt illi tam de infecto negotio pro quo venerant mœsti, quam de futuri Pastoris sui virtutibus insignique constantia (unde jam non exigua ceperant documenta) hilares effecti. Verum, ne multis immoremur, honorabiles sub festinatione diriguntur ad Cartusiam Legati. Quo pervenientes, petitionem Lincolniensis ecclesiæ, Regias preces, monitionem Archipræsulis, scriptis verbisque allegant. Qui etiam, ut dignum fuit, honorifice suscepti, nec gravate [al. gratifice] exauditi, reditum accelerant, mandatum Prioris et Fratrum ad Hugonem reportantes, quatenus Canonicam de cætero Domino Cantuariensi exhibiturus obedientiam, in eo quoque ad præsens simpliciter obediat ei; ut, hæsitatione omni seu dilatione postposita, suscipiat humiliter quod ei constat divinitus imponi jugum Domini.

Dum vero hæc agerentur, Hugo minime indulgebat otiis; sed omni instantia, die noctuque, compunctioni cordis ac puritati intendens assiduæ orationis, præparabat non cultum pretiosarum vestium ad jactantiam, seu vasorum splendorem ad inanem gloriam, sed animam suam ad tentationem. Imminentem enim non aliter expectabat status sui mutationem, quam nubibus conglobatis suspectam nauta tempestatem, aut in longum feriatus miles olim formidatam agminum hostilium congressionem. Cum familiari vero provisore et nutritore suo Deo, de sumptibus solicite tractabat necessariis ad diem festum quo erat ungendus oleo lætitiæ: de sumptibus, inquam, non quibus ventres reficeret destruendos escis æque destruendis, sed quibus ingentem sensuum internorum et affectionum multitudinem virtutibus roboraret non defecturis. Nihil sane ducebat miserabilius, quam in die tantæ solemnitatis exterius quidem madescere sacramentalis olei pinguedine, interius vero tabescere squalore arentis conscientiæ. Quam ille hujus miseriæ immanitatem præcavere satagens, ita se agebat in comparandis præparandisque copiis in hoc ipsum necessariis, ac si nihil esset, quidquid ab ineunte ætate studii et laboris circa id negotii expendisset.

Versabantur præterea indesinenter ei ante mentis oculos, non imminentia divitiarum aut deliciarum plerisque optata lenocinia, non dignitatis aut potestatis excellentia, non demum obsequentium sedulitas officiosa: sed amara vitæ contemplativæ dispendia, quietæ et serenæ meditationis orationisque detrimenta. Nemo (ut plerumque ipse nobis secretius non sine gemitu fatebatur) quotidianam cordis ejus exponere sufficeret agoniam, qua medullitus angebatur, cum mox perdenda imaginabatur fructuosa

cellulæ suæ otia, pro quibus succederent dispendiosa palatiorum negotia. Metuebat quoque ne inter hæc, cedente psalmodia litibus, lectione sacra superfluis rumoribus, cederet pariter vel intima contemplatio tetris phantasmatibus, vel interna puritas externis vanitatibus.

Denique cum rediisse jam nuncios accepisset (quos certe tunc primum maluisset illud iter arripere), non cessabat Fratres in sacro proposito paternis exhortationibus corroborare, suumque timorem eorum suffragiis attentius commendare. Viderint jam, qui Episcopatum tantopere desiderant, qui ad prælationum culmina tot deviis callium anfractibus aspirant, quonam virtutum genere, quibus morum divitiis, quibus stipendiis meritorum, Virum istum antecedant. Iste et se ipsum a vulneribus indemnem conservare, et aliena vulnera curare tam perfecte edoctus, pabulo quoque doctrinæ salutaris copiosius refectus, intimo cordis affectu evidentissimoque operis effectu loquebatur : *Non sum medicus, et in domo mea non est panis; nolite constituere me Principem populi.*

Verum quo altius in omnibus attendebat proprium Vir beatus defectum, eo cumulatius Divinæ plenitudinis percipere meruit supplementum, illud Doctoris gentium ex sententia decantans, *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quia vero non a se sed a Deo sibi hanc sufficientiam esse sciebat, noluit de alieno commendato aut etiam dato insolescere, neque in magnis aut mirabilibus super se ambulare; sed se se attendens, in se vero dona Dei quæ percipiebat supra se, ultimum tota mentis affectione in ecclesiasticis studebat nuptiis locum tenere. Is autem, qui eum segregavit ex utero matris suæ et vocavit per gratiam suam, ut per eum glorificaret nomen suum in multis gentibus, invitatione amicabili cogebat eum superius ascendere, quo de sufficientia cœlitus sibi collata conservis suis daret cibum in tempore.

CAPITULUM V.

DE PROFECTIONE IPSIUS AD LOCUM CONSECRATIONIS; ET DE REGALI MUNIFICENTIA EI IN SUA CONSECRATIONE PRÆROGATA.

Trium itaque mensium elapso tempore a die electionis suæ primæ, Legatis supradictis regressis a Cartusia, vocatione jam tertia compellitur exire de domo sua, qui dudum egressus fuerat de terra et de cognatione sua. Egreditur ergo ad Pontificalis percipiendam consecrationis benedictionem, inde perventurus ad montem quem ei Dominus erat ostensurus : montem utique egregium, non Libanum sed Lincolniensium, ipsum tamen etiam Lincolniensium et revera Libanum; Libanum, inquam, non provinciæ Phœnicis, sed mysticæ candidationis, quem super nivem candidare veniebat Vir indutus

candidis. Realiter enim niveus habitu, aspectu et vultu, mysterialiter vero virtutum effectu candidus et nitidissimus, Lincolniam dealbavit exemplis, monitis et meritis, et dealbavit etiam niveis virorum illustrium catervis. In hoc quoque monte, tanquam magnificus pacificusque Salomon, templum gloriosissimum ædificaturus; in hoc, sacrificium acceptissimum excelso Domino frequenter immolaturus, tanquam fidelis et obediens Abraham; in eo, tanquam manu fortis vultuque desiderabilis David, sepulchrum tandem famosissimum, cunctisque fideliter illud venerantibus saluberrimum, accepturus.

Pergens vero ad suscipiendum tantorum successuum culmina, humilitatis ima minime deserebat. Complens enim opere, quod semper volvebat in corde, viri consilium Sapientis, quanto major erat, quanto ad majora conscendebat, tanto se in omnibus humiliabat. Solitam animi gravitatem cum exterioris abjectione cultus retentans, insidebat equo non phaleris ornato, sed post sellam iis rebus onerato, quibus diurno uteretur tempore seu nocturno, pellium et sagorum involucro. Ita cum suis Clericis, equos ductantibus aureis decoratos sagmatibus, Electus Domini equitabat; illis varia certantibus arte suam ei sarcinulam auferre, et ferendam suis sagmariis imponere. Verum cum ab eo neque seriis, ut hoc permitteret, neque jocis extorqueri potuisset (cavebat namque ante gradus sublimioris ascensum Observationis pristinæ usum omittere quantulumcumque vel mutare), illi animo sæculari confundebantur rubore vehementi in humilitate spiritualis Viri. Cum vero Wintoniensium appropinquarent civitati, ubi et Regia ei familia et civium occursura erat frequentia, quidam ex ipsis Clericis, verecundiam non ferens cordis sui vani, amputatis clam loris quibus sellæ astringebatur sarcinula memorata, prædo efficitur improvisus, spolians nescientem onere quod ferebat.

Perveniens tandem Londonias, in festo die beati Matthæi Apostoli et Evangelistæ benedictione consecratus Pontificali, Ordini Apostolico ad evangelizandum pacem pauperibus sociatur dignissime. Rex autem congratulans voti sui circa illius promotionem se compotem effectum, gaudio gestiebat infinito. Contulit quoque ei, liberalitate munificentissima, vasa quædam aurea, multa quoque argentea, varia etiam in usus necessarios utensilia; adjiciens in sumptus celebrandæ solemnitatis universa copiose impendia.

CAPITULUM VI.

DE IPSIUS INCATHEDRATIONE APUD LINCOLNIAM; ET DE OLORE SEU CYGNO, QUASI IN PROGNOSTICALIS EVENTUS INDICIUM EI MIRABILITER DATO, SENEVENSIS [AL. MENEVENSIS] ARCHIDIACONI RELATIO.

Incathedratus autem in Ecclesia sua, Cantuariensi Archidiacono solemne ex more donativum postulanti, ita respon-

disse dignoscitur : « Quantum, inquit, pro mitra dedi, tantum, nec amplius, pro cathedra dabo. » Suggerente vero Procuratore domus suæ, quem ipsi Rex providerat, oportere ex damulis in saltu suo inclusis aliquantas capi ad solemne convivium instaurandum, nec fas esse plures quam jussisset ipse comprehendi : « Trecentæ, inquit, capiantur; nec (si videritis expedire) numero huic adjicere dubitetis. » Quod ab eo, juxta cordis ipsius magnificentiam simpliciter prolatum, Regi et Curialibus, quibus sermo innotuit, in jucundum versum est proverbium.

Celebrantibus ergo cunctis apud Lincolniam in summa cordis lætitia diem festum pro adventu cœlitus sibi destinati Rectoris (qui, prima nocte qua in Episcopatu suo dormiens quievit, post Matutinas et devotas orationes, in somnis audivit vocem dicentem sibi : *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo*), Christi quoque benignitas, haud longe a civitate ipsa, signo evidenti valdeque memorabili, ipsius visa est primitiis allusisse : quod a Menevensi archidiacono Girardo, inter alia quædam Viri Dei præconia litteris exaratum, ipsius verbis videtur exprimendum. Scribit supradictus de hoc in hæc verba :

« Ut autem ad Lincolniensem revertamur, illud de ipso, quod quasi in signum aliquod et prognosticalis eventus indicium absque dubio datum videtur, sub silentio quidem prætereundum non putavi. Eo namque die, vel circiter illum proximo, quo apud Lincolniam primo susceptus fuit Hugo Episcopus et incathedratus, apud manerium suum, quod quasi per octo milliaria ab urbe Lincolniensi distat, juxta Stowam, sylvis et stagnis delectabiliter obsitum, olor novus et nunquam antea ibi visus advolavit. Qui, infra paucos dies, cygnos quos ibidem plures reperit mole suæ magnitudinis omnes oppressit et interemit : uno tantum fœminei sexus ad societatis solatium, non fœcunditatis augmentum, reservato. Erat enim tanto fere cygno robustior, quanto cygnus ansere major; cygno tamen in omnibus, præcipue in colore et candore simillimus : præter quantitatem etiam in hoc distans, quod tumorem in rostro atque nigredinem more cygnorum non præferebat; quinimmo locum eumdem rostri planum, croceoque decenter colore, una cum capite et colli parte superiore, distinctum habebat.

« Avis autem hæc regia, et tam qualitate quam quantitate perspicua, in primo adventu Præsulis ad locum illum, quasi sponte et absque difficultate cicur et domestica facta, ad ipsum in cameram suam propter admirationem est adducta. Quæ statim a manu ejus panem sumens et comedens eique familiariter adhærens, omnem, ut videbatur, sylvestrem interim exuta naturam, nec ejus attactus nec astantium undique turbarum et intuentium accessus sive tumultus abhorrebat. Consueverat etiam

interdum, cum ab Episcopo pascebatur, caput cum colli longitudine tota in manicam ipsius largam et peramplam, inque sinum interiorem, avis extendere; ibique aliquamdiu, cum solicitudine quadam Domino suo congratulans atque præludens, tanquam aliquid quæritando mussitare.

« Item, sicut asserebant ministri ejus et custodes manerii, circa Præsulis adventum ad locum illum, cum de more aliquamdiu abfuisset, tribus diebus vel quatuor solebat se solito alacrius avis agitare, volitando scilicet in amnis superficie, et aquas alis verberando, altaque voce clamando. Interdum etiam a stagno exiens, nunc ad aulam, nunc ad portam etiam ulteriorem, tanquam advenienti Domino obviam pergens, magnis passibus deambulabat. Credibile satis est, quod imminente apparatu, et instante servorum frequentia majore atque discursu, cum subtilis sint et aereæ naturæ volucres, a quarum etiam gestibus prognostica temporum multa noscuntur, etiam ista ex eadem natura forsitan avis hæc perpendere potuit. Mirum hoc etiam, scilicet quod nemini præterquam Episcopo soli se familiarem, vel ex toto tractabilem exhibebat. Quin potius, astans Domino, ab aliorum eumdem accessu, sicut aliquoties cum admiratione conspeximus, clamando, alis et rostris minitando, voceque altisona juxta naturæ suæ modulos crocitando, defendere solebat : tanquam se propriam ejus esse demonstrans, eique soli in signum se fuisse transmissam manifeste declarans.

« Non enim mysterio carere potuit, quod avis candida, imminens mortis periculum cantu nuncians, viro innocenti, pio ac puro, mortisque minas (quia Sancti mortem habent in desiderio, et vitam in patientia) nil formidanti, Divino tanquam oraculo destinata transmissa est. Quemadmodum enim avis ista, candore spectabilis, mortis discrimina docet non dolenda, et imminente mortis articulo, tanquam de necessitate virtutem faciens, funebria fata canendo contemnit : sic viri virtutum meritis candidati, ab ærumnis hujus sæculi læti discedunt, solumque Deum fortem vivum sitientes, a corpore mortis hujus liberari dissolvique cupiunt et esse cum Christo. »

CAPITULUM VII.

DE IPSA AVE PLENIOR NARRATIO MIRABILIS.

Hæc sane præfatus vir, in hac adhuc luce posito Viro Dei, veraci de his stylo exaravit. Et eo quidem tempore satis innotuerat, isto Hugonem spiritu duci, istis affectibus agi, ut cui esset mors in desiderio et vita in patientia, præ amore æternæ vitæ. Hoc tota ipsius vita quadam operum lingua fatebatur. Hoc tandem, jam imminente lethali articulo, etiam corporis lingua solito ipse manifestius, quasi cygneo quodam modulamine, testabatur. Hoc etiam subjecta ejus gestorum series, ab ipso exordio

usque ad terminum executionis creditæ sibi ecclesiasticæ solicitudinis, si recte perpendatur, continua invenitur assertione clamare [al. præconari]. Verum antequam ulterius progrediatur oratio, operæ pretium videtur de præmissa plenius ave quædam referre; ex quibus liqueat evidentius, non solum in solatium vitæ præsentis, seu in testimonium intimæ puritatis, sed etiam divinitus eam ipsi fuisse transmissam, in præsagium quoddam tandem imminentis ejus lethi temporalis.

Experti quidem novimus hominum prorsus neminem, sed neque canem vel aliud quodlibet animal, sub ipsius avis præsentia, Episcopo evigilanti sive dormienti, absque vehementi et intolerabili [al. inexorabili] ejus impugnatione, propius assistere vel juxta eum accedere potuisse. Erat nobis sæpius, quiescente Episcopo, illius non parum molesta infestatio. Cum enim rei cujuscumque ratio secus lectum dormientis transitum suaderet, illius excubias nullus poterat eludere, quin mox insurgens pugnaci insultu obsisteret transeunti. Quæ, si viribus opprimi se forte timeret, vocibus immensi clamoris protinus indulgebat. Ita, cum tumultum fieri pausanti reverentia prohiberet, utilitas omittebatur destinati itineris. Nec obsequiis, ut ita loquar, nec blanditiis cujuscumque aliquatenus flectebatur, quin zelo unius hominis cæteros hoc modo universaliter insequeretur.

Quandoque, absente Episcopo, ad ripam stagni cui innatabat accedere, ibique, ministrante loci ipsius ædit/o, annonam percipere solebat. Ad eum itaque, fame aliquoties stimulante, familiarius ultroque cibanda accedebat; cibata vero et satiata confestim abscedebat. Res mira! quem plerumque anno integro, vel etiam prolixiori tempore, quasi bene cognitum sæpius adierat, ad Domini tandem præsentis accessum, servientem alumnumque suum non minus [al. non mitius] cæteris, quos antea nunquam viderat, propellebat. Si quando Episcopus, per biennium ferme, suum (ut interdum contingebat) ad locum illum distulisset accessum, Domino tandem adventanti cum tanta congratulatione occurrebat, ut ex dilato ejus aspectu non illius oblitam, sed ipsius potius desiderio fatigatam se fuisse, miris gestibus quibusdam et sonoris vocibus indicaret.

Asserebant non tantum custodes loci illius, sed et vicini quidam, quia frequenter, nemine in partibus illis suspicante Episcopi adventum, ex avis hujus plausu gestuque insolito illum citius affuturum præsciverunt. Cujus jam rhedas et præambulos dum foribus cerneret imminere, mox gurgite derelicto quem incolebat, aulæ penetralia citato gressu subintrabat. Cum vero introgressa spectantium turmis cingeretur, notata demum voce introeuntis Patroni, mox et ipsa in clamorem altissimæ vocis insurgebat; occurrensque et quasi salutans venientem, usque in solarium

cameræ ulterioris prosequebatur, per claustrum quod interjacet, per gradus etiam sublimes progredientem : alarum plausu ac modulatione vocis gaudium insinuans quo nimium gestiebat. Perveniens autem cum eo ad locum sessioni ejus paratum, inde nusquam nisi violenter ejecta recedebat. Pascebatur a manu ipsius pane copioso, in digiti unius longitudinem grossitudinemque inciso.

Annis igitur ter quinis plus minus, hanc uniformiter consuetudinem retentabat. Cum vero ad locum ipsum, circa Pascha proximum ante suum ex hac luce transitum, adventu scilicet postremo Episcopus accessisset, non solum ei solitum non exhibuit occursum, sed neque ad eum minari, aut a vivario cui innatabat educi acquievit. In ipsis autem aquis velut mœstum gerens aut morbidum aspectum, nihil quolibet gestu alacritatis præferebat. Mirantibus ad hoc omnibus qui aderant, tandem præcipiente Episcopo ut educeretur [al. introduceretur] vel invita, triduo a pluri mis frustra insudatur. Capitur vero ad postremum in carecto remotiori, ubi fugiens insequentes latitabat. Producta vero ad Episcopum, capite pendulo ac velut ægris per omnia gestibus, mœstam prætendebat imaginem. Cujus rei novitas tunc quidem stupori fuit intuentibus. Verum a loco ipso celerius abscedente Episcopo, et post sexti mensis a tempore illo excursum viam universæ carnis ingresso, nec ab amica sibi volucre ulterius viso, satis rei eventum considerantibus patuit quid gestus hic lugubris prætenderit, quo adeo mœsta illud vale ultimum Domino suo fecit. Permansit autem ibidem postea multis temporibus.

CAPITULUM VIII.

DE SOLICITA EJUS DILIGENTIA SUPER VIRORUM PROBORUM ACQUISITIONE, QUIBUS SUAM ORNARET ECCLESIAM ; ET DE MAGISTRO ROBERTO BEDEFORDENSI, ET ROGERO ROLNESTONENSI, QUOS EI ARCHIEPISCOPUS DELEGAVIT.

His in hunc modum prælibatis de signo quod universi mirantur, Viro Dei exhibito per avem famosissimam, ad alia quoque meritorum insignia, Fidelibus vel ex parte, prout possumus, intimanda, opitulante gratia Domini nostri Jesu Christi accedamus. Ac in primis quantum studii, quantumque impenderit solicitudinis, ut Ecclesiam sibi commissam viris adornaret illustribus, videtur commemoratione dignissimum. Perpendens itaque altiusque considerans, quia absque virorum proborum adjutorio nec populo nec Clero quem regebat convenienter prodesse, nec cuilibet justitiam ecclesiasticæ jurisdictionis expetenti sufficiebat competenter adesse; viros sapientia et scientia præditos, et, quod magis est, in timore Dei probatissimos, suo instantius satagebat lateri sociare. Horum siquidem et consiliis fretus et comitatus auxiliis, munus suscepti regiminis strenuissime adimplebat. His denique Lincolniensem ec-

clesiam cunctis per orbem universum Ecclesiis gloriosius copiosiusque illustrabat. His enim (cum vacare cœpissent) Præbendas seu alia Beneficia conferebat : hos variis dignitatibus, singulis quoque ecclesiasticis functionibus præficiebat. Hujusmodi homines, non solum in toto orbe Anglicano, immo et in extraneis nationibus scholisque transmarinis omni studio investigatos, Ecclesiæ suæ gremio inserebat.

Ad venerabilem vero Metropolitanum suum superius nominatum accedens, his verbis eum alloquitur : « Novit, inquit, venerande Pater, discretio vestra, quantum expediat non solum animæ meæ, non solum commissæ indigno mihi Ecclesiæ, quin potius præcipue vobis, deinde universæ pariter Religioni sanctæ, quatenus in officio mihi credito non prorsus me inutilem studeam exhibere. Gratias ago bonorum omnium authori Deo, quia in hoc ipsum ex munere suo velle quidem adjacet mihi ; cæterum implere quod velle merui, quam non sciam, quam non sufficiam ipse melius nostis. Nec solum quidem ad hoc mihi et scire et posse minus suppetit, verum etiam a quibus suppleri congruentius possit meus in hac parte defectus, non satis agnovi. Advena quippe homo sum ; indigenas terræ hujus quo minus novi, eo imperfectius quibus meritorum suffragiis, quibus studiorum præpolleant experimentis, compertum habeo. Vobis uberiorem istius rei notitiam multiplex comparavit experientia. Vos inter eos nutriti, vos eis tempore longo prælati, eos, ut vulgo dicitur, intus et in cute novistis. Non ergo tam meo quam vestro potius discrimini prospicientes, qui tam inscium promovere non timuistis ad opus hoc arduum, tales mihi ex his, qui vestro diutius lateri adhærendo probabiles se in omnibus, vestro adprime informati exemplo, demonstrarunt, donate adjutores, quos in partem solicitudinis initæ [al. injunctæ] securus valeam adnectere, qui mecum onus curæ pastoralis laudabiliter valeant supportare. »

His Archiepiscopus auditis non modice gratulatur. Ex una quippe Viri sancti petitione, multa in eo signa animi boni evidentius prospiciebat. Videbat primo quantæ illud humilitatis esset, quod Vir tantus de se tam humiliter sentiret, ut solus ipse eo se honore censeret indignum, quo Divino simul et humano probaretur judicio esse dignissimum. Mirabatur, contra usum humanæ infelicitatis, hominem ex humili ad summa repente provectum, plus humilitate quam dignitate, plus mansuetudine quam dominatione crevisse. Videbat quantum zelaret subditorum salutem, ad cujus procurationem tantopere expetebat bonorum opitulationem. Intuebatur quantæ sibi puritatis conscius, quanta benevolentia in Primatem suum plenus, quanta et prudentia per cuncta esset præditus, qui eos sibi domesticos et collaterales primosque fieri sibi optasset consiliarios, quos

iisdem locis suus habuisset Metropolitanus.

Duos igitur ex his qui sibi adhæserant ei delegavit, Magistrum scilicet Robertum Bedefordensem et Rogerum Rolnestonensem, quorum uterque in toto Clero Angliæ distinctis gratiarum prærogativis insignissime visus est enituisse.

Equidem de priore, scilicet Roberto, omnium una erat sententia, quod in numero Clericorum nullus eum zelo justitiæ aut ingenii vivacis acumine videbatur anteire. Certabat in ejus pectore cum puritate conscientiæ inundantis torrens doctrinæ,ut in gemino bono hoc æmulari potius crederetur diligentem [al. discipulum] quem diligebat Jesus, quam magistrorum quempiam temporis istius. Cujus revera diutius vita mundus iste immundus frui indignus fuit. Unde ab ejus cœno citius præripitur; et tanquam lilium fragrantissimum, cum illibato virginei floris candore, morte beatus immatura in cœlestis amœnitatem Paradisi feliciter transplantatur.

Posterioris, videlicet Rogeri, eo interim parcius laudes præsens loquitur stylus, quo eas immensius et Clerus attollit et populus. Est enim adhuc, (et extet utinam in ævum longissimum!) ecclesiæ Lincolniensis Decanus, vir incomparandæ moderationis, liberalitatis et prudentiæ singularis. Eleemosynarum saltem illius et devotionis præconium Lectori eximius intimaremus [al. minime furaremur], nisi Scripturæ præcipienti contraire timeremus: *Ne laudes,* inquit, *hominem in vita sua.*

CAPITULUM IX.

QUOD HUGO, ADHUC NOVUS PONTIFEX, NULLI CONTRA JUSTITIAM DETULERIT POTESTATI; ET QUOD SUMMUM REGIS FORESTARIUM EXCOMMUNICAVERIT; PRIMAMQUE POST EPISCOPATUM REGIS PETITIONEM SUPER COLLATIONE CUJUSDAM PRÆBENDÆ MINIME EXAUDIERIT.

His et aliis lateri suo viris eximiis solicite adhærentibus, Pontifex novus totius subito terræ faciem sibi subditæ visus est innovasse. Loquebatur cum fiducia verbum Dei, operabatur cum instantia quæ legis Dei erant, dictum illud B. Jacobi adimplens, *Sic loquimini, et sic facite, quasi per legem libertatis incipientes judicari.* Quia vero, juxta Scripturam alterius loci, *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas,* peccantes libere increpabat, nullis contra justitiam potestatibus deferebat. Unde contigit ut in ipsis promotionis suæ auspiciis, dum in sublimes quasdam regni potestates ecclesiasticam districtius exequeretur coercionem, ipsum quoque non mediocriter visus est offendisse Regem.

Est enim inter alias abusionum pestes, prima in regno Anglorum, tyrannis Forestariorum, pestis videlicet provinciales depopulans. Huic violentia pro lege est, rapina in laude, æquitas execrabilis, innocentia reatus. Hujus immanitatem mali nulla conditio, nullus gradus, nec quisquam, ut breviter totum exprimamus, Rege inferior, evasit

indemnis, quem illius injuriosa jurisdictio non sæpe tentasset elidere. Hac cum pernicie primus Hugonis congressus fuit; hæc illi prima et prælii causa, et materia fuit triumphi. Hæc eum ancipitem gladium Spiritus exerere primitus coegit. Cum enim more solito, ut in cæteros, ita et in suos homines, contra Ecclesiæ suæ libertatem, Forestarii debacchari cœpissent, eo usque res tandem processit, ut summum Regis Forestarium nomine Gaufridum excommunicationis vinculo innodaret. Quo Rex comperto vehementer exarsit in iram.

Contigit interea unam ex Præbendis ecclesiæ Lincolniensis, decessu Canonici qui eam possederat vacantem, novum expectare dispensatorem. Hoc aulici audito, Regem concito exorant, quatenus uni eorum ipsam ab Episcopo conferri litteratorie deprecetur. Arbitrabantur se obsequium etiam in hoc præstare Viro, cui dedissent occasionem motam adversus se indignationem Regiam utcumque mitigandi. Nec cunctatur Rex petitioni eorum favere: quippe qui et in hac parte Pontificis animum libenter cupiebat propositumque explorare. Consistebat eo tempore Rex quidem apud Wodestoram, Episcopus apud Dorcestriam, quæ ab invicem mansiones tredecim creduntur millibus disparari. Lectis vero ab Episcopo petitoriis sibi destinatis, « Non, inquit, aulicis, sed ecclesiasticis ecclesiastica oportet conferri Beneficia: quorum possessiones [al. possessores] non palatio, aut fisco, sive scaccario, sed ut docet Scriptura, altario convenit deservire. Habet Dominus Rex unde exhibeat obsequentibus sibi et negotiis suis; habet unde compenset in temporalibus, pro temporalibus, sibi militantium laborem. Bonum est ei, ut summo Regi militaturos deputatis eorum necessitatibus permittat gaudere proventibus, nec debitis eos privari stipendiis acquiescat. » Hæc dicens, Regios a se nuncios inanes et vacuos remittere non expavit.

CAPITULUM X.

QUALITER HUGO A REGE ACCERSITUS SIBI IRATO, EJUS NON MODO SIMULTATEM PARVIPENDERIT, SED ETIAM IPSUM COMITER DERISERIT; ET DE BENEVOLENTIA PRÆDICTI FORESTARII POST ABSOLUTIONEM ERGA EPISCOPUM HABITA.

Talibus vero in Curia vulgatis de Lincolniensi adhuc novo et quasi recenter initiato Episcopo, non defuerunt qui Regem (ut jam videbatur satis commotus adversus eum) in vehementiorem niterentur furorem sermonibus incitare venenatis. « Jam, inquiunt, Domine, in manifesto est, quam ingratus sit homo iste beneficiis vestris; jam patet cui operam locaveritis et impensam, dum ejus tantopere promotioni invigilastis. Utinam tantummodo gratiam non referre contentus sit homo animi inhumani, non autem etiam injuriam rependere insistat pro tanto honore! Cæterum quid pro vobis speremus eum subsequenti tempore esse facturum, aut vestris quantum delaturum confidamus, quem jam

cernimus, post tot adhucque recentia beneficia, in tantilla re vestram adeo irreverenter Excellentiam contempsisse, quem etiam Proceres intimosque Ballivos vestros tam protervis dolemus sententiis confudisse? »

Ad hæc Princeps ille, quamvis plurimum conturbaretur, modestiæ tamen cancellos non excedens, misit protinus, et Episcopum ad se accersivit. Quem foribus jam imminere prænoscens, cum universa Nobilium qui tunc ibi aderant frequentia, in saltum contiguum ascensis equis secedit. Ubi in loco residens amœno, Consulibus cæterisque Magnatibus in modum coronæ consedentibus præcepit, ut nullus accedenti Episcopo assurgeret, nullus advenientem salutaret. Nec mora : adest ille, assistit, salutat Regem et consedentes; sed nullus eum resalutat. Quos ut vidit ita incurios sui tacitosque sedere, accedit propius ; manuque leviter scapulis imposita magni cujusdam Consulis, qui proximus assederat lateri Regis, locum sibi juxta Regem ipse facit. Obstinato quoque silentio cunctis diutius insistentibus, ut liceret præsentibus illud Virgilianum reminisci,

Consedere duces, intentique ora tenebant,

Rex tandem, erigens vultum demissum, dari sibi a quodam assistentium acum præcepit cum filo. Quo facto, suere cœpit manu propria læsum panniculoque involutum lævæ suæ digitum. Agebat autem hoc, ne nil ageret aliquamdiu, nihil interim loquens. Ita vero se gerebat, ut solent nimium irati, cum eis animi rancor vocis absorbet officium, meatu spirituum intercluso.

Hæc Episcopus intuens, et sui causa omnem simultatis hujus pompam exhiberi cognoscens, apud se, velut a sublimiori quadam intimæ rationis specula, cogitationum carnalium molimina longe despexit. Ac demum conversus ad Regem, his verbis paucissimis totam cordis ejus erectionem tumidam elisit, ipsumque vim verborum non ferentem corpore etiam resupino solo tenus dejecit. Verba ipsa exprimemus, nil eis demendo, nil adjiciendo. Ait ergo : « Quam similis es modo cognatis tuis de Falesia! » Hoc quasi telo, blando quidem et levi, sed mirum in modum penetrabili et præacuto, Rex præcordialiter trajectus conserit digitos, solvitur in cachinnum, ore supino in terram deponens cervicem : sub tali diutius schemate risibus fræna laxabat. Ex consedentibus qui verbum intellexerant, miro tenebantur stupore : mirabantur enim supra modum sub tali articulo tale improperium tali Principi ab homine tali intortum. Subridere tamen et ipsi, se cohibere non valentes, cœperunt ; animisque attonitis expectantes quidnam ad audita Rex tandem esset responsurus. Plures, sensum nescientes prolati sermonis, amplius stupebant ob repentinam gestus Regii permutationem.

Quorum demum ignorantiam Rex

ipse intelligens, propriæ, ut eos instruat, efficitur interpres injuriæ. Præventus namque tam urbanæ invectionis novitate, medullitus commovebatur; hominisque confidentiam et ipse admirans, sic exorsus est loqui: « Num, inquit, intelligitis cujusmodi nobis contumeliam barbarus iste intulerit? Ego vobis dictum ipsius explanabo. Constat genitricem proavi nostri Wilhelmi, triumphatoris hujus terræ, de stirpe mediocri traxisse originem, ac de oppido famoso Normannorum, quod Falesia nuncupatur, fuisse oriundam. Municipium hoc arte pellificum [al. pelliparia] celebrius excolitur. Quia vero me suere digitum meum iste derisor conspexit, idcirco Falesiensibus similem, et eorum me cognatum esse improperavit. »

« Attamen age, inquit ad Episcopum, Vir bone, quidnam tibi visum fuit, ut nobis inconsultis principalem Forestarium nostrum anathemati subjiceres, nostram insuper petitiunculam ita floccipenderes, ut neque per te ipsum ad nos venires hujus repulsæ expositurus rationem, neque verbum per nostros nuncios placabile remandares? » Talia expostulanti mox ita respondit Episcopus: « Novi, inquit, vos ut Episcopus efficerer studiosius insudasse. Ut igitur vestram a discrimine animam expedirem, quo illam periclitari contingeret, si quod mei noscitur esse officii circa Ecclesiæ mihi commissæ utilitatem exequi non curarem, necesse fuit ut oppressorem ipsius Ecclesiæ per censuram ecclesiasticam coercerem, et indebite Præbendam sibi in eadem Ecclesia cupientem [extorquere] nullatenus exaudirem. Excellentiæ autem vestræ præsentiam pro utrolibet adire negotio, non modo superfluum esse, immo et ineptum esse sentiebam; cum vestræ discretioni pronum sit id quod recte geritur prudenter advertere, et voluntati nihilominus vestræ sedeat quod rectum esse cognoscitis favorabiliter approbare. »

Hujusmodi rationibus Rex quod contradici posset non inveniens, postposito temere concepto simultatis nubilo, amplectitur jam ore sereno Pontificem; ejusque orationibus se se commendans obnixius, illius per omnia reliquit dispensationi, qualiter hominem sententia innodatum absolutionis beneficio denodaret. Quem valde contritum animo et humiliatum, præstito juxta formam Ecclesiæ sacramento [al. juramento], publice cum suis complicibus virgis cæsum absolvit; dataque benedictione, in omne reliquum vitæ suæ tempus, speciali quadam benevolentia familiarius eum sibi devotum sensit Episcopus, et suis negotiis provisorem.

Sic in Rege, sic in satellite, veridicam esse Scripturæ sententiam Vir justus experitur, qua dicitur: *Qui corripit hominem, gratiam postmodum inveniet apud eum, magis quam ille qui per linguæ blandimenta decipit.* A Præbendarum quoque violentis postulationibus, quibus velut importunis milvorum unguibus, universas passim infestabant

ecclesias et diripiebant eas, hac interim repulsa Curiales vehementer repressit, et eorum a se ingluviem [al. importunitatem] procul avertit. Ejus tamen venerationi et ipsi certatim inserviebant, adeo ut devotionis eorum et industriæ experientiam plurimum ipse sæpius commendaret : familiaribus suis asserens, quibusdam eorum se libentius Beneficia largiturum ampliora, si non Curiæ tenerentur nexibus irretiti.

CAPITULUM XI.

QUOD NON MODO CURIALES, SED ETIAM ALIARUM ECCLESIARUM CATHEDRALIUM PERSONAS, RARISSIME IN CLERUM SUUM ADSCISCEBAT ; ET QUALITER RESPONDERIT CUIDAM MAGISTRO AMBIENTI IN ECCLESIA LINCOLNIENSI PRÆBENDARI.

Nec tantum Curiales, immo et quarumlibet ecclesiarum Cathedralium Clericos, suæ Canonicos Ecclesiæ rarius efficiebat : residentiam præcipue in ecclesia Lincolniensi ab illis expetens, quibus illius Ecclesiæ canonica stipendia conferebat. Nimirum sicut qui altario serviunt, altario jure participant; ita minime deservientibus, altaris commoda dicebat incongrua ratione provenire : cum et Ecclesias debitis servientium excubiis ex eo fraudari contingeret, et speciem videretur habere rapinæ, cum militaturis stipendia militiæ spiritualis deputata non militaturi præsumerent occupare. Nam et illam quoque Apostoli sententiam in hac potissimum causa intelligi et teneri debere sentiebat, ut qui in sacrario nequaquam laborant, in eo etiam non manducent de iis quæ sacrario consecrantur. Si enim gloriatur Doctor gentium quod sine sumptu posuit Evangelium, « Quam ignominiosi, aiebat, reputandi sunt, qui sine evangelizandi studio, sine ministrandi obsequio, sumptus evangelizantibus aut ministrantibus assignatos usurpare præsumunt ! »

Meminimus autem quemdam, eo tempore summi fere nominis inter Theologos Canonicosque Parisienses, dixisse quadam vice Hugoni : « Gloriosam, Domine Episcope, præ cunctis totius orbis Ecclesiis vestram exhibuistis Ecclesiam, insignium multitudine Clericorum. Esset quoque mihi, nec enim id celandum vobis duxi, satis optabile, eorum numero quolibet vel perexili titulo sociari. » Cui statim Episcopus, « Et nos etiam, ait, eorum vos numero libenti animo jungeremus, si inter eos residere velletis, sique ad scientiam mores vobis æquis passibus responderent. » Præerat enim scholis Parisiensibus, Regens actu : celebrior tamen eo tempore scientia quam disciplina. Qui, responso tali accepto, erubuit se se nimis libere protulisse, quod minus sincere volvebat in pectore : expertus in se verissimum esse, quod de sincerissima libertate hujus Viri non semel in patria sua se meminit audivisse. Recedens autem ab eo, castigatioribus de cætero moribus vitam fertur instituisse.

Homines vero quieti spiritus et pudici arctius diligebat; nec alios suo gregi de

certa conscientia aliquatenus sociabat, quantalibet industriæ vel litteraturæ prærogativa eminerent. Noverat enim sapientiam quæ desursum est, primum quidem pudicam, deinde pacificam, ore Apostolico diffiniri. Itemque illud viri Sapientis memoriter recolebat, quia illaudabilis est scientia, quam vita maculat impudica. Nihil autem pacis bono in hac vita dicebat præferendum, nihil seditionis et turbationis peste amplius fugiendum. Ideoque vitandam omnimode societatem alio spiritu ad schismata anhelantium, et discordias inter fratres seminantium, admonebat.

CAPITULUM XII.

QUOD PRIMUM BALDUINO CANTUARIENSI ARCHIEPISCOPO, DEINDE ILLIUS SUCCESSORI HUBERTO, NISUS SIT DISSUADERE CONTENTIOSÆ CUJUSDAM CAPELLÆ CONSTRUCTIONEM ; ET QUID MALI EJUS INCHOATIONEM SEQUERETUR PRÆDIXIT ; ET DE UNITATIS CONSTANTI PERSEVERANTIA HUGONIS EPISCOPI CUM SUIS CANONICIS.

Piæ recordationis Balduinus, Cantuariensis archiepiscopus, quorumdam instinctu, ecclesiam seu capellam in honorem pretiosi protomartyris Stephani, et inclyti neomartyris Anglorum Thomæ, in territorio civitatis suæ construere festinabat. Cui cum monachi Cathedralis ecclesiæ vehementius obsisterent, opus in sui asserentes præjudicium attentari, Lincolniensis Hugo (quod rei probavit eventus) super eodem ab illo consultus negotio, certissimo prædixit oraculo : « Si inter vos, inquit, Domine Archiepiscope, et Capitulum vestrum, hujus operis causa, schisma quod non expedit contingat suboriri, et disciplinæ vigor in Conventu vestro emarcescet, et Ordinis censura imminuetur. Hinc quanta successura sint pericula animarum, nullius æstimatio sufficeret præmetiri. Vos præterea Regiæ vestram oportebit authoritatem substernere servituti. Curiæ insuper Romanæ, necnon et plurimorum in sublimitate consistentium, variamque habentium potestatem, subjacebitis fastui et timori. Ipsius quoque Summi Pontificis, hora omni et tempore, motus necesse erit animosque vereri. Ipse namque, tam consummato opere isto quam inchoato, demoliri præcipiet quidquid demum cognoverit præjudicialiter attentatum [al. actitatum]. »

Cum diceret Archiepiscopus S. Thomam hujus fabricæ in honorem S. Levitæ Stephani instituendæ gessisse propositum, satis eleganter ad hæc respondit Episcopus : « Sufficiat, inquiens, vos simili jam proposito Martyri adæquatum. Si meam volueritis audire imperitiam, ulterius eo minime procedetis. » Verum illo aliorum potius consiliis innitente, mentisque propositum in operis effectum perurgente, tandem expertus didicit quam verum sit quod Scriptura dicit : *Anima viri sancti enunciat aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.* Nam malorum quæ justus prædixerat, ne unum quidem præteriit inexpletum.

Structura vero illa jussu Domini Papæ funditus eliminata est et eversa : authore, cum ruboris et peccati multiplicis quæstu, operam perdente operisque impensam.

Idem quoque ejusdem successori Huberto in opus simile gestienti, et Vir fidelis prædixit, et verum finis induxit. Nam et ipse haud procul a Londoniis capellam, instar prioris quæ secus Cantuariam diruta fuit, fretus regia potestate erexit ; Clericos in ea præbendarios sub Decano, sæcularium more Canonicorum, aut per se ipsos aut per interpositas personas ministraturos instituit. A quibus jam circa locum pluribus constructis ædificiis, protracta in longum inter Patrem et filios, Archipræsulem et monachos, lite amara ; multis etiam personis electissimis, tam e monachis quam e Clericis, febribus in Romana urbe ob iter sub hoc intestino bello extinctis ; viri tandem magnanimi inconsulta molitio, eodem ipso demoliente, in pulverem redacta est. Fecit hoc quoque tam invitus quam confusus: Apostolica nimirum severitate compulsus. Ad postremum vero, jam Viro Dei Hugone per ultimam vitæ mortalis ægritudinem ad æternam præparatæ felicioris vitæ incolumitatem tendente, ipso simul arbitro et conjudicibus suis a Summo delegatis Pontifice, pax inter prædictos reformata est : mirum in modum in hoc exultante et divinæ Clementiæ gratias referente eodem veracissimo filio pacis. Gratulabatur namque impensius, quia, instar beatissimi Martini Turonensis archiepiscopi (cujus semper et amator devotus et strenuus imitator esse meruerat), hanc virtutum suarum bonam fecisset consummationem, qua pacem Ecclesiæ Dei redditam reliquisset.

Verum his per excessum quemdam necessario anticipatis, ea quæ cœpimus directæ narrationis serie prosequamur. Monebat indifferenter quoslibet et indesinenter Prælatos, unitatis et concordiæ vinculum cum suis inviolabiliter subjectis retinere, semetipsum illis in exemplum proponens. Aiebat namque : « Quia novi me cum filiis nostris bonum pacis et unitatis tenacius observare, non Regem, non quemlibet esse timendum mihi æstimo mortalem ; sed neque internam perdo securitatem, quæ sempiternæ imitatrix et imperatrix existit tranquillitatis. Nec vero (inquit) idcirco mihi a Dominis nostris (sic enim Canonicos suos nuncupabat) quies hæc defertur totius ignara dissidii, quia me lenem sentiunt et mansuetum. Sum enim revera pipere asperior atque mordacior : qui et eorum præsidens Capitulo, ex re frequenter levissima nimis inflammor ad iram. Illi vero scientes quia oportet eos qualem susceperunt me, talem et sustinere, faciunt de necessitate virtutem, deferentes mihi. Gratias illis habeo copiosas. Nunquam, ne vel in uno quidem sermone, restiterunt mihi, ex quo primum inter eos residere cœpi. Egredientibus autem universis,

finito Capitulo, nullus de nostra, ut arbitror, sibi æstimat dilectione diffidendum, nec ipse existimo me a quovis eorum non amari. »

Talis vero ac tantus ei dilectionis affectus ad singulos viritim Ecclesiæ suæ filios, ab exordio promotionis suæ usque ad extremum vitæ suæ perseveravit diem, ut Illius evidenter se probaret imitatorem esse, de quo Joannis Evangelistæ venerabilis profitetur assertio : *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Quorum etiam tuitioni se objiciens, si quando ex eis quempiam gravandum quocumque incursu agnovisset, non modo facto, immo et sermone dicere consueverat : *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.*

CAPITULUM XIII.

DE MODERAMINE FRUGALITATIS IPSIUS IN CIBO ET POTU ; DE MODESTIA ET HILARITATE EJUS INTER PRANDENDUM ; DE VIRIUM EJUS MAGNITUDINE IN OFFICII SUI EXECUTIONE ; DE CONDESCENSIONE EJUS IN ALIORUM INFIRMITATE ; ET QUOD MANUS IMPOSITIONEM NUNQUAM EQUO SEDENS CUILIBET IMPOSUERIT.

Quoniam de sancti Viri moribus plura in præcedentibus Libellis disserere curavimus, idcirco de his nunc parcius dicendum æstimamus. Quamvis autem ad vitandum Lectoris fastidium summopere brevitati studeamus, nequaquam tamen duximus reticendum, quod in victus parsimonia, post susceptum Pontificatus laborem, solito minorem visus est tenuisse districtionem. A carnis siquidem et sanguinis omnimoda perceptione et sanus et ægrotus abstinens, piscibus crebro vescebatur. Vini quoque usum non respuens, sed eo moderate utens, tam corporeæ fragilitati, juxta Apostoli consilium, prospiciebat, quam, juxta ejusdem exemplum, ut omnibus omnia fieret : convivantibus enim et convescentibus secum honestissima se dispensatione conformabat.

Erat quoque in mensa hilaris et jucundus, sed non sine gravitate et modestia : illud semper attendens et quandoque hortantibus se ad lætandum ore etiam proferens quod in libro Esther(?) legitur : « Læti simus secundum faciem Sanctorum. » Si quando histriones vel musici quavis occasione interessent solemnibus conviviis, ubi ipse sive ad propriam sive ad mensam residebat alienam, tunc quam maxime gravitati studebat : vix unquam a mensa oculos erigens, et ita se in omni gestu et sermone exhibens, ut manifestum esset intuentibus, quod tunc se ad interiora arctius constringeret, cum sensus exteriores hujusmodi lenocinia blandius mulcerent. Sacras inter vescendum lectiones tanta audiebat diligentia, ut præter nonnullorum Passiones Martyrum, præter gesta quorumdam Sanctorum, et celebriores de præcipuis solemnitatibus sermones Doctorum, totum fere ex integro vetus novumque Instrumentum vel Testamentum, exceptis quatuor Evangelistarum libris, quos aliis, sicut dicitur inferius, temporibus legi insti-

tuit, tum ad nocturnum coram se Officium, tum ad prandium faceret recitari.

Ut autem supra memoravimus, hoc ministerium jugiter uniformi institutione et ipse servabat, et quibuscumque rationabile Deo cupientibus obsequium præstare, observandum inculcabat : ut omni scilicet loco et tempore, quod rerum exigeret præsentium instantia, convenienter adimplerent. Ad quod etiam dignius exequendum, se ipsum habilem quantum potuit et idoneum studuit exhibere.

Sentiens autem, experientia docente, magni esse laboris opus Episcopalis officii, nec sine viribus etiam corporeis id decenter posse impleri, ita jumento corporis alimenta præbebat, ut necessariis usibus congrue subserviret. Quod eo securius, eoque sufficientius faciebat, quo minus ne contra suum recalcitraret sessorem, castigatione diutissima jam satis edomitum, metuendum erat. Nam et per continuum frigidioris dietæ usum, eo usque internas jam corporis vires attriverat, ut, fatiscente naturali calore crebras infrigiditati stomachi perferret molestias, iliacis insuper passionibus sæpius amarissime torqueretur.

Nihilominus tamen affuit ei et affluxit gratia singularis, robur illi accumulans fortissimis quibuscumque admirandum. Videre quasi miraculum erat, quemadmodum in dedicationibus ecclesiarum, in celebrationibus Ordinum, cæterorumque ecclesiasticorum officiorum, seu quibuslibet Pontificalis ministerii exercitiis, in quibus plurimum videtur laboris, omnium sibi adhærentium vires solus ipse excederet; quemadmodum non solum fessis, sed pene deficientibus cunctis, aliis ad resumendas vires secedentibus, aliis ad obsequendum ei succedentibus, ipse indefessus et alacer de opere ad opus, de labore percurreret ad laborem. Ad ista surgebat nonnunquam ante lucem, et usque ad profundas sequentis noctis tenebras jejunans, nec a labore cessans, diem medium transigebat. Plerumque, dum immodicus æstatis fervor immineret, quosdam ministrorum altaris cogebat panis et vini modicum prælibare; ne prægravati æstu, jejunio et labore, citra periculum, post toties repetitos circuitus in ecclesiarum dedicationibus, astare demum et suum explere officium, ipso Missarum solemnia celebrante, nequivissent. Cumque, prægustatis jussu suo panibus, horrori quibusdam et formidini esse sensisset, sacrum inter agenda vel calicem vel Dominicam contingere sindonem, arguebat eos quasi pusillæ fidei et discretionis infimæ [al. infirmæ], qui nec obedire jubenti sine hæsitatione didicissent, nec rationem perciperent circumspectæ jussionis.

Quotiescumque iter agenti occurrissent (uti assolet) qui per manus ejus impositionem confirmari expeterent, aut qui parvulos ei ad illud percipiendum Sacramentum offerrent, mox loco

opportuno ab equo descendens in pedes, quod sui erat officii solita devotione adimplebat, in quacumque diœcesi hoc accidisset. Nulla unquam fatigatione aut infirmitate, nulla itineris festinatione, nulla asperitate viæ aut aeris intemperie, ut equo insidens tantum exhiberet Sacramentum potuit induci.

Sicut non absque rubore, et quodam mentis dolore, postea vidimus Episcopum quemdam, ætate juvenem, viribus præstantem, in loco etiam temporeque satis amœno, nec festinandi ulla necessitate præventum, in equo sublimi sedentem [al. equo sublimem], Chrismate sacratissimo parvulos imbuisse. Ejulantibus vero parvulis, et inter equos pugnaces et recalcitrantes paventibus simul et periclitantibus, alapæ dabantur a Curialibus ministris, et insontes ab insolentibus cædebantur ; cum interim nihil horum dolorum et periculorum Episcopo curæ esset.

Non sic Hugo noster ; sed diverso satis modo se habere solebat. Nam et ætate jam gravis, cunctisque sæpius quæ itinerantibus occurrere solent constrictus incommodis, equo descendebat, parvulos et eorum bajulos ad se leniter et successive accersebat ; ministros suos laicos, videlicet si cuipiam aliquid forte intulissent molestiæ, terribiliter increpando, nonnunquam etiam colaphizando, severius coercebat. Hinc data benedictione optata circumstantibus ; infirmis quoque qui accessissent, oratione pro eis ad Dominum effusa, in spem adipiscendæ sospitatis cum exultatione respirantibus ; repletus et ipse benedictionibus cunctorum, cœptam repetebat viam. Quamplurimos autem, per hujusmodi ipsius orationem seu benedictionem, speratam consecutos fuisse incolumitatem, indubitanter sæpe agnovimus.

CAPITULUM XIV.

QUOD EX MULTA PURITATIS ET INNOCENTIÆ ABUNDANTIA PARVULIS, EXEMPLO SALVATORIS, LENEM SE ET ACCESSIBILEM PRÆBEBAT ; ET DE DUOBUS LACTENTIBUS QUI SUPRA NATURÆ FACULTATEM ADJOCARI EPISCOPO VISI SUNT ; ET DE DUOBUS ALIIS, QUORUM UNUS IN TORRENTEM CECIDIT, SED PERICULUM EVASIT.

Ex multa quidem puritatis et innocentiæ abundantia (ut erat simplicitatis et munditiæ præcipuus amator et custos) infantium Vir sanctus miro excolebat affectu non modo sinceritatem sed etiam ætatem. Æmulabatur namque in hoc totius Authorem munditiæ et innocentiæ, qui discipulis suis in Evangelio loquitur, dicens : *Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos; talium est enim regnum Cœlorum.* Talibus, ubi eos reperisset, spirituali quadam suavitate dulcius adjocabatur. Parvulus enim erat, et a talibus, vix adhuc balbutientibus, miri cujusdam leporis semiverbia eliciebat. Imprimebat subinde frontibus, vel quibuscumque sensibus eorum, vivificum sanctæ Crucis signum, fausta eis imprecans, eosque iterata

sæpius benedictione communiens. Illi quoque mira ei celeritate vicissim familiariter alludere gaudebant; quique omnium pene virorum aspectus vereri solebant, ei potius quam suo parenti desideranter adhærebant.

Vidimus parvulum quemdam, menses sex ab ortu habentem, cum ei frontem consignaret Chrismate sacro, tantis illi omnium artuum motibus applausisse, ut singulare illud Præcursoris Domini in utero exultantis gaudium æmulari credi posset. Laxabat vero ita risibus inexplebilibus oris labella exigui, ut putaretur incredibile sic posse in tali ætatula solis adhuc vagitibus assuetum ridere. Deinde brachiolis quasi ad supervolandum nunc contortis, * nunc directis certatim huc illuc [al.* nunc disjectis, cervicem huc illucque jactando], quasi importabilem sibi esse lætitiæ qua afficiebatur magnitudinem indicabat. Tunc manum ejus utrisque attrectans palmulis, et distringens pro modulo suo, ori applicabat; applicatam sic allambere potius quam osculari festinabat. Faciebat hoc diutissime : Pontifice infanti, et infante Pontifici inauditum de se invicem spectaculum delectabiliter exhibente.

Stupebant qui aderant de gemino istorum spectaculo ; quodque forinsecus erat in oculis mirabile, ad quoddam sublimius mentis spectaculum ducebant intrinsecus. Videbant et considerabant illud de Evangelio exhiberi tam in puero quam in Episcopo : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Quid enim videret unde tantum gauderet infantulus in Episcopo, nisi Dominum qui erat in ipso ? Quid vero attenderet Episcopus in infantulo, unde tantopere intenderet tantus tantillo, nisi sciret magnum quid esse quod latebat in tam pusillo ? Miranda sunt hæc et vehementer stupenda : præsertim his qui spectaculum quale illud tunc aspexerunt, tale adhuc animo altius impressum gerunt. Oblata sunt quidem puero ab Episcopo poma, quæ talibus solent esse grata, et pleraque alia; quæ singula, ac si tædio sibi forent, repellebat. Quæ repellendo cum quasi vicisset, totus in Episcopum inhiabat. Ipsius quoque nutricis, quæ eum gestabat, cum quodam fastidio manus sibi admotas respuens, oculis in Episcopum intendebat, manibus illi applaudebat, ore indesinenter arridebat.

Asportato demum eo, cum mirarentur præsentes super tali prodigio, asserentes nunquam tale visum fuisse tripudium tam immensum in tam angusto corpusculo, Episcopus alias semel tale quid se vidisse narravit : « Nam dudum, inquit, cum Prioratum gererem Withamiæ, contigit me tempore Capituli generalis adire Cartusiam. Occasione autem itineris præteriens castrum de Avalon (cujus frater noster Wilhelmus arcem noscitur obtinere), declinavi in domum ejus. Ibi nobis præsentabatur puerulus, necdum fandi potens, filius ejusdem fratris nostri. Hic similibus per omnia plausibus nobis applaudebat et

motibus; ita ut dimissus a nutrice, et super lectum nostrum appositus, inter gaudia quæ ducebat etiam cachinnari super vires naturæ quodammodo cerneretur. » Et hæc quidem Episcopus.

Cæterum videtur recte considerantibus pie credendum, in his parvulorum exhibitis supra rationis ordinem plausibus et gaudiis, non modo præsentem Viri sancti admirandam gratiam, et eorum piam innocentiam, mirabili Divinitatis nutu fuisse commendatam, sed etiam futuram eorumdem innocentium alicujus meriti prærogativam esse demonstratam. Quod de uno quidem illorum jam præsentia nobisque certius agnita virtutum illius studia hodie testantur. De secundo etsi postmodum nihil innotuerit nobis, bona tamen et tantis auspiciis non deteriora speramus, favente,qua per tantum Pontificem illustrari plenius et confirmari meruit, gratia Spiritus Sancti. Oblatus autem ei fuit infantulus,quem ei adjocari conspeximus, in aula quæ habetur in castello insigni de Nivernis [al. Newerch], jurisdictionis ecclesiæ Lincolniensis, sed diœcesis Eboracensis; oriundusque fuit a vicino vico, ultra flumen quod Therenta [al.Trenta] nuncupatur, de genere plebeio.

Et quidem paulo latius hæc prosecuti sumus, non solum quia Lectori non penitus ingrata ea fore credebamus, sed etiam ut qualem se ad omnem Vir piissimus exhibuerit ætatem hominum summatim doceremus : quatenus, sicut per ætatum momenta, ab ipsis pene cunabulis usque ad annos jam canescentis ætatis, adjuvante Domino, ipsius gradatim provectus, moresque vel actus, explicare curavimus, ita consequenter etiam uti quemadmodum singulas ipse in aliis tractaverit ætates seriatim panderemus. Sciendum igitur quia ipsos, qui adhuc parvuli ab eo indulgentius tractari solebant, mox ut intelligentiæ annos cœpissent attingere, a sua (ne forte insolescerent) arcebat ulteriori illa familiaritate. Ex ipsis vero quosdam litteris imbuendos tradens, ecclesiastica postmodum bene proficientibus contulit subsidia.

Verum de his licet adhuc plurima, quæ non inutiliter scriberentur, suppetant; tum ad vitandum Lectoris tædium, hæc de his dixisse sufficiat, tum quoque ut prolixitatis fastidium declinemus. De duobus vero aliis, Cadomensi scilicet Benedicto et Noviomensi Roberto, plura referre supersedemus : quorum uterque in puerili quondam ætate, omnium pene non tantum puerorum, immo et virorum, stupor fuit. Quorum posterior, tempore etiam posteriori, apud Sylvanectum a Cantuariensi archiepiscopo Huberto ære comparatus exiguo, in Angliam cum ipso perlatus a Galliis est, ut Lincolniensi Episcopo singulari dicendi facetia delicias exhiberet. Cui mox ut apud Lameheyam [Lambeth], de navicula descendenti ad salutandum Archipræsulem, puer Clericis Cantuariensibus comitatus occurrit, tanquam pro-

prium reperisset genitorem, neglecto Archiepiscopo, lætissimus adhæsit. Annorum autem quinque videbatur esse, aut paulo majoris ætatis. Hunc, post aliquanti temporis spatium, apud Alnestoam [Elstow] beatus Hugo litteris commendavit informandum.

Benedictum, si memoria non fallit, apud Cadomum prius ipse invenit, secumque diutius, quousque scilicet secundam attigisset ætatem, retentum, scholisque demum tempore congruo deputatum, Beneficio etiam perpetui redditus temporis processu donavit. Hunc ipsum Benedictum, in torrentem quemdam rapidissimum casu ab equo domini Rogeri (tunc Leicestrensis archidiaconi, nunc autem Lincolniensis decani), cum quo simul equitabat, delapsum, non minori miraculo Dominus liberavit per merita beati Hugonis et conservavit indemnem, quam olim eripuerat Placidum puerum, magni obtentu Benedicti, per discipulum ejus Maurum in fluctibus ambulantem. Nam et hunc deorsum per integrum fere stadium fluctus detulerat, sicut illum per unius fere sagittæ jactum introrsum unda rapuerat. Verum ipsius eventus ordinem eidem, qui jam in studiis floret, aut eorum cuilibet qui interfuerunt, plenius exponendum relinquimus, quia ad alia explicanda festinamus.

CAPITULUM XV.

DE QUODAM VIRO DEBILI SANATO PER COPHINUM QUEM BEATUS PRÆSUL DEFERRE CONSUEVERAT AD OPUS FABRICÆ MATRICIS ECCLESIÆ ; ET DE QUODAM FURIOSO SANATO PER EUM ; ET DE DUOBUS PUERIS AB EO MIRABILITER CURATIS : PRIMUS DE TUMORE NOXIO, ALIUS DE LAMINA FERREA QUAM GLUTIERAT, EX QUA MIRABILITER CRUCIABATUR.

Nota. — Hoc Capitulum non pertinet ad istum Librum nec ad Compositorem ejus ; licet revera de Vita S. Hugonis Lincolniensis episcopi sit, quia in alia Legenda hæc inveniuntur : quæ Compositor hujus Libri omisit, sicut quædam alia.

Sub silentio autem prætereundum non est, quod cum pius Pontifex Hugo in die Parasceves ad fabricam matricis ecclesiæ Lincolniensis, quam nobiliter a fundamentis extruxerat, lapides et cæmentum in humeris ferret in quodam cophino sicut pluries consueverat, debilis quidam ex utraque parte claudus, duobus baculis suffultus, tantam Viri sancti humilitatem considerans et admirans, totis viribus desiderare cœpit eumdem cophinum deferre et collo suo applicare, sperans quod, per merita tantæ benignitatis ipsius Pontificis, sanitatem esset recepturus. Tandem a magistro operis obtinuit eumdem cophinum sibi præstari, in quo lapides et cæmenta duobus innixus baculis deferre cœpit. Elapsis vero aliquot diebus unum dimisit baculum, deinde et alterum : postque modicum tempus, sanus et erectus, cophinum eumdem portabat ad opus fabricæ consuetum, nullo adjutus baculi adminiculo. Qui multo tempore

sanus postmodum vixit, et cophinum suum adeo dilexit, ut a se separari nullatenus sustineret.

Circa illud tempus accidit in civitate Lincolniensi, quod civis quidam in tantam incidit amentiam, ut ad ipsius custodiam octo viri fuerint deputati. Qui in vinculis detentus tanto vexabatur furore, ut et uxorem suam et liberos proprios dentibus conaretur laniare. Tandem de consilio cujusdam boni viri consanguinei ipsius, in quadam biga ligatus, ductus est ad ecclesiam Cathedralem ubi sanctus Episcopus morabatur, ut per merita beati Viri a prædicta dementia liberari mereretur. Quem cum vidisset Episcopus ad se adductum, statim eum aspersit aqua benedicta, et spiritum malignum adjuravit ut ab eo exiret ipsumque ulterius non vexaret. Æger vero in terram cecidit morienti similis, super quem Vir Deo plenus aquam effudit benedictam, in quantitate magna. Statimque surrexit sanus, qui tam miserabiliter prius ægrotavit ; et manus ligatas in cœlum extendens, in hæc verba prorupit : « Deus, gratias tibi ago; et tibi, bone Episcope, » manus ligatas ad eum extendens. Qui solutus a vinculis sanus rediit, ulterius a dæmonio non vexatus.

Quædam etiam matrona Lincolniæ duos habuit filios. Quorum alter, cum adhuc puer esset, in dextro latere longo tempore tumorem habuit grandem ; de cujus salute mater desperans, sanctum Episcopum adiit, et ut eum benediceret petiit. Sanctus autem Episcopus illi super locum affectum manus posuit, benedixit et dimisit. Deinceps vero ita sedatus est tumor, ut ab illo tempore, nec mater illum viderit, nec puerum molestaverit. Contigit tempore alio, ut ejusdem matronæ alter filius patiens hictericiam [i. e. icterum] periclitaretur. Illa prioris memor beneficii ac refugii, etiam hunc beato Hugoni præsentavit benedicendum ; acceptaque puer benedictione, infra triduum pristinæ sanitati est restitutus.

Accidit autem quodam tempore, quod circa gregis curam venerandus Antistes Hugo vigilans, parochias suas peragraret. Devenit ad quamdam villam Alemundeberi [al. Alkemini de Beri, i.e. Alconbury] nomine, ubi parentes cujusdam pueri, puerum ipsum pene exanimem deferentes, ejus postulaverunt auxilium lachrymabiliter. Requisiti vero quid quærerent, respondens mater pueri solicita, materna pietate de dolore filii magis anxia, dixit : « Parvulus iste puer noster partem cujusdam laminæ ferreæ lucentem et acutam, habentem in longitudine plusquam unum pollicem, manu recepit et more puerorum ad os tulit ; quæ intro lapsa gutturi firmiter adhæsit. Cumque de casu miserabili inconsolabiliter dolerem, videns filium quem genueram de vita periclitari, patruus ejusdem pueri consolari me nisus est dicens : Non morietur filius tuus, in somnis enim revelatum est mihi quod in brevi quidam sanctus Vir per villam

istam est transiturus, qui ipsum est curaturus. Misit ergo te huc Dominus, Pater sancte, ut filium nostrum in ultimo vitæ articulo positum, jam vix palpitantem, nobis vivum restituas. » Quem recipiens Episcopus, tangens guttur benedixit, insufflavit, et Crucis signaculo signavit ac dimisit. Qui cum recessisset ab Episcopo, ferrum sanguinolentum a gutture et ore pueri exilivit, et sanatus est puer ex illa hora.

LIBER QUARTUS.

PROLOGUS.

Ut autem, temporis serie paululum intermissa, pro ætatum ordine adhuc sicut cœpimus pauca referamus, post exactam infantilis necnon ævi puerilis historiam, adolescentium est mentio breviter subnectenda ; sicque per succedentium gradus ætatum, usque ad mortuorum exequias narratio extendenda; in quorum diligentissima executione, post Tobiam nemo reperitur adæquasse Hugonem. Qui, ut superius innotuit, singula vitæ suæ momenta Divinis mancipando præceptis, id jure promeruit, ut pluribus in quolibet ætatis gradu existentibus etiam ipse prodesse valuisset. Factus vero ætatis jam integræ, et Pontificali officio insignitus, sepeliendis mortuis tantam visus est solicitudinem impendisse, ut, misericordiæ hujus præmio reposito in futurum, sub præsenti quoque tempore singulari donaretur honore sepulturæ. Quod tunc plenius, favente Domino, exponetur, cum quarto huic ac penultimo gestorum illius Libro imponetur meta. In cujus exordio ista duximus prælibanda.

CAPITULUM I.

DE MARTINO SCRINIARIO HUGONIS, QUI AB EO CASU TONSUS, MOX SÆCULO RENUNCIANS, EFFECTUS EST MONACHUS.

Deputaverat custodiæ Pontificalium scriniorum reverendus Antistes Hugo juvenem quemdam, modestum quidem moribus et pudicum, sed vanitatis mundanæ non plene vacuum, nomine Martinum. In scriniis autem vasa et vestimenta, alia quoque hujusmodi sacra, quorum in altaris ministerio usus erat, continebantur. Moris erat horum custodem et bajulum, quamvis laicum, tamen quia inter ecclesiastica versabatur ministeria cum Clericis, tonderi ut Clericum, et tunicam propriis vestimentis superindutum lineam [sibi] creditis deservire obsequiis. Martinus, de recenti huic subrogatus officio, tonsuram jubetur suscipere ab Episcopo. Quam ille jussionem triduo (pudore obsistente non bono) distulit adimplere, variis per dies singulos excusationibus velare nitens, cum argueretur, omissi præcepti voluntariam inobedientiam.

Hoc ipse Episcopus advertens, reportantem ab ecclesia die quadam scrinia post Missas observat; eumque in ulte-

riorem secutus exedram, cincinno capitis illius digitos innectens, « Ecce, ait, quia tonsorem non reperisti, qui tibi ordinatam faciat tonsuram, ego ipse tondebo te. » Hæc dicens, sumptis forficibus, cæsariem illius in rotundum circumcidit. Quo facto, mox juvenculus in lachrymas resolutus, genibus Sancti provolvitur; constringensque manibus fortiter pedes ejus, « Domine, inquit, per misericordiam Dei adjuro vos, audiatis me parumper. Quia enim dextra vestræ sanctitatis capiti meo abstulit signum mundanæ vanitatis, oro quatenus a laqueis mundi hujus penitus me absolvere velitis. Nam revera amputata per manus vestras coma sæcularis vanitatis, meas ulterius cervices minime prægravabit. Utque mentis propositum, per manus vestræ obsequium cœlitus mihi inspiratum, manifestius pandam, viluit mihi prorsus hoc nequam sæculum; appeto monachatum. Deo in posterum me totum devoveo; sæculi ex toto pompis renuncio. Prosequatur, obsecro, gratia vestra, qua per vos merui præveniri gratia Dei, ut et ipsa subsequatur me, quæ jam prævenit, omnibus diebus vitæ meæ. Per vos Religionis merear suscipere vestem, per quem modo suscepi characterem. »

Quid multa? Episcopus, hæc cum quasi dicta puerilia duceret negligenterque acciperet, dissimulabat respondere auditis, processitque jam comesurus ad triclinium. At, cæteris vescentibus, edax desiderii flamma depascebat Martini præcordia, adeo ut vix contingere sineretur corporea alimenta, præ interni ardoris quo medullitus æstuabat vehementia. Finito autem convivio, accessit seorsum ad cunctos sigillatim, quos in tali censebat negotio plus posse apud Episcopum. Quorum pedibus advolutus, aures, animos affectusque eorum singultibus pulsat, movet fletibus, precibus pietate plenis inclinat, ut æstuanti sibi penes Episcopum suffragia conferant, quo per eum salutaris desiderii consequatur effectum. In talibus autem, diebus persistens indefessus et noctibus, tandem post triduum obtinuit quod perseveranter postulavit. Expiata siquidem triduana ejus inobedientia, ex dilatæ mora exauditionis non minori tempore, sciens Vir clementissimus temperamentum misericordiæ suæ, fecit ad se accersiri virum venerabilem Priorem Sancti Neoti. Utque absolvamus compendio quod gestum est, sancto cœtui ejusdem Cellulæ [al. ecclesiæ] suum favorabiliter Martinum petiit sociari et impetravit. Compertam namque a superioribus annis Beccensium habuerat idem juvenis laudabilem prorsus institutionem, necnon et ordinatam Sancti Neoti familiæ conversationem: unde professione illis astringi, et isti habitationi præelegerat conjungi. Cui Provisor pius et vestimentum contulit regulare, et diem susceptionis illius ad habitum sacrum solemni refectione universis Fratribus exultabilem fecit.

Martinus vero quæ agenda essent [al.

quæ Dei sunt] non minus facere quam scire infatigabiliter studens, prosequente ejus pia vota gratia Christi, in bonitate, in disciplina, in scientia quoque adeo in brevi profecit, ut omnibus ejus profectus et admirandus et imitandus esset. Quem propterea ad Subdiaconatus gradum suus nutritius cum ingenti gaudio promovit : applaudentibus his qui eum noverant, et ad invicem tale quid dicentibus, *Quidnam accidit filio Cis?* Audiebant eum altisona voce, celeritate inoffensa, Apostolica sive Prophetica scripta legentem. Videbant eum inter *Nathinæos* tunica decoratum polymita, Leviticis juxta Pontificem mysteriis [al. ministeriis] subservientem; ac dicebant, *Num et Saul inter prophetas?* Erat namque in eo cunctis mirabile, quod in semetipso unicuique videbatur impossibile, ut in ætate scilicet jam progressiore tam cito litteras sciret, quas in teneri oribus annis minime didicisset.

At Martinus admirantium laudibus non dico non extollebatur, immo nec quidem leviter movebatur: quin potius coævos et consodales quondam suos firmissimis rationibus arguebat vanitatis, ad studium eos invitans vitæ correctioris. Rogavit etiam Pontificem quatenus a domino abbate Beccensi suis dignaretur precibus obtinere, ut ad Domum matricem de Becco veniendi, et in ea diutius persistendi copia daretur sibi, quo sacri Ordinis perfectius informaretur ceremoniis, et probatissimorum, quos ibi noverat esse, plenius instrueretur monachorum exemplis. Agebat hoc utique magno zelo religionis, illud secum reputans,

Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ;

item illud melioris Poetæ, *Ibunt* Sancti *de virtute in virtutem.* Consecutus est autem post modicum tempus, interventu Præsulis, piæ hujus petitionis effectum. De cujus nuper conversatione et industria, tam ab ipsius Abbate, quam ab aliis pleraque didicimus satis commendabilia.

Dicat unusquisque quid sentit: nobis, miraculo superiori, quo puer a periculo præcipitis est ereptus torrentis, hoc longe præstantius videtur miraculum. Ibi quippe vim virtutis suæ oblitus est amnis, ut puer illæsus liberaretur : apparuit, mutato ordine naturæ, humor solidus in flumine, sicut olim ardor friguit in camino Babylonico. At in Martino utriusque signi novitas innovata est, sed ordine quo excellentiore eo utiliore. In illis ab ignibus et aquis caro, utrisque in posterum obnoxia, tandemque peritura, vitæ mortali ad tempus modicum reservata est. In Martino, cum carne perpetim et anima victuro, illud Propheticum adimpletum est, et cum Psalmista eidem decantare permissum, *Transivimus per ignem et aquam, et induxisti nos in refrigerium.*

Verum de his philosophari largius aliis relinquimus. Nobis, tramite cœpto, quoniam adhuc grandis restat via, ad alia properandum est retexenda in

servo suo magnifice semper operantis Christi magnalia.

CAPITULUM II.

DE ALTERIUS CONVERSIONE JUVENIS, QUI MENTIS SIMUL ET CORPORIS PER EPISCOPUM NOSTRUM CONSECUTUS EST MEDELAM.

De conversione alterius juvenis relatio subinfertur, quæ longe quidem posterius accidit; sed pro similitudine historiæ præcedentis, ei congrue subnecti meretur. Quam ita Salvatoris clementia noscitur operata, ut eam, mediante Genitricis suæ pietate melliflua, Hugonis quoque merita videantur peregisse. Cujus eventum compendiose perstringimus, ne prolixitate gestorum Lectoris studium prægravemus. Evenit autem postremis inclyti Regis Richardi temporibus.

Ea sane tempestate idem Princeps in gravem adversus Episcopum iram exarserat : adeo ut, machinante et per familiaria sibi perditionis vasa insistente totius bonitatis inimico, Justitiariis suis de Anglia districte præcipiendo mandaverit, quatenus, omni occasione postposita, in suas reciperent manus Episcopi Lincolniensis Canonicorumque bona, ipsosque possessionibus cunctis spoliarent. Hujus vero simultatis origo et finis suo plenius inferiori loco assignabitur : cujus ad hoc mentio hic agitur, quatenus per ea quæ subsequuntur illud testimonium Apostoli erga beatum Virum evidenter monstretur impletum, quo de electis Dei idem Vas electionis, quod interius fideliter tenet exterius fidenter profert asserendo : *Scimus,* inquiens, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Excitaverat sane livor serpentis antiqui contra diligentem Deum, Deoque dilectum militem suum egregium, factiosæ admodum persecutionis acerbitatem, sed ad insipientiam sibi. Ex eo namque congressu victus ipsemet multipliciter et confusus, in malignitatis felle contabuit ; Christi vero miles, quem viribus impar temere impetiit, cum triumpho multiformi gloriam amplissimam reportavit.

Hujus siquidem occasione certaminis, Episcopus Regem aditurus, qui tunc in partibus agebat transmarinis, Rolnensem [al. Rovensem, i. e. Rochester] pervenit ad urbem. Accessit ad eum ibidem quidam juvenis, quem perniciosus hostis humani generis suis illaqueaverat dolis. Qui, mediante interprete (neque ipse Pontificis, nec Pontifex ipsius sufficienter dignoscebat loquelam), miserabilem in hunc modum de se ipso recensuit tragœdiam :

« Cum, inquit, dudum adolescentulus, discretionis adhuc minus capax, vagis ducerer affectuum motibus, contigit me infelicem, ex insidiis adversarii humanæ salutis, detestabile enormis cujusdam piaculi incurrisse crimen. Nec contentus lapsu simplici, lapsum adjeci lapsui : sicque, quod deterius

est, crimini addendo crimen, longam in criminum lapsibus feci consuetudinem. Erat scelus meum sui qualitate nimis horrendum: cujus horrorem quadruplicaverat loci, temporis, et personæ, cum sui ipsius immanitate, consideratio. Nil ex peccatorum circumstantiis supremo defuit mali cumulo, nisi forte quod esset ignorantia juris semiplena. Suasus præterea et illectus ab alio, primitus, immo semper peccabam.

« Nuper vero sacerdote quodam verbum Dei prædicante in ecclesia, me indignissimum turbis accidit confluentibus interesse. Qui catalogum retexens Capitalium criminum, in hoc, cujus eram mihi conscius, verbi divini fortius gladium vibrans, ejus damnabilem adeo exaggeravit sorditatem, ut pene me crederem terra subito dehiscente absorbendum, ac vivum in Infernum collapsurum. Tantam denique mentis confusionem incurri, ut extra me ipsum me funditus putarem effectum. Diem vero illum, cum prima sequentis parte noctis, in lachrymis expendi et singultibus : cum ecce, post noctis medium, dum lassatum præ tristitia corpusculum in soporem resolvitur, visa mihi est astitisse Fœmina inæstimabili præfulgens decore, talia ferens monita mihi desolato : « Noli, ait, miselle, desperare. Larga est clementia et magna potentia Filii mei, qui neminem vult perire. Surgens vero clanculum [al. diluculo] sacerdotem inquire, quem non ignotum tibi designo ex nomine; eique fideliter, pure et integre peccata tua confitere. » His dictis, visio mihi cum somno ablata est. Et ego de nocte consurgens, mihi injuncta peregi.

« Nec multo post, confusionis meæ ruborem non sustinens, locum insuper perditionis meæ exhorrescens, discessi clanculo a domo genitricis meæ, et a civitate in qua natus et conversatus infeliciter eram. Pergenti vero, sed quo tendendum vel ubi consistendum mihi commodius esset nescienti, occurrit anxiato et mœrenti vir ex improviso horrendi aspectus, statura perlongus, capillo rufus. Qui ore terrifico hæc mihi est locutus : « Pessime, inquit, offendisti Dominum et ejus Genitricem ; quos si velis aliquo pacto habere propitios, ipsum necesse est corpus extinguas, quo eis toties injuriosus extitisti. Erras enim si credas quod in eodem vasculo quod tot contaminationibus polluisti, quidquam Divinæ sinceritati affectum [al. acceptum] operari queas. » Vix dictum explicaverat, et ecce peregrini veniunt, beati martyris Thomæ busta petituri ; ad quorum præsentiam qui loquebatur repente disparuit. Ego itaque in formidinem simul et desperationem licet vehementer impulsus, signavi tamen frontem signo salutari. Pergens itinere cœpto, mœrens, vixque præ cordis dolore gressus proprios regens, hac ipsa die qua hæc mihi dicta sunt, in hanc, circa horam tertiam, devenio urbem.

« Immissum quidem fuerat animo meo, et antequam hominis prædicti suasionem visibiliter percepissem, ut memetipsum interficerem. At postmodum hæc fortius in me prævaluit cogitatio, fecissemque quod ille suggesserat, nisi paululum animasset miserum recordatio visionis præmissæ, qua mihi aliquantulum blandiebar de Salvatoris nostri suæque piæ Genitricis misericordia. Nam et hoc pro constanti olim acceperam, quod quicumque sibi ipsi necem inferret, æternaliter procul dubio periret. Tam vero infesta mihi fuit, et adhuc existit, ista ut credo inimici suggestio, quod bis hodie perrexi ut me ipsum de ponte hujus villæ præcipitarem in fluvium. At primo quidem ob commeantium multitudinem revocavi pedem. Secundo, adventus vester insinuatus auribus meis per vestros præcursores, a jam imminenti suspendit me præcipitio. Mox enim ut comperi vestræ sanctitatis præsentiam affuturam, omni fluctuatione cordis explosa, in tantæ cœpi consolationis [al. discretionis] alloquium respirare. »

Talibus ab eo peroratis, Episcopus eum breviter pro tempore adhortatus, data benedictione, monet quatenus usque Doroberniam [i. e. Cantuariam] sua vestigia subsequatur, ibidem plenius et liberius salutis consilium, necnon et auxilium percepturus. Paret ille monitis salutaribus. Qui veniens Cantuariam, sacra ejus instructione firmatus et intercessione adjutus, a tentatione pestifera funditus in perpetuum liberatur. Perendinante autem ibidem Pontifice, et tempus navigationi congruum per dies fere quindecim præstolante, idem pœnitens, jam in fide et devotione pervalidus, consistebat in eadem urbe per unam circiter septimanam. Disponebat enim summorum limina Apostolorum orationis gratia quantocius invisere.

Cæterum rem inauditam illi novimus interea contigisse. Subito namque secus utrumque femur et circa verenda ejus, caro illius ita computruit, ut duo altrinsecus foramina, seu potius fossæ binæ, horrendæ amplitudinis et profunditatis, apparerent ; cum ipse tamen ex tam immenso vulnerum hiatu nihil penitus sentiret doloris. Ostendit autem, metu gravioris periculi, cuidam fidelissimo viro, curandorum vulnerum notitiam habenti, nomine magistro Roberto Pistoris [al. Reginaldo Pistori], locum illum putridum : a quo accepimus, quia jam pene usque ad intima viscera carnes ejus putridæ defluxissent.

Insinuantur hæc Episcopo; qui ceram jubet vulneribus imponendam dari, quam tunc forte appositam foco, ad conficienda in usus necessarios luminaria, ut est consuetudinis, ministri calefaciendo mollem tractabilemque reddebant. Res mira ! Ut enim hedera Jonæ, sub una nocte exorta, sub una itidem nocte, confugientibus ad pœnitentiam Ninivitis, exaruit; ita repentina istius pœnitentis ulcera in cicatricem citius sunt redacta: quibus ne signum quidem

obductionis repente superfuit. Qui totus jam Evangelico more, anima et corpore sanatus, sumptis solemniter pera et baculo, Apostolica, ut proposuerat, mœnia petivit. Obtentaque benedictione Summi Pontificis, in Angliam est reversus; ac Cisterciensis Ordinis habitu indutus, bonæ conversationis merito non minus rem sibi quam nomen Conversi perseveranter vindicavit.

CAPITULUM III.

QUALEM SE ERGA LEPRÆ CONTAGIONE MACULATOS EXHIBUERIT; ET DE COMMENDATIONE INAUDITÆ DULCEDINIS SALVATORIS AB ORE HUGONIS SÆPIUS ITERATA; ET DE MUNIFICENTIA IPSIUS IN OMNES PASSIM NECESSITATEM ALIQUAM PATIENTES.

Verum ista retexendo actori totius nequitiæ Satanæ insultamus: qui virtutis Viro dum cunctis malitiæ suæ viribus adversatur, in sui ipsius perniciem livoris proprii refusum semper ingemuit virus. Sed quia ad hæc, historiæ prætermisso ordine, dum ætatum processus exequimur quibus Sancti merita claruerunt, quasi per excessum quemdam stylum deflexinus, ad gestorum seriem hunc denuo retorqueamus; quatenus eumdem ipsum ubique, tam videlicet in cunctis vitæ suæ momentis, quam etiam in ætatibus singulis, et verum Deitatis extitisse cultorem, et hostis antiqui enituisse victorem demonstremus.

Jam enim ex præmissis satis innotuit, quia omnipotens Conditor, innocentiæ verus amator, famulo suo innocentissimo, ad mansurum [al. immensum] laudis præconium, per ora innocentium, necdum quidem loquentium sed arridentium, perhiberi voluit testimonium: eo nimirum verius quo et divinius, eoque constantius quo et incorruptius, eo demum credibilius quo miraculosius. Ita igitur Dominus serenissimus suæ singularis prærogativæ suæque partem contulit gloriæ servo suo devotissimo, ut, sicut eum ætas innocens non loquendo sed moriendo meruit confiteri, sic per eamdem innocentiam istius merita gestiendo et alludendo faceret commendari; et qui Præcursori suo prius dedisse legitur spiritum gratiæ quam vitæ quo salutaret se, prius daret parvulis cultorem suum agnoscere, quam posse intelligere se. Quique benedictum regnum suum a pueris Hebræorum voluit collaudari, ipse militis sui de hoste versuto triumphum, per ætatem similem ab illius tyrannide potenter sæpius liberatam, sublimi præconio decrevit propalari. Qui etiam a nuptiis, vini ex aqua facti consecratis pariter et lætificatis miraculo, ad cœlibatus gratiam per se ipsum suum invitavit futurum Evangelistam tunc adolescentem, ipse per infidelitatis torporem jam deficientem juvenem, carnalibus de cætero valefacturum illecebris, ad fidei calorem speique lætitiam revocavit per Hugonem. Hugo bene vivendo suumque Authorem benedicendo, illud implevit Propheticum, *Per singulos gradus meos pronunciabo*

illum. Vicissim quoque idem Dominus et Author ejus in singulis ætatum gradibus gratificavit et glorificavit eum ; ut senes cum junioribus laudent nomen ejus, in omnibus laudabile atque magnificum, per largificum gratiæ suæ donum.

Quia vero ex prælibatis jam ista patuerunt, quid restat modo, nisi ut ea quæ per servum suum ad communem utriusque, suam videlicet et ipsius gloriam, passim Dominus in quibusdam personis, causis, temporibus et locis magnifice gessit, tentemus vel ex parte referre ; ac demum qualiter eum in senectute bona ac venerabili, quanquam minus diuturna, feliciter quiescentem in gaudium suum admiserit, studeamus intimare ?

Cujus inter alia pietatis insignia, quantam ægrotantibus curam, quantam etiam lepræ tabe laborantibus benignitatem impenderit, quis digne commemoret ? His nimirum, pedes propriis manibus diluens et extergens, osculisque demulcens, nummos insuper cibo refectis et potu largiri consueverat. Faciebat hoc secretius, coram paucis arbitris, in camera sua, tredecim personis sæpius, cum tot inveniri potuissent in locis quibus ipse interfuisset. Consuevit etiam domos leprosorum, per quas transitum faciebat, ingredi ; et cum, eo jubente, viri fuissent a mulieribus separati, omnes viros leprosos quantumcumque deformes osculari solebat. Videns autem hanc humilitatem egregius Wilhelmus, quondam Lincolniensis ecclesiæ Cancellarius, vir utique valde litteratus et bonus, voluit experiri utrum propter excellentiam hujus operis elatio tangeret animum Viri justi, dixitque ei : « Martinus leprosum sanavit ; vos leprosos quos osculamini non sanatis. » Episcopus autem respondit : « Osculum Martini carnem leprosi sanavit ; osculum vero leprosi animam meam sanat. »

Erant præterea in quibusdam fundis Episcopii ejus matriculæ, in quibus non pauci hujus morbi incommodo detenti, tam viri quam fœminæ, sustentabantur. His, præter assignatos a prædecessoribus suis redditus, varia in multis rebus subsidia cum omni diligentia conferebat. Frequenter quoque ad eos in propria accedens persona, ac cum paucissimis adhærentibus viris timoratis et devotis, medius inter illos in cella residens secretiori, verbis optimis horum relevabat animos. Sicut autem, eorum doloribus materna quodammodo lenitate blandiens, et ad spem retributionis æternæ desolatos temporaliter afflictosque extollens, morum quoque bonorum documenta suavitate mira interserebat verbis consolationis : ita, si quid de eis reprehensibile percepisset, ne in posterum admitteretur, suadebat ut eos et admissi vehementius pœniteret, et ulterius admittendi audacia seu voluntas nulla eis remaneret. Ante vero exhortationis alloquia, semotis interim jussu ejus fœminis, mares sigillatim

circuiens exosculabatur, singulis se inclinans, et quos cerneret atrocius jam tabe confectos, diutius ac suavius complexans.

Parce, Jesu bone, infelici animæ ista referentis! Non enim latet scientiam [al. Etenim sciebas] (quod lateat ultionem tuam!) quanto mihi fuerit horrori tumidas, et luridas [al. lividas], saniosas et deformatas, oculis eversis aut effossis labiisque absumptis, facies non modo cominus attingere, sed vel eminus aspicere. Lippienti quippe præ superbia oculo interiori, non fulgebat in sterquilinio margarita Dei. Verum servus tuus, cujus plenissime oculos avertisti ne viderent exteriorem vanitatem, internam capiebat plenius claritatem; unde sibi ipsi ornatiores videbantur, qui infestiorem forinsecus præferebant deformitatem. Idcirco tales prædicabat esse felices; tales Paradisi flores, et præclaras coronæ Regis æterni esse dicebat margaritas. Hos fiducialiter et secure expectare Salvatorem memorabat Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis eorum configuratum corpori claritatis suæ : cum e diverso formidolosi expectent sublimem affuturum Judicem, qui modo, de corporis specie gloriantes, illius refugiunt humilitatis et munditiæ conformitatem per mentis elationem.

Agens vero seorsum cum familiaribus suis de tanta Salvatoris nostri clementia, qui miserrimos quosque in vita præsenti toties ore Divino beatificat in Evangelio suo, nunc Lazarum inducendo ulcerosum in sinum Abrahæ ab Angelis perductum, nunc se ipsum in infirmis asserendo infirmum, mira cum dulcedine omnium Authorem dulcedinum attollebat. « O, inquit, quam felices erant, qui Viro adeo dulci familiarius adhærebant! Quantum mihi dulce foret quæcumque ipse seu pedibus calcasset, seu qualibet corporis sui parte contigisset vel manibus attrectasset, osculis lambere, oculis apponere, intimis etiam, si fieri posset, visceribus inferre! Quid dicam de humore superfluo (si quid tamen fas est superfluum dicere quod fluxerit de unguine [al. inguine] vitæ), quid, inquam, de humore illo sentiam, quem forte de vasculo tantæ benedictionis effundi ratione infirmitatis contingebat? Certe non solum, si daretur facultas, illum diligentius colligerem, sed omni nectare dulcius illum haurirem labiis, faucibus imbiberem, et abditis viscerum præcordiis ipsum reconderem. Quam vero miseri sunt, qui aliud quidquam timent quam adeo dulcem offendere! Quam gemendi sunt, qui aliud quidquam dulce reputant, aliudve expetunt, quam sic dulci dulciter adhærere, dulciter parere! Nescio quid jam possit amarum sentire, qui dulcis hujus dulcedinem jugi didicit meditatione interno cordis palato dulciter ruminare. »

Hæc Vir sanctus de cœlesti vulnerum nostrorum Medico sentiens, hæc dicens, hæc etiam quæ præmisimus de

membris illius infirmantibus proferens, hæc illis impendens, evidenter satis exprimebat quanto intentius [al. interius] ferveret igne Divinæ pariter et fraternæ dilectionis. Qui etiam in commune quibusque indigentibus tantas largiebatur eleemosynas, ut, præter illa quæ multis specialibus ex causis, nunc interpellatus, nunc ipse voces præveniens necessitatem patientium, secretius erogabat, annuas omnium rerum suarum obventiones, usque ad tertiæ partis æstimationem, sub certa constitutione in opera expendisse non dubitetur misericordiæ.

CAPITULUM IV.

QUOD INTER MICANTES GLADIOS ET EXTENTAS IN CAPUT SUUM DEXTRAS, TERTIO PRO ASSERTIONE JUSTITIÆ SE IPSUM INERMEM OBJECERIT ; ET QUOD EXERCENDO GLADIUM ECCLESIASTICÆ DISTRICTIONIS, PLURIMOS DEDERIT IN REPROBAM MORTEM CARNIS.

Regis mitissimi atque fortissimi præconia sacra nobis insinuans Scriptura, dicit de David, quod *ipse erat quasi tenerrimus ligni vermiculus.* Ligni quippe vermiculo sicut nihil lenius invenitur cum premitur, ita cum premit, nihil se exerit eo mordacius. Unde fit ut nulla prorsus res tam minute terebrare sufficiat lignum durissimum, ut solet ille minutus mollisque vermiculus; qui et duritiem solvit in pulverem, et ostendit tabidum quod solidum putabatur.

Quæ plenius assignari in virtutibus Viri, de quo specialiter a Domino perhibetur quod invenerit *Virum secundum cor suum,* quia constat non esse temporis seu operis hujus, inspicere libet an forte in Hugonis nostri moribus hæc inveniantur aut operibus. Præconia namque Viri nostri admirabilis mirifice exprimunt vocabula tria hæc, quibus qualitas ejus diffinitur cum dicitur : *Ipse erat quasi tenerrimus ligni vermiculus.* In *tenerrimo* docetur lenis et mansuetus, in *ligno* fortis et robustus, in *vermiculo* ostenditur humilis et in suis oculis modicus et despectus. Quod vero is extiterit per lenitatem mentis *tenerrimus,* quamque fuerit ex humilitatis gratia quasi *vermiculus,* sibi scilicet vilis et apud se minimus, ex his perpendi evidentius poterit, quæ jam in medium protulimus, sicut a primordio Vitæ illius supra digestæ lectionis insinuat textus. Nunc igitur de fortitudine illius inflexibili aliqua subjicienda sunt, unde clareat manifestius quantum se exhibuerit in censura justitiæ, qui tantus in humilitate tantusque innotuit in spiritus suavitate.

Ubi videtur in primis breviter recensendum, quam egerit fortiter in superborum præsumptionibus coercendis, quam incunctanter armatorum sæpe ipse se inermem ingesserit turmis, quamque steterit inter micantes gladios et erectas [al. exertas] dextras; in Lincolniensi primum ecclesia, deinde in Hollandia, ac demum in Norhamtona [Northampton], nudo capite constans et

intrepidus. Minus vero dixi « Steterit, » cum, huc illucque discurrendo, gladium Spiritus tota cum libertate in furentes frementesque conspiratores seu intrusores vibraverit, tradens contumaces Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret in die Domini. Cujus eo constantia sublimius enituit, quo ibidem fortium virorum robur formidini evidentius cessit: eoque illius confidentia illustrius claruit, quo suorum diffidentia comitum et officialium in tanto se discrimine apertius propalavit. His namque non modo ad aras confugere parum fuit; immo et sub ipsis mensis Dominicis se abscondere videbatur minus tutum. Quibus ita fugientibus et latebras foventibus, Hugo persistebat solus, cædebatque labiis intentantes gladios cervicibus suis. Cujus magnanimi audacia, nec non et protegentium se Angelorum custodia, ipsiusque Divinæ virtutis armatura, fracti et confusi, apud Lincolniam tam Clerici quam laici, apud Hollandiam vero milites et armigeri, apud Norhamtonam quoque burgenses infensi, cesserunt plures uni, sævientes miti, tranquillo turbati.

Apud Hollandiam tamen, quod prætereundum non est, Wilhelmus de Avalim [Avalon], Episcopi consobrinus, milesque acerrimus, generosi sanguinis vena incalescens, cum stricto mucrone quidam armatorum Pontificem funesta pararet ferire audacia, jam percussuro se se fortiter objecit. Cui etiam vi magna extorquens gladium, nisi prohiberetur districtius a Pontifice, eum absque vulnere abire non sivisset. Horum si vellemus exprimere diffusius causas tumultuum, pareret forsitan Lectori prolixitas fastidium. Unde tantisper hoc loco hæc vel tetigisse sufficiat, bonique Pastoris prædicabilem fidelibus commendasse justitiam [al. instantiam]; qui sibi commissarum ovium errorem, etiam cum periculo sui capitis, dissimulare noluerit incorrectum.

Quamobrem non immerito animam suam pro suis monstratur ovibus posuisse, quamvis eam tollere ab eo nullus prævaluerit: Illius nimirum hanc dextra servante illæsam, de cujus manu eruere vel perimendos ne pereant, vel salvandos nemo potest rapere ut intereant. Hic tamen velut semper in manibus suis, cum fortissimo superius memorato Rege David, animam suam portans, se ipsum periculis impavidus exponebat. Timere siquidem nescius, adversis vero cedere dedignatus, ut contemnebat mortem, sic vitam honestati postponebat. Charitatis namque Apostolicæ sibi plene conscius, securius dicebat, in his omnibus in quibus ultra humanum modum præsidere eum cuncti mirabantur: *Charitas Dei urget nos; neque enim mors, neque vita, neque instantia, neque futura, neque periculum, neque gladius, nec sublimitas aut profundum, sed nec creatura alia separabit nos a charitate Dei quæ est in Christo Jesu Domino nostro.*

Et vero paratus erat juxta formam

Apostolicam, omnem in gladio Spiritus ulcisci inobedientiam. Ita ejus quoque ultioni cœlestis animadversio celerem subinferebat vindictam, ut, in Deum contumaciter delinquentibus sicut ille nullatenus parceret, sic quemcumque zelo justitiæ spirituali idem mucrone percelleret, citius, nisi resipisceret, corporali pariter exitio interiret. Hinc rebelles quosque et juris ecclesiastici violatores, de sua quandoque potentia insolenter præsumentes, ac præ tumore mentis ad minas interdum procaciter erumpentes, sic voce terrifica objurgabat : « Quid de vestris, inquiens, viribus vel armis contra manum Omnipotentis præsumitis, quando nobis etiam indignis et infirmis hæc manus adeo potentia contulit arma, ut eis humana nullatenus coæquetur armatura ? Loricas nostras jacula vestra non penetrant; galeæ nostræ vestras enses non formidant. Nostris vero ensibus nec cassides vestræ nec thoraces resistunt. Vos si quando carnem cæditis, sed animam prorsus contingere non valetis; gladius vero noster et corpus perimit, et morti non transitoriæ sed æternæ eorum quos percellit animas addicit. »

Jam vero si conemur viritim exponere, quam multos in reprobam tradiderit mortem solo anathemate, quam horrendo plerique Legis divinæ contemptores interierint fine, qui secundum duritiam suam et cor impœnitens iram sibi thesaurizantes, benedictione spreta et ejus maledictione retenta, de suis renuerunt perversitatibus emendari, nec etiam si multi conficiantur libri, poterunt omnia quæ scribenda sunt sufficienter explicare. De quorum tamen numero pene innumerabili, vel paucos exempli gratia commemorasse non erit inutile; cum ad Fidelium consolationem, atque eruditionem infirmorum, hanc placuerit supernæ Majestati erga perversos justæ animadversionis districtionem evidentius exercere, ut impleretur illud Psalmistæ : *Lætabitur justus cum viderit vindictam ; manus suas lavabit in sanguine peccatoris;* itemque illud dictum a Sapiente : *Flagellato pestilente, sapientior efficietur parvulus.*

CAPITULUM V.

DE QUODAM MILITE, CUJUS UXOR, PARTUM MENTITA PROPRIUM, IN FRAUDEM GERMANI VIRI SUI FŒTUM SUPPOSUIT ALIENUM ; ET DE QUORUMDAM INTERITU, POST EXCOMMUNICATIONEM VIRI DEI TANTO SE FACINORI IMMISCENTIUM.

Erat in territorio Lincolniensi miles quidam jam provectioris ætatis, uxorem habens sterilem. Habebat quoque fratrem, æque militem, industrium et prudentem, quem jure hæreditario, si absque liberis decederet, habiturus videbatur successorem. Invidebat huic uxor sua, verita ne forte viduata marito sub illius veniret dominatum, erga quem nunquam gessisset affectum placidum. Nequitiæ igitur vipereæ dolis incitata, ut ei consequendæ hæreditatis præcluderet aditum, quia partum non

habebat proprium, supposuit sibi alienum. Refertis siquidem ac tumentibus interna fraude visceribus, cervical præcingit exterius; simulatque uterum intumescere puerperio, qui solummodo scelere fœtabatur infando. Miles, in cujus præjudicium versutæ malignitatis componitur stropha, dolum sibi strui deprehendens, sed doli artificem nec convincere nec cohibere sufficiens, rem defert ad notitiam amicorum. Rimatur solicitius consilii remedium, sed minime reperit opportunum.

Interea mulier decumbit lecto, fictæ parturitionis indulget suspiriis. Quæsitam vero a vico proximo mulierculæ cujusdam recenter natam prolem fœmineam in publicum edit; ac veluti a se veraciter enixam omni cum diligentia studiosius enutrit. Cujus etiam veriorem ad se accersit genitricem, eique nutriendi pignoris proprii delegat solicitudinem. Dum talia geruntur non procul a Lincolnia, contigit instare jam Resurrectionis Dominicæ festa Paschalia. Accedens igitur miles muliebri circumventus astutia ad Pontificem, astipulantibus sibi discretis viris, quos fama certior tanti perflaverat maleficii, omnem rei cunctis audientibus adeo suspectæ pandit rationem. Nec vero cujusnam esset filia, seu quemadmodum a falsa genitrice acquisita, per quam sibi exhæredatio parabatur, adhuc certius ipsi innotuerat.

Motus autem vehementer vir pius et justus ad audita, malignæ maritum mulieris ad se jubet quantocius accersiri. Quem secretius evocatum discutit instantius, instruit et coarguit; tantique reatus confessionem ab eo elicere magnopere insistit. Verum ille, conjugis nimium procacis plus jurgia quam Dei justitiam pertimescens, ejus quoque sibilis afflatus [al. præincantatus) vipereis, criminis hujus se primum inficiatur habere conscientiam. Urgente demum Episcopo, et publicæ æstimationis argumentum acriter inferente, quo patebat verissimillimum esse, nec ei sobolem nasci potuisse jam valetudinario et seni, nec eum videri ignarum uxoris commenti; arctatus evidenti ratione, hac tandem responsione se ipsum delusit: « Quia longo, ait, tempore, corporis incommodo premente, conjugis secreta minus perfecte novi, volo, si placet, arctius de his ab illa perdiscere veritatem. Quidquid vero inde mihi compertum fuerit, vobis mane nunciabo, vestro indubitanter pariturus consilio, super omnibus quæ fuerint juxta rei inquisitæ seriem utilius exequenda. » Tunc Præsul, satis admonitum in his eum verbis abire permittens, « Scias, inquit, die crastina excommunicationis sententia omnes illos a nobis solemniter et terribiliter feriendos, qui hujus mali authores extiterint aut fautores, si minus forte quod polliceris fueris executus. » Sic ille dimissus et ad suos reversus, sterili puerperæ quæcumque audivit a Pontifice, vel quæ Pontifici retulerit ipse, seriatim exponit.

Ad hæc illa infrendens, et infelicem illum procaciter objurgans, ne rediret ad fidelem consiliarium eum penitus dissuasit. Qui male acquiescens dominatrici suæ, cui ordine præpostero diu consueverat ancillari, resedit domi, crimen adjiciens mendacii præcedenti errori. Facta est dies crastina, quæ fuit sacrosanctæ Resurrectionis Dominicæ Paschali solemnitate gloriosa. Episcopus, habito sacræ exhortationis verbo ad populum, cunctis negotii hujus pandit eventum, enormitatem exaggerat maleficii: se non defuturum asseverat quin tanto pro viribus occurrat piaculo ex censura pastoralis officii. Cumque perdocuisset plenius, quanti sit criminis non modo in fratrem proprium, sed vel in quemvis proximum, quidquam hujusmodi attentasse, unde necessario contingat eum, cum omni posteritate sua, irremediabili dispendio subjacere; quod etiam peccati genus sub suæ mole nequitiæ ad mortem sui sæpe perpetratores dicebat irremissibiliter astringere; omnes illos vinculo innodavit districti anathematis, qui de partus prædicti suppositione exhæredationem militis sæpius memorati minime timuissent procurare.

Nec vero in longum distulit in traditos sibi ex sententia Viri justi sævitiæ Satanas tyrannidem exercere. Virum namque nocte sequenti invadens, qui perversitatem conjugis dissimulando potius fovit quam increpando correxit, ejus subito animam extorsit. Repente enim apparuit in lectulo mortuus, in quem se locaverat, quiete ut credidit pausaturus. Audiant hæc et pertimescant, qui subditum sibi infirmiorem sexum ad facinus sequuntur sive flagitium, nec terrentur exemplo Protoplasti, quem a serpente uxor circumventa extorrem Paradisi, et debitorem morti, tantæ cum suis posteris addixit calamitati. Enimvero, juxta sententiam viri Sapientis, *Non est caput nequius super caput colubri;* et, *Brevis omnis nequitia super nequitiam mulieris.* Væ peccatori, cujus sors super ipsam cadit!

Quæ utique sententia in muliere hac evidenter patuit : cujus ita furor pertinax, et ira adeo dura fuit, ut proprium tam execrabiliter (al. exitialiter) virum perdidisse non ei sufficeret, nisi et cœptam contra ejus germanum nequitiam hostiliter adimpleret. Perstitit enim confirmare sermonem nequam, et debitam sibi retentans maledictionem, et indebitam alumnæ suæ vindicans hæreditatem. Excluso igitur legitimo hærede a fraterna successione, datur regio munere infantula cum ipsa hæreditate cuidam juveni, qui frater erat Hugonis de Novavilla, summi Forestarii. Quam, ætatis vix quartum implentem annum, disponebat idem nuptiali more solemniter sibi desponsare, præcavens nimirum ne forte qualibet occasione privaretur talis patrimonii acquisitione.

Quod ubi innotuit Episcopo, qui generali sæpius Constituto inhibuerat ætatis indiscretæ copulam nuptialem, mox

etiam speciali prohibuit Interdicto, ne quis presbyterorum seu fidelium quilibet Christianorum his præsertim nuptiis præsumeret interesse. Prospiciebat in hoc, perenni simul et temporali multorum indemnitati : consulens etiam juri communi, ne videlicet ante plenius cognitam et discussam rei hujuscemodi veritatem, in cujusvis partis præjudicium iniretur tale connubium.

Post hæc, ob quædam negotia Episcopo in Neustriam ad Regem profecto, conveniunt in vico quodam remotiori juvenis prædicti fautores et consanguinei ; ibique simplicitate abutentes seu cupiditate sacerdotis illius loci, solemni conjungunt more in facie Ecclesiæ militi infantulam, illustri rusticanam, ingenuo ex servili conditione procreatam. Tanta fuit aviditas alieni juris occupandi, ut nec ingenuitatis degenera conditio, nec salutis manifesta perditio infaustas nuptias præpediret. Regresso interea a transmarinis partibus Episcopo, quæ gesta sunt citius innotescunt. Hinc presbyter, talium minister nuptiarum, suspensione ab eodem pariter Beneficii mulctatur et officii. In reliquos autem vetiti sui transgressores, cum juri parere coram eo contumaciter detrectarent, excommunicationis sententia promulgatur.

Interea fictæ matris cubicularia, cujus ministerio proles alienæ genitricis quæsita est et inventa, terrente conscientia, primum ad Pœnitentialem (Pœnitentiarium) ecclesiæ Lincolniensis, sanctæ recordationis magistrum Wilhelmum [de Branfed] subdecanum, et ipsius hortatu demum ad ipsum accedens Episcopum, omnem rei ordinem cum magna detegit effusione lachrymarum. Tunc Episcopus, de his omnibus certior effectus, secretum quidem apud se interim habuit, quod secretius audivit : latam vero pridem sententiam, singulis circumquaque per ecclesias diebus Dominicis, renovari publice demandavit.

Quod aliquamdiu ut fuit impletum, machinatrix et materia hujus mali mulier infelix, reversa demum in se, cœpit horrere opus tam perniciosum a se commissum. Tandem vero, animata consilio prudenti, accedit, pariter secum assumpta delicti sui conscia et ministra, cubicularia prænominata, ad Episcopum : primumque illi soli, deinde pluribus viris discretis, inter quos et ille qui hoc scripsit præsens fuit, reatum suum flebiliter confitetur; seque proprium maritum perdidisse [al. prodidisse], se fratrem ejus circumvenisse, illum ad mortem, hunc ad proscriptionem et exhæredationem, voce gemebunda protestatur. Quæ universa Cantuariensi Metropolitano tunc temporis totius regni Justitiario solicite per Episcopum insinuantur, fratribus quoque et amicis alieni patrimonii (ut prædictum est) insidiatoris, cunctis etiam Primoribus fere et Baronibus omnibus Curiæ Anglicanæ.

Nihilominus vero sponsus puellæ insonter noxiæ cum suis consiliariis in-

cumbit possessioni nocenter acquisitæ. Asserunt enim, juxta leges Angliæ cujuslibet sobolem legitimam decerni, quam uxoris maritus legitimæ quoad viveret legitimam habuisset. Arcetur itaque hujus prætextu sententiæ hæres legitimus ab ingressu hæreditariæ possessionis. At interim ob reverentiam magis Episcopi, quam propter evidentiam universis pene notificatæ rei, non sinebatur contra eum judiciaria diffinitio sententialiter proferri. Iterato autem constantissimo juris propugnatore in Normanniam transeunte, inque suo discessu sæpius protestante, quia si hanc miles (ut proponit) in conjugem sibi acceperit, rusticam profecto se habere noverit, nec de illa plurimum gaudebit; homines rursum facinorosi, conspiratione facta, diem partibus statuunt, quo diffinitivum litigii hujus calculum apud Londonias proferendum procrastinatione remota edicunt.

Igitur idem Adam de Novavilla (hoc enim erat nomen viri qui puellam duxerat) stipatus propinquorum turmis, Londonias festive properans [al. festine petens], nocte diem præcedente qua judices ipsi terram illam promiserant adjudicandam (cujus solummodo eatenus obtinebat custodiam), non procul ab urbe hospitio suscipitur. Cujus dum fautores et consiliarii de forma dandæ sententiæ cum judicibus in civitate solicite deliberant, ille in diversorio lætus et temulentus lecto excipitur; sed sopori mortem socians subito extinguitur. Solus itaque ad tribunal justioris Judicis, factorum recepturus vicem, tam imparatus quam nil tale arbitratus extemplo protrahitur. Timendum autem ne forte cum improperio ibidem audierit ex sententia districti Judicis, quod sæpius versabatur in ore veridici ipsius sui præconis. Cum enim incognitum sibi et peregrinum quondam nomen Forestariorum crebrius audiret Vir sanctus, querelis etiam oppressorum ab eis hinc inde crebrescentibus, barbaræ nuncupationi alludens dicere consueverat : « Recte, inquiens, homines isti et satis proprie nuncupantur *Forestarii,* quasi *foris starii* : foris namque stabunt a regno Dei. »

Isto itaque taliter sublato, ac de tabernaculo suo cœlitus evulso, datur ejus vidua, nuptiis adhuc minus apta, cuidam, cum alterius patrimonio, Regis cubiculario. Quo jam, post Sancti ex hoc mundo excessum, in fata progresso, tradita est puella miserabilis in manus viri tertii, prioribus illis longe pejoris; quem, ob innumeras injurias ecclesiis pluribus illatas, multiplicis tenet implicitum nexus anathematis. Quis hujus futurus sit finis, jam opera ejus, præcedentia ad judicium, non incertis (nisi caveat sibi) præloquuntur indiciis. Mulier quoque, quæ hæc est machinata, vitam aliquamdiu in dolore protractam et ærumna morte dudum clausit amara.

CAPITULUM VI.

DE QUODAM FORESTARIO, DE QUODAM ETIAM DIACONO, ET DE QUADAM ADOLESCENTULA, VIRI JUSTI MALEDICTIONE IN CARNIS INTERITUM DATIS ; ET DE QUIBUSDAM ALIIS, VIRI SANCTI ANATHEMATE INTEREMPTIS OB INJURIAM CUIDAM CLERICO FACTAM.

Alius quidam Forestarius, Episcopi maledictione retenta, infra dies paucos ex quo tradi Satanæ meruit in interitum carnis, crudelis interiit sententia mortis. Nam a quibusdam, quos in sylva, in foresta sua quam servabat, inventos quia insolentius more suo tractare disposuit, ita peremptus est, ut, brachiis amputatis et capite avulso, fustes quidam satis exigui, pro quibus ab eodem nimis injuriati fuerant qui eum peremerunt, inter cadaver truncatum et caput exsectum, necnon et alia membra feraliter excisa, hinc inde posita per loca tria relinquerentur : in signum videlicet et testimonium illius nequitiæ, qua in finitimos quosque tyrannicam rabiem consueverat exercere.

Diaconus etiam quidam, nomine Richardus de Waura, militem quemdam vocabulo Reginaldum de Argentina [al. de Argentun] super crimine impetebat Regiæ proditionis. Erat uterque de Episcopatu Lincolniensi. Erat vero plurimis non incertum, falso impeti militem a Clerico. His Episcopus cognitis Diaconum per censuram nititur ecclesiasticam a temeritate sua cohibere. Inhibet sub interminatione anathematis, ne in foro sæculari hominem, præsertim ad judicium sanguinis, audeat pertrahere. At ille, de Regis (qui se tuebatur) elatus favore, monita pariter et minas Pontificis contemnebat. Nam et Cantuariensis Archiepiscopus, qui et publicus tum regni Justitiarius habebatur, cujus eum protectioni Rex Richardus impensius commendaverat, Episcopo sancto dicitur injunxisse, ne contra honorem Regium Clericum compelleret a prosecutione initæ accusationis desistere.

Verum Petri imitator verus, in hoc sicut et in similibus sæpe mandatis illius, sui potius officii jura quam hominis attendebat jussa. Nam quia magnus ille vir (ut ipse veraciter perhibere solebat) utrumque sibi gladium commissum habebat (erat namque, sicut potestate ordinaria Metropolitanus, et authoritate Apostolica totius Angliæ Legatus, ita vice quoque Regia super forenses judices arbiter summus), Episcopus quidem Hugo venerabilis de quo Archipræsul loqueretur gladio, prudenter et caute discernere studebat. Unde quotiescumque aliquid monebat aut jubebat, quod materiali gladio potius congrueret quam spirituali, non verebatur Vir Dei dicere ei, quod in Actibus suis, Summis Pontificibus dixisse leguntur Apostoli, *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Quamobrem Clericum rebellem et disciplinæ contumaciter resistentem ecclesiasticæ, Pontificali non distulit vigore percellere. Suspendit itaque ab officio et Beneficio nolentem jugo subdi Canonico.

Qui, ad Legatum perveniens, per eum de facto obtinuit a suspensione relaxari. Hinc tumore plenus accedens ad Episcopum, sub præsentia multorum Optimatum regni, tam videlicet Procerum quam etiam Episcoporum, minari cœpit grandia. Jactabat vero se a jurisdictione Lincolniensis Episcopi taliter jam Legati authoritate exemptum, quod de cætero nullatenus omitteret propter illum, quin et Domino Regi omnem fidelitatem exhiberet, eique justitiam de suis proditoribus obtinere decertaret. Insultabat quoque Episcopo, asserens se relaxatum a suspensione qua ipsum, ut dicebat, minus licite decrevisset punire.

Ad hæc ille, non enervis naviculæ Petri gubernator, suo, ut semper, more, illato terrore constantior; qui, ut de quodam Sancto legitur, *In diebus suis non extimuit Principem,* ita cunctis audientibus infit : « Incassum sane, inquit, super hujuscemodi relaxatione tibi blandiris; nam excommunicandum te incontinenti noveris, si juri parere super excessibus tuis ulterius detrectaveris. » Quid multa? Illo contumaciter obstrepente, et tanquam ore Regis minas furiosas intonante, sanctus Episcopus eum innodare nec timuit nec distulit solemni anathemate. Qui Legatum adiens, conqueritur de Episcopo, quod in præjudicium ejus Regisque dispendium, adeo, ut allegabat, proterve excommunicasset eum. A quo tandem et litteras impetravit ad Episcopum, quatenus eum pro absoluto haberet, utpote a se absolutum. Cui Episcopus, tali perlecto mandato, ita dixit : « Si centies te Dominus Archiepiscopus duxerit absolvendum, centies aut etiam sæpius ultra te scias a nobis reexcommunicandum, quamdiu te videbimus in præsumptionis tuæ dementia irrevocabiliter induratum. Tu videris, quanti habeas sententiam nostram. Nos enim hanc omnimode ratam habemus et firmam. »

Sic ille abscedens, jamque metu tantæ illius constantiæ aliquantulum corde fractior, pollicetur se deliberaturum, utrum juxta quod exigebatur super parendo juri coram Episcopo vellet cavere, nec ne. Qui cito post hæc, a quodam puero suo securi lethaliter percussus in capite, proh dolor! prius exhalavit animam quam erroris sui insinuaret pœnitentiam. Uno enim ictu excerebratus et repente extinctus, formidabilem illam in se viri Sapientis sententiam est expertus : *Semper,* ait, *jurgia quærit malus ; Angelus autem crudelis mittetur contra eum.*

De hoc item Clerico nequaquam ducimus prætereundum silentio, quia in monachum se recipi, modico tempore ante ista, petierat in Religioso cœnobio. Quod cum ei fuisset concessum, suum interea cognovit decessisse germanum, cui juxta primogenita paternum in hæreditatem cesserat patrimonium. Qui hæreditatem cupiens obtinere fratris absque liberis defuncti, Fratris pro se mortui sortem repudiavit, qui fratribus

suis per se ipsum dixit: *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Merito igitur, qui ejus pro terra reliquit discipulatum, qui suis discipulis in sæculo centuplum et in futuro vitam æternam promisit, et terram quam optavit cito perdidit, et de vita etiam temporali exemplo terribili citius emigravit. Misit enim manum ad aratrum; sed respiciens retro, amisit (nisi misereatur Omnipotens) regnum Cœlorum.

Adolescentula quædam Oxoniensis [Oxford], cujusdam burgensis filia, convicaneo cuidam juveni legitime nupta, amore alterius juvenis succensa, priore contempto sponso, illi est conjuncta. Quæ super hoc impetita a sponso priore atque convicta, monebatur diligentissime a venerabili Episcopo Hugone, quatenus se primo redderet marito. Ipsa vero, dissuasa a matre, quæ in consilio nequam alteram se se filiæ suæ exhibebat Herodiadem, ante se morituram quam ei nupturam procaciter clamitabat. Tunc Vir Domini, apprehensa ejusdem et sponsi illius dextera, miscensque terroribus blandimenta, « Si vis, inquit, esse filia mea, obaudi meæ jussioni, et suscipe in pacis osculo cum Dei benedictione maritum tuum; alioquin de cætero revera non parcam tibi, nec perniciosis consiliariis tuis. » Jussit quoque virum ejus in osculo sancto suscipere eam. Quod cum ille implere vellet, infelix illa impudentissime exspuit in faciem ejus, cum prope esset altare, adessetque tantus Sacerdos præsens cum pluribus viris reverendissimis, et turba Fidelium multa in ipsa ecclesia pariter constituta. Tunc universis ob tantam contumeliam viro illatam vehementer erubescentibus, Episcopus voce terribili ait: « Quia noluisti benedictionem, sed maledictionem dilexisti, ecce apprehendet te maledictio; » moxque excommunicavit eam. Quæ in propria contumaciter abscedens, post dies paucos, sibi ad inducias utilius secum deliberandi cœlesti pietate concessos, cum magis induraretur cor ejus et nullatenus resipisceret, præfocata ab hoste maligno, delicias repente illicitas et caducas tam perpetuis quam justis commutavit suppliciis.

Itidem Clerico cuidam Eboracensis [York] diœcesis, nomine Wilhelmo, suam, qua injuste eum exspoliaverat quorumdam violentia, restituendam ecclesiam, authoritas decreverat Apostolica: quem pars adversa diutius ab ingressu possessionis sibi adjudicatæ manu repellebat armata. Miles namque, illius villæ dominus in qua sita erat ecclesia litigiosa, suum fratrem in eamdem ingressum per intrusionem armis tuebatur, viribus nitens illicite occupatam vindicare illi possessionem. Fovebantque partem intrusoris tam ecclesiastici quam mundani judices et Optimates illius regionis. Tandem Wilhelmus, nimiis jam laboribus confectus, sumptibus quoque, dum sæpius Curiæ Romanæ suffragium in propria implorat præ-

sentia [al. persona], plurimorum etiam hinc inde auxilia pervigili sed inutili requirit instantia, penitus exhaustus, totus convertitur ad unicum oppressorum refugium,ad invictum juris patronum Hugonem; ejusque flebilibus vocibus interpellat subsidium.

Indignatus itaque bonus Eliæ Eliseique in zelo Dei æmulator, authoritate fultus Apostolica, intrusorem prænominatum et ipsius complices maledictionis ferit sententia. Nec paulo tardius in sacrilegos desævire cœpit ultio Divina. Nam, ut viris plerisque religiosis referentibus nobis innotuit, alii ex his in amentiam sunt versi, alii repentina morte miserabiliter præventi interierunt, aliis e cavis orbibus oculi cum immensis cruciatibus exciderunt. Sic itaque virtus absentis præsentem perdomuit audaciam superborum ; sic legitimo possessori suorum restituta est et defensa possessio bonorum; sic denique athleta fortis nostrique temporis ambidexter probatissimus, utraque pro dextra uti edoctus, hos percutiebat et interficiebat, illos feriebat et vivere faciebat : cadebantque ab eo a dextris et a sinistris. Citius enim quisque in mortem cecidit, qui dextræ ipsius ictum accepit. Aut enim corrigebatur, et Deo victurus, peccato moriebatur; aut corde induratus et incorrectus, exitio tradebatur.

CAPITULUM VII.

DE PALLII EXACTIONE, QUOD SIBI REX RICHARDUS AB ECCLESIA LINCOLNIENSI ASSEREBAT DEBERI ; ET QUOD MULCTAS PECUNIARIAS PER OFFICIALES ET ARCHIDIACONOS A DELINQUENTIBUS S. HUGO EXTORQUERI PROHIBUERIT.

Sentiens vero cruentus humani generis inimicus, in sui grave dispendium Viri ubique victoriosissimi vires prævalere, a castris eorum, quos ejus tuebatur præsentia, eum arte callida nititur amovere ; quatenus saltem elongato a certaminis loco insuperabili totius aciei protectore, in reliquo liberius grassaretur agmine. Sciens namque Serpens virulentus, Virum Dei libertatem Ecclesiæ impensius zelare; qui nec subjectis sibi ecclesiis pecuniarias ullatenus exactiones imponeret, nec quibuscumque potestatibus, tale quid a sua exigentibus Ecclesia, ulla ratione acquiesceret : in talem eum perplexitatem conatur inducere, ex qua, præter aliquod saltem inconveniens, haud facile quivisset erumpere.

Armatus igitur astutia viperea malitiæ, perversas quorumdam familiariter subditorum sibi instigat mentes; per quos Regis animos contra sanctum Virum ad novas et inopinatas querelas excitaret. Suggeritur per eos Regi, ingentis cujusdam debiti, quod ei annuatim solvere tenebatur, Lincolniensem Episcopum esse debitorem [al. detentorem] : unde et reus, ut vulgo dicitur, in ejus misericordiam incidisset, et ad summam æris plurimi fisco ex diutina

retentione refundendam addici potuisset. Nam Lincolniensis quidam olim antistes, dictus Alexander, qui tertius Hugonem præcesserat, pallium centum argenti marcis appretiatum Regi tempore suo imperanti per aliquot imprætermisse annos dedisse ferebatur. Cujus successor, vocabulo Robertus, idem egisse aliquoties dicebatur. Hinc calumnia in Hugonem devoluta : et non solum hoc, quod eum Pontificatus sui tempore quotannis debuisse præstare memorabant, anxie ab eo repetunt; sed etiam, pro injuriosa Regii muneris subtractione, ipsum ad Regis nutum satisfactioni esse obnoxium, satis invidiose decernunt. Nec tantum personam Episcopi, immo et Ecclesiam, cujus et ille onera subiisset et emolumenta perciperet, pro tempore Walteri sui prædecessoris, qui nec ipse pallium Regi debitum aliquando dedisset, et detentionis ream et redditionis debitricem esse perhibebant.

Conventus itaque super talibus ab ipso tunc Rege Richardo Episcopus, vix tandem (nimirum adversante sibi, ut ferebatur, quam maxime Archiepiscopo sæpius memorato) pro tribus millibus marcarum, tam a repetitione subtracti muneris quam et ab ejusdem in posterum collatione, et se et suos eripuit successores; suamque temporibus perpetuis a præstationis illius onere absolvit Ecclesiam. Nihil enim indignius, nihil sibi intolerabilius fore æstimabat, quam Sponsam Regis æterni, aut se ipsum, illius pro tempore custodem, homini mortali censualem constituere et quodammodo tributariam exhibere. Invenit ergo arctum licet et angustum foramen in maxilla Leviathan, per quod illud inconveniens effugeret morte ipsa molestius, quo Ecclesiam Reginæ Cœli quam regebat terreno Regi vectigalem quodammodo fieri nitebatur. Exemit igitur eam a servitute degeneri, * proprio nil metuens sed publico peculio [al. * proprii nil metuens exilitati peculii]. Paratior quippe erat se ipsum perpetuæ addicere egestati, quam periclitanti minus adesse Ecclesiasticæ libertati.

Cæterum unde Viro liberalissimo hæc tanta proveniret pecunia? Qui omnes semper annuos redditus vel quoscumque proventus, ad impendia misericordiæ, et in sumptus justæ necessitatis, effundere solitus erat; cui nunquam, ultra præsentis anni spatium, quidquam pecuniæ erat residuum : quippe cum et mutuum æs frequenter sumeret alienum : ubi, inquam, inveniret vel unde perciperet quæ Regi persolveret tot millia talentorum? Erat quidem paratum ad manus consilium, si, quod propriis deerat crumenis, a subditorum vellet extorquere loculis. Sed qui non modo pecuniam, immo et propriam pro sibi commissorum indemnitate in votis semper habuerat ponere animam, qualiter eis suam extorqueret substantiam? Vel qui suam a præbitione ignobili eximere satagebat Ecclesiam, quo-

modo aliorum Ecclesias oneraret ut se ipsum relevaret, et pro sua libertate jugum eis imponeret servitutis?

Jam itaque Viro Dei videbatur unicum superesse remedium, quod et sibi erat satis votivum : ut ipse scilicet ad suam interim secedens Withamiam, ibi solitarie degens, proventus universos totius Episcopatus ad summam hujus debiti persolvendam converti ordinaret. Gaudebat toto animo et exultabat, quia non modo justam et honestam, immo et necessariam se putabat invenisse occasionem, ut a mundanis tumultibus aliquamdiu secederet, ac secretis cœlestibus eo suavius quo et liberius inhæreret. Jam sibi blanditur et applaudit de assertione Pauli, scire se perhibentis *Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Sperabat enim, juxta deliberationem suam, ex inflicto rerum dispendio temporalium æternum mercari compendium, fructumque ex brevi carpere jactura copiosum.

Verum, ut hoc suum propositum notitiæ suorum intimavit Clericorum, obniti vehementius universi cœperunt, intolerabilem sibi prorsus illius tantam remotionem protestantes. Sed et religiosæ personæ innumeræ, ne id fieret quod disponebat, magnopere dissuadebant. Denique universis diœcesis ipsius ecclesiasticis personis in commune placuit, ad expeditionem Matricis suæ Ecclesiæ, pecuniam de suis copiis animo libenti conferre; unanimiter quoque, ut Patrem et defensorem pium atque fortissimum, ipsum obnixius flagitabant Episcopum, ne hujus rei gratia suam ab eis aliquatenus præsentiam absentaret. Ita, multum licet invitus et coactus, filiorum suorum petitionibus et consiliis acquievit amicorum, suæ præponens desiderio voluntatis pium generalitatis decretum. Suis vero districtius inhibuit Officialibus, ne a quovis hominum quidquam exigere amplius præsumerent, quam quod voluntate spontanea quilibet obtulisset. De proprio autem peculio, quantum facultas admisit, dari præcepit.

Sicque Provinciales ecclesias potius, quam earum Matrem ecclesiam Lincolniensem, a turpi simul et gravi diu inolitæ jugo servitutis semel eripiendo, perpetuæ restituit libertati. Nam quod, citra cujusque gravamen, a Clericis semel modo percepit eorum (ut sic dicatur) redemptor et manumissor Hugo, hoc, immo multo amplius, non sine plurimorum gravamine, extorquere solitus erat uterque præmemoratus hujus tributi inventor et redditor : palliata scilicet, sub prætextu Regalis pallii, ambitione Pontificali. Quod tamen ex nobis dicere non audemus; sed hoc dicimus ex sententia plurimorum, qui sæpius ex tali divitum collusione egestati suæ gemebant illudi. Nam et ipse Rex, edoctus, ut credebatur, a quibusdam, lac suarum ovium usque ad expressionem butyri libenter et frequenter emulgentibus, hoc Episcopo potius quam sibi profuturum dixerat : qui,

more prædecessorum suorum, multa sumeret a suis Clericis, unde vix pauca daret pro pallio appendendo suis humeris.

At verus et bonus Pastor, quantum oves sibi creditas diligebat, tantum immunitatem illorum zelabat, quantum in se esset. Sicut omnem avaritiam sedulo fugiebat, ita et occasionem avaritiæ summis, ubi posset, nisibus jugiter evellebat. Unde et mulctam pecuniariam a quibuscumque delinquentibus, tam Archidiaconos suos quam eorum Officiales ac Decanos exigere prohibebat : nimirum veritus, ne pro muneribus aliquando aut opprimerent insontem, aut in suis excessibus sontem foverent, juxta illud antiqui Legislatoris, *Munera excæcant oculos sapientium et subvertunt verba justorum.* Item illud Scripturæ alterius, suis altius crebro ingerebat: *Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.*

E contrario illis frequenter asserentibus, plus terrere improbos pecuniæ dispendium, quam excommunicationis probrum, aut etiam corporalium afflictionem pœnarum illis indicendarum ; ille e diverso asserebat, illud ipsorum negligentiæ adscribendum, qui remissius se haberent in corripiendis et districtius coercendis illis qui peccassent; nec eos tam studiose observare, ut illi injunctam explerent satisfactionem, quam observarent ut sibi pollicitam enumerarent pecuniæ taxationem. Illis interdum pro se allegare studentibus, ac dicentibus gloriosissimum Archiepiscopum ac Martyrem Thomam hujusmodi a delinquentibus sumpsisse mulctas, ille confestim respondebat: « Credite mihi, inquit, non idcirco Sanctus fuit. Alia enim virtutum merita Sanctum exhibuerunt, alioque meruit titulo palmam Martyrii. »

CAPITULUM VIII.

QUOD JUS PATRONATUS IN MONASTERIO EGNESSINIENSI [EYNSHAM], CONTRA IPSUM REGEM ANGLORUM, IN CURIA IPSIUS SUDORE MULTO OBTINUERIT.

Viro itaque sancto hoc ordine liberato, ac laqueo venantium nutu Dei contrito, invidia perversorum (quæ utcumque superari potuit, quiescere a consuetis malitiæ suæ artibus nescivit) iterum Viri simpliciter gradientis pedibus novas struit pedicas, iterum recentes molitur insidias. Novis siquidem fraudum cumulis [al. cuniculis], ad antiqui juris Ecclesiæ suæ haud leve præjudicium conatur subrepere.

Cum enim ab adventu Normannorum in Angliam, bellico sibi jure superatam et subditam, per annos centum et eo amplius, ecclesia Lincolniensis continue et inconcusse usque ad id temporis patronatum gesserit Egnessini monasterii, hanc ei dignitatem subripere maligni quidam pertinaciter sunt aggressi. Beatus sane Pontifex Remigius (quem, in brevi post triumphatam Insulam, gloriosum habuit Cathedralis ecclesia Lincolniensis Fundatorem), vastatam, fu-

gatis hostili metu Fratribus, prænominatam reformaverat Abbatiam : quam sibi authoritate Regia inclytus Triumphator Wilhelmus ita confirmasse dicebatur in propriam, ut præter ipsum Episcopum et ejus successores, nulla in eam vindicare præsumeret ecclesiastica seu laicalis persona quamcumque dominationem.

Accidit ut, anno Præsulatus decimo B. Hugonis, venerandus hujus cœnobii Rector et Abbas migraret ad Dominum, nomine Godefridus; qui a diebus Regis Stephani, usque ad tempora regni penultima Richardi filii Henrici Regis, annis circiter quadraginta quatuor, loco eidem noscitur præfuisse. Quo Episcopus audito, misit juxta morem antiquum, ex suis Clericis unum, qui Abbatiæ custodiam in manus suas reciperet, ac rerum monasterii una cum Fratrum diligentia solicitudinem gereret, quousque Abbatis instituendi canonica electio celebrari potuisset. Cæterum tam vacantis custodiam Abbatiæ, quam substituendi Abbatis debitam facultatem, qui Regiis in Anglia præerant negotiis Episcopo nitebantur auferre. Nam Rex ea tempestate in transmarinis confligebat cum Francorum rege Philippo.

Complures itaque viri prudentes et Episcopum sincere diligentes, persuadere ei conati sunt, ne, ut dici solet, * contra ictum obadversantium atque potentiam, interim brachia minus valida inaniter fatigando exerceret [al. * contra ictum fluminis brachia, ob adversantium multitudinem atque potentiam interim minus valida, inaniter fatigando exereret]. Asserebant namque Regis genitorem Henricum generali constitutione decrevisse, ut universæ regni Abbatiæ in sua manerent dominatione; nec fore æstimabant de facili, ut contra patris decretum filius (eo ut videbatur in multis pertinacior) gaudere eum sineret privilegio, avitis licet temporibus obtento. Denique negotium hoc laboris plenum, modice fructuosum, multimode damnosum, nullatenus monebant attentandum. Metiendum cum labore etiam fructuoso laborum fructum suggerebant; nec maxima, aiebant, subeunda rerum immutabilium [al. innumerabilium] dispendia, quæ jam citius [al. certius] præviderent ex hac controversia sibi suisque emersura, ubi quod attentabat spes esset assequendi fere nulla, forte etiam assecuti utilitas parva.

Talia suggerentibus Vir singularis confidentiæ miræque discretionis confestim respondit : « Absit ut mortalium quispiam præsumat statuere tale decretum, unde Deo nostro et Beatissimæ Cœli Reginæ quod suum est auferre prævaleat. Hujusmodi leges, etsi justæ essent, futuris duntaxat negotiis formam darent ; non etiam convellerent statuta priorum. Quis vero prædecessorum meorum tali subscripsit decreto, quo solo posset juri non immerito præscribi eatenus ab eis possessio ? Absit enim ut personæ cujuscumque laicalis præeminentiæ statutum ecclesiasticæ li-

bertatis infringat privilegium. Mihi vero non contingat, ut qualiscumque timore potestatis, seu quantæcumque formidine difficultatis, jus Ecclesiæ Dominæ meæ, quantum in me est, deperire sinam. Cum enim sit satis pudendum a majoribus acquisitas, ab antiquis defensas, non etiam augere dignitates sanctæ Ecclesiæ atque libertates, quam est probrosum si ex inertia inutilis atque ignavi Rectoris, a suæ integritatis statu decidant, quæ per strenuum dispensatorem augmentari ac in melius provehi debebant ! »

Talia prosequens continuavit duobus semis annis, nec sumptibus, nec proprio sudori parcens, tum pro expedienda libertate canonici status præfati monasterii, tum pro tuenda dignitate sua, invictissime tam contra ipsum Regem, quam et contra plerosque subdolos clam sibi adversantes, cis ultraque mare decertans, tandem, favente Domimino, celebri potitur triumpho. Recognito namque per sacramentum viginti quatuor fide dignorum Clericorum pariter et laicorum, quid juris habuissent prædecessores ejus in illo cœnobio, adjudicatur ei ejusdem patronatus in Regis Curia. Hinc ei restituitur Abbatiæ vacantis custodia, præficiendique Abbatis jurisdictio plena et absoluta.

Post quæ, ad eam in propria accedens persona, per dies octo mansit in ea cum Fratribus loci, tanquam benignissimus Pater cum filiis charissimis, ingrediens et egrediens cum eis, in communi refectorio pariter convescens, eosque vino jucunditatis et dapibus suæ largitatis copiose reficiens. Tractabatur interea jussu ejus in Conventu super electione futuri Abbatis. Expleta vero hebdomada una, accitis Abbatibus vicinis aliisque Religiosis viris, præsentatur electio monachorum Episcopo sancto, ac solemniter confirmatur ab ipso.

Quibus rite gestis Pastor egregius Lincolniam proficiscitur; ibique in Cathedrali ecclesia, Egnessiniensis electus, cum favore cunctorum atque lætitia, ejus benedictione sacra in Abbatem honorifice promovetur. Instructoque solemni convivio, tam Clericis quam Abbati et monachis suis, discumbebat utriusque cohortis dux inclytus in medio eorum : mirum in modum gaudens et exultans in Domino, eo quod instar Pastoris summe boni alias oves adduxisset, quæ essent ex ovili alio, ut efficerentur de cætero unus grex istæ et illæ oves, et esset utriusque unus Pastor, qui sic mutuo sibi Ecclesiam et Abbatiam confœderasset, ut foret perpetim utraque unum. Dedit quoque Abbati novo virgam pastoralem argento et ebore pulchre vermiculatam, cum scypho ingenti atque insigni. Locum etiam ipsius commissum regimini pluribus ampliavit Beneficiis, et donariis decoravit ; ac paterno semper affectu tam ipsum, quam gregem ei subditum, fovit et dilexit.

CAPITULUM IX.

QUOD SPECIALIS EI GLORIA, SICUT ET EJUS QUONDAM PATRONO B. MARTINO, IN ORDINE FUERIT MONASTICO ; ET QUOD WITHAMIAM FREQUENTER ADIRE CONSUEVERIT ; ET QUALITER VIROS SÆCULARES INSTRUERE, QUALITER QUOQUE SEXUM FŒMINEUM MONERE SOLITUS SIT ; ET DE PRÆROGATIVA VERITATIS, CASTITATIS ET CHARITATIS IPSIUS ; NEC NON ET DE CUSTODIA SIGILLI SUI.

Erat namque ei, sicut et Patrono ipsius beato Martino, specialis gloria in Ordine monastico. Inter cujus multiplicem et mysticam varietatem, post Cartusienses charius et familiarius amplexatus est Cluniacenses, cæterosque illius habitus, quos silentia claustralia sub negotioso otio noverat spiritualiter excolentes. Hoc autem arctioris erga istos dilectionis studium, æmulatio S. Hugonis Gratianopolitani indiderat ei. Hic enim B. Episcopus, præcipuus olim adjutor et informator eorum, qui provide atque sanctissime Ordinem Cartusiensem primitus instituerunt, ab adolescentia sua hujus conversationis (scilicet Cluniacensis Ordinis) professor extitit et devotissimus observator.

De quo verbum quoddam eleganter ab eo sæpius prolatum, ut a beato nostro accepimus Hugone, illius scilicet et nominis et sanctitatis hærede, dignum duximus huic commendare historiæ. Cum enim habitu nigro idem Præsul inclytus et monachus eximius nitidissimam mentis et corporis obtegeret sanctitatem, et e diverso Cartusienses in suo amictu nitescerent albo, a quibusdam illorum interdum dicebatur ei : « Cur, Domine Episcope, qui Ordinem nostrum tantopere jugiter fovere, et eum tot præcipuis illustrare documentis studuistis, qui et apud nos ac inter nos quasi unus ex nobis crebrius manere dulcissimum semper habuistis, nobis etiam, deposita amictus nigredine, in vestitus candore assimilari hactenus neglexistis ? » Ad hæc nobilis ille, et carne et in Domino, voce non ignobili interioris sui status nobilitatem declarans, aiebat : « Nunquam profecto cuculla ista, quamlibet pulla videatur, verecundiæ injuriam fecit mihi ; et ego qua ratione repudii contumeliam facerem illi ? »

Et hæc quidem Sanctus de Sancto, Hugo de Hugone, ad ædificationem nostram, qui ei candidis induto adhærebamus in schemate nigro referre solitus erat. Adjiciebat Ordinis sui tenore antiquitus sancitum haberi, ut licitum sit professoribus suis, si observationes illas suis probaverint viribus aut moribus non satis congruere, ad istorum Instituta convolare.

Ad suam vero Withamiam singulis propemodum annis, semel aut bis secedere Vir sanctus consueverat. Qui licet ubique locorum constitutus, perfecte rem nominis exprimeret Jacob et Israel, hic tamen liberius dilectæ suæ fovebatur amplexibus, et uberius pascebatur decore formosæ Rachelis ejusque dulcedine fruebatur ; perfectius hic tædiosæ declinabat Liæ lippitudinem. Hic, quasi Eliæ et Enoch contubernio jungeretur,

turbines mundi tranquillitate Paradisi se mutasse gaudebat. Cœtus namque gemini consistentium ibi monachorum et Conversorum, quasi duos illos prætendere videbantur justitiæ et innocentiæ præcones; quos hactenus de communi morte mundi omnipotentia Conditoris noscitur exemisse. Hi nempe, sicut et illi, præ cæteris pene mortalibus, serene, tranquille et secure perfruuntur vitæ quodammodo cœlestis suavitate.

Inter medios istarum sortium Domini cleros dormiens ejusdem vineæ Domini Sabaoth in partibus illis plantator primus, inebriabatur ab ubertate domus Domini; sed minime derisus a Cham, quin potius colebatur a Sem et Japhet. Et quidem verecundiora sua detegebat eis, a quibus abluta et detersa velabantur vestigia pallio geminæ Confessionis, si quo fœdabantur pulvere mundanæ conversationis. Sic quoque tenacius custodiebat vestimenta sua, ne vel ad modicum in qualibet sui parte nudus ambularet; quo ejus quantulacumque turpitudo Divinis, sive Angelicis, aut etiam humanis conspectibus appareret. Sciebat namque, juxta Apostolum, spectaculum se factum huic mundo et Angelis et hominibus, et Dominum scrutari Jerusalem in lucernis. Erant vero ibi plurimi probabiles trapezitæ, qui librarent atque examinarent et dijudicarent secum figuram et pondus et metallum eorum quæ tractabat Dominicorum talentorum; ne quid minus purum aut legitimum inveniri potuisset.

Manebat more aliorum in cella solitaria, quæ semper ei absque inhabitatore vacua servabatur; in qua meditabatur et orabat, reficiebatur cibo, et somnum capiebat. Inde ad publicum quandoque, ut salutaret adventantes et sibi loqui cupientes, progrediens, cœlestibus quodammodo radiis ex consortio sermonis Domini cornutam gerere faciem diligenter intuentibus videbatur, quam miri cujusdam leporis comitate totiusque suavitate dulcedinis palliabat, ac colloquentibus sibi frontem contemperabat. Interea ex abundantia cordis loquebatur os ejus; eratque sermo ejus in corde audientis musto comparabilis, lenis [al. ignitus] videlicet et dulcis, quippe quem introduxerat Rex in cellam vinariam. Qui, juxta ordinatam in eo divinitus charitatem, omnibus propinabat, pro status sui exigentia, doctrinæ salutaris poculum, melle quidem cœlestis sapientiæ conditum, sed discretionis libramine [al. libamine] temperatum.

Nam laicis atque sæcularibus, angelicæ illius vitæ statum collaudantibus, et de suæ mundanæ vitæ impedimentis conquerentibus (quos tamen nec velle nec posse sciret ad perfectiora instituta vivendi transire), hujusmodi præferebat instructionem : « Haud solum, inquit, monachi, sed nec eremitæ tantummodo atque solitarii consequentur regnum Dei. Denique cum unumquemque judicabit Dominus, nequaquam id expostulabit, quod eremita quisque non fuerit aut monachus ; sed hoc potius [reprobo

cuique] exprobrabit, quod minime extiterit veraciter Christianus. Nam tria quidem a quolibet exigenda sunt Christiano; ex quibus vel unum si illi cum judicabitur defuerit,nomen illi Christianum prodesse non valebit. Nocebit potius nomen sine re, quia damnabilior est falsitas in veritatis professore. Exigitur autem ut virtus et veritas habeatur beati nominis hujus, quatenus indesinenter teneatur charitas in corde, veritas in ore, castitas quoque in corpore non fallaciter Christiani. »

Disserebat sæpe de his Vir Dei diffusius, harum distinguens virtutum proprietates atque differentias : docens etiam conjugatos, mensuræ suæ limites minime transilientes, castitatis decore nequaquam privandos, sed cum virginibus pariter et continentibus supernæ beatitudinis gloria donandos. Sic Sanctus simplicium animos informabat, quatenus, sub compendio quodam totius Christianitatis, suæ vocationis sic æstimarent summam depingi, atque de cætero se suosque verbo quodam abbreviato et perspicuo commonere atque instruere forent idonei. Ejus namque ad homines indoctos, ut Scriptura de prudentibus dicit, erat doctrina facilis : nam inter perfectos loquebatur sapientiam, quibusque exercitatissimis in studio sapientiæ admirandam.

Illa vero ejus ad simpliciores prædicatio, quemadmodum erudiebat auditores, ita interdum nos provocabat, qui vitæ illius eramus inspectatores, doctrinæ illius formulam adeo efficacem ad subtiliorem morum ejus considerationem referre. Monebat sane nos hæc toties repetita, ac cum tanto semper mentis ardore prolata illius exhortatio, scrupulosius hæc virtutum insignia in moribus ejus et vita perscrutari. A quibus demum animadversum est in quantum nostra æstimatio deprehendere potuit, omnes quos novimus mortales culmine excellentioris prærogativæ ipsum in prædictis virtutibus esse supergressum.

De cujus interim charitate, ut de singulis virtutibus his aliqua breviter tangamus, de charitate, inquam, quæ illi semper ad Deum et ad proximum prægnans in corde fuit (quamvis dignum aliquid vix quisquam effari queat) jam superius, in quantum imperitiæ nostræ sub tanto compendio possibile fuit, nonnulla digessimus. De privilegio etiam eximiæ castitatis cœlitus ei collato, illud in superioribus habetur expressum, quod a veracissimis ipsius labiis nostris fuit sæpe auribus infusum : qualiter scilicet, per visionem curata tentationis suæ plaga, cordi simul et carni ejus perpetua fuerit sanitas restituta.

De cujus privilegii munere securus, religiosas interdum matronas, similiter quoque et viduas, more aliorum Episcoporum suo in mensa lateri assidere faciebat. Palmis etiam mundissimis capita illarum constringens atque consignans, aliquoties etiam pectori suo castissimo leniter imprimens, eas de sectandis ve-

stigiis sanctarum fœminarum ubertim instructas, Deoque data benedictione commendatas, in pace dimittebat. Mulieribus quoque verbum dulcedine plenum, et memoria dignum, usu familiari dicere consueverat. Ut enim ad diligendum ferventius Conditorem ipsas provocaret, aiebat : « Satis a fœmineo sexu Deus omnipotens diligi promeruit, qui nasci de fœmina non refugit. Magnificum quoque et vere dignum ex hoc omnibus fœminis privilegium contulit. Nam cum viro concessum non sit, quod sit vel pater dicatur Dei, hoc tamen præstitum est mulieri, quod sit Parens Dei. »

Jam vero tantam in ore veritatem habebat, ut nullus sermo ab ejus exiret labiis, cui sentiret aliquid inesse falsitatis. Nam pro cautela vitandi cujuscumque falsi, cum referebat quidpiam, seu quæ egisset vel quæ audisset recensebat, aliquo semper temperamento utebatur, in his etiam quæ indubitanter et verissima esse noverat, ut diceret « Sic nobis occurrit modo », aut aliquid in hunc modum, quo temeritatem assertionis falsæ funditus declinaret. Nec minori quoque observantia veritatis sigilli sui reverentiam tuebatur: nihil unquam non verum in litteris suis sigillandis contineri passus. In quo adeo scrupulosus fuit, ut, juxta certam [al. tritam] scribendi formulam, cum citatorias litteras alicui ederet, in his nullatenus poni sineret « Meminimus te alias citasse » ; ne forte, quod in sua memoria non erat, in ea esse sua mentiretur chartula.

CAPITULUM X.

DE MODO CONVERSATIONIS EJUS APUD WITHAMIAM.

Ne forte cuiquam minus credibile videatur hoc quod de spirituali quadam vultus ipsius claritate in eo relucente, cum egrederetur a cella sua, supra tetigimus, aliud quiddam satis de eo suis familiaribus notum, a multis sæpe non absque stupore et admiratione notatum, veracissime huic narrationi duximus breviter inserendum. Quotiescumque enim a longinquis partibus ad illam sibi dilectam tendebat solitudinem, mox ut a remotis finitimam ejus ingrediebatur regionem, nitor quidam insolitus, colore decenter rubicundo superfusus, genas ejus cum facie simul tota vestire consuevit. Ipse quoque intima cordis sui, ad primum illius loci conspectum, ineffabili quadam jucunditate spiritualis gaudii sentiebat perfundi : quod suis familiaribus sæpissime fatebatur.

Quo jam consistente apud Withamiam, tantam in eo omnium sensuum innovationem superna efficiebat gratia, ut subito intus simul et extra renovari videretur ut aquilæ juventus sua. Deposito quidem pallio exterius quo utebatur in publico, quod ex nigro erat vel subrufo panno, candidis agnorum pellibus suffultum, pelles induebat arietinas nullo panni tegmine coopertas. Cilicio, ut semper, tegebatur ad nudum; hinc tunicam in medio superinduto velabat pelliceo. Ejus lectisternia hæc tantum erant : sagum, cervical, et pelles.

Mane cum manus de more ablueret, ut ministro nullo, ita nullo utebatur manutergio.

Missam devotissime, duobus contentus ministris, Sacrista scilicet loci et suo Capellano, quotidie celebrabat. Suam quoque, tanquam simplex monachus, agebat in Conventu septimanam, aquam die Dominica benedicens, Missam et Horas diebus singulis more solito percantans. Annulo Pontificali excepto, in reliquis sacerdotalibus indumentis a consuetudine Cartusiensium in nullo penitus differebat. Utuntur enim alba et amictu, stola, fanone atque planeta, planis et candidis, nec ornatis serico, nec aurifrisio seu gemmis.

Diebus Dominicis post cœnam, cum cæteris monachis ad ostium refectorii cum silentio et gravitate procedebat; ubi panis unus singulis, ad totius hebdomadæ victum, a Fratre interius existente præbebatur. Sæpe tamen, de licentia Prioris, ex cophino sive arca qua micæ condebantur, e Fratrum cellis seu e refectorio collectæ, crustulas duriores et minutias fragmentorum præ ariditate jam torridas, propriis manibus colligebat: non quod suus ei panis non sufficeret, immo superabundaret, sed hæc dicebat sapidiora sibi quam solidum panem videri. Revera quidem benedictionibus condita justorum, gratius sano ejus palato sapiebant. Scutellas, non modo quibus ei pulmenta fuissent ministrata, sed quas fortuitu illotas alicubi reperisset, delectabiliter gaudebat abluere. Tanta eas diligentia manibus digitisque nitidissimis interius exteriusque poliens, ac si calicem Domini tunc se contrectare putaret.

At verendum nobis est, ne minima hæc de Viro tanto diutius referentes, gravioris censuram Lectoris offendamus. Quæ tamen eo minus prudens Lector pro minimis reputabit, quo majoris fuisse humilitatis sagaciter advertet, quod tantus Sacerdos hæc minima et extrema tam solerter implevit. Ne tamen nimis protrahatur in longum hæc nostra qualiscumque narratio, innumera præterire decrevimus sub silentio, quæ ab eo gesta ibidem et dicta, nobisque explorata, multorum, si scriberentur, ædificationi erant profutura. Cæterum historias texenti sic de rerum multiplici copia feriati Lectoris est satisfactio procuranda, ne occupati negotiosa intentio existimetur prægravanda. Sed nec erit unde nobis studiosus auditor de jure succenseat, quod et fastidioso nos aliquatenus morem gerere deprehendat. Nam et avidis interdum convivis alimenta quæ minus sufficiunt, dum edendi appetitum suggerunt, membrorum nutrimento utilius inserviunt. In simili vero causa a viro doctissimo longe ante nos dictum recolimus : quia multa non proderunt, cui pauca non sufficiunt.

Hoc tamen, ut eum tandem de sua (quodam quasi violento narrandi compendio) extrahamus solitudine, hoc, inquam, de vero nostri temporis Christi præcone vel breviter dixisse liceat, quia

sicut magni Præcursoris Domini et Baptistæ venerator eximius et strenuus extitit imitator, ita in hac præsertim eremo constitutus, dirigebat indesinenter vias Domini. Qui etsi prava ibidem non inveniebat quæ dirigeret, vel aspera quæ complanaret, plana tamen et directa quæ invenisset ad perfectiora dirigebat, ut impleret illud Scripturæ dicentis : *Justus justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc*. Quod in se per Virum justum et sanctum accitari unusquisque sentiebat, qui ejus exemplo in Ordine [al. in Jordane] baptizari, in spiritu videlicet humilitatis peramplius et perfectius mundari, consentiebat.

Et ipse quidem omni tempore semel in hebdomada, id est die Sabbati, purissimæ Confessionis lavacrum frequentabat. Quod de traditione inviolabili Ordinis sui exequens, nullatenus omittebat. Quin etiam crebrius hoc ageret, mox ut aliquis ex quocumque facto, dicto, cogitatu, scrupulus præter solitum ejus animo subortus fuisset. Frequenter quoque, iterata innumeris vicibus Confessione, quidquid ab infantia invenisset se delicti commisisse, Domino revelare, ejusque vicarii, cui confitebatur, oratione veniam obtinere satagebat. Quasi vero minus esset, quidquid totius anni tempore alias fecisset, tunc in auribus discretissimis venerabilium servorum Dei, cum ingenti cordis contritione, id agere impensius curabat : indesinenter conquerens quod bona, si quæ ex dono Dei in se essent, ex suo reatu fieret quod pura satis non prodirent, mala vero sua, non aliud quam pura mala fuissent.

CAPITULUM XI.

DE VIRO OPINATISSIMO, MAGISTRO ADAM ; QUI EX ABBATE DRIBURGENSI CARTUSIENSIS APUD WITHAMIAM FACTUS EST MONACHUS.

Erat vero apud Withamiam vir summæ, ac in rebus divinis, pene dixerim, incomparandæ eruditionis et doctrinæ; qui, dimissa Abbatia Præmonstratensis Ordinis quam regebat, ad hujus se conversationis studium [al. stadium] mirabiliter sublimando deposuerat. Dicebatur Magister Adam de Brabantia [al. Driburgh]. Qui, amore præventus vitæ contemplativæ, cujus a primævo juventutis flore felici desiderio æstuaverat, cujus et primitias diu jam felicius prælibaverat, datis sibi cœlitus pennis columbæ, ad hanc solitudinem convolaverat : ubi per quina circiter annorum lustra, sub felicissimo supernæ contemplationis monte [al. somno] quiescebat.

Cum isto igitur frequentissimum erat sancto Pontifici colloquium. Hi, quasi geminæ tubæ argenteæ ductiles, cœlestis eloquii nitore splendentes, regularis quoque disciplinæ exercitiis subtilius elimatæ, mutuis se sublimium exhortationum clangoribus ad fortia militiæ spiritualis studia incitare non desistebant.

Ingerebat Eremita Pontifici de Scripturarum eloquiis exempla perfectorum et dicta Prælatorum, incusans modernorum inertiam Pastorum, quorum adeo mores et studia ab eximiorum vestigiis exorbitarent suorum prædecessorum, adeoque degenerarent a virtutibus eorum. Interea et ad ipsum cui loquebatur repræsentans sermonem, « Te, inquiebat, homines plurimi tanquam bonum et magnum Ecclesiæ Dei Rectorem mirantur; sed, quæso te, ubi saltem umbra digni Pastoris in gestis tuis relucet? Nec de mediocritate vitæ ac conversationis tuæ nunc mihi sermo est. Sit modo cum imminentis jam illius adversarii faciem generalis virtutum præcedit egestas; sit, inquam, modo cum ad januam jam assistit Filius hominis, nec invenit fidem super terram; sit modo præconio dignus, qui pessimus non fuerit : vocetur beneficus, qui mala quæcumque potuerit proximo suo non intulerit. Et hæc quidem perfectio potentibus magna videtur, si vix aliquem juvent, et non universos premant. Tales nunc sancti habentur et laude digni.

« Quid vero de commissorum tibi negotiatione talentorum sentiemus? Quæ lucra, quas usuras reportaturum te confidis, inter egregios illos Institores, qui, omnia terræ marisque pericula experti vel perpessi, non modo plantaverunt, sed et ornaverunt et munierunt Ecclesiam sanguine suo? Hi, ut fame pereuntes refocillarent, de longe portantes panem suum, in his ultimis Oceani finibus delitescentes vagos [al. nugas] qui perierant requisierunt, quos ab ipsis portis mortis ad civitatem Domini virtutum reduxerunt. Illi quidem laboraverunt; et vos in labores eorum, non ad laborandum, sed pene dixerim ad lasciviendum, ut autem temperantius loquar, ad ludendum et feriandum introistis. Unde vinea Domini Sabaoth inculta jacet, et sentibus operta squalet. Conculcant eam omnes qui prætergrediuntur viam : maceria enim lapidum ejus diruta est, et nemo est qui resarciat sepem ejus. »

Hujusmodi satis innumera is prosequens, ut erat fons exuberantissimus cœlestis doctrinæ, reciprocam ab Episcopo petebat et recipiebat sermonis vicem.

CAPITULUM XII.

DE QUATUOR VIRIS ILLUSTRIBUS COMPENDIOSA, ET ÆDIFICATIONIS PLENA, S. HUGONIS NARRATIO.

Sæpissime ergo de suæ regionis, quos modernis pene temporibus perfectam duxisse vitam noverat, et monachis et Eremitis et Episcopis, admiranda retexebat virtutum monimenta. Ex his vero, exempli gratia, quatuor duntaxat illustrissimorum virorum mentionem nunc compendiose inducimus; de quorum gestis seu meritis [al. verbis] maximam Lectori ædificationem sub exiguo verborum impendio comparare studemus.

Et primo quidem duorum admodum venerandæ sanctitatis virorum de una eademque causa geminam sed diversam

sententiam explicamus, scilicet Hugonis Gratianopolitani antistitis, de quo paulo superius perpauca tetigimus, et S. Ancelini [Anthelmi] Bellicensis ecclesiæ reverendi præsulis : quorum posterior Cartusiensis, prior vero Nerobridensis [al. Liridensis, *sed potius* Casæ Dei] monachus fuit. Ille autem, cum miræ esset verecundiæ et summæ pudicitiæ, nullam penitus fœminarum dignoscibiliter intueri solebat; præter unam solummodo, quæ ejus, ob animæ suæ causam, nimium consilio indigebat. Quam idcirco Vir sanctus facietenus nosse voluit, quatenus eam eminus consistentem et sibi loqui cupientem, ad se, cum esset opportunum, accersire posset. Cum itaque super hujusmodi cautela oculi in mulierem non figendi sermo haberetur, coram memorato Bellicensi Episcopo, dicere idem Sanctus consueverat : « Ego sane, inquit, fœminas indifferenter quaslibet aspicio, sed mox universas excorio. » Quod ea ratione proferebat quod nimirum suo aspectui illecebrosæ cutis præstigium lenocinari non sineret, cujus animus affectu voluptatis extrinsecum non intueretur nitorem, sed potius motu doloris, veluti pelle subducta, intrinsecus latentem conspicaretur corruptionis fœditatem.

Itidem de Gerardo [*lege* Guillelmo] quondam Nivernensium consule seu comite referebat : qui inter cæteras virtutum dotes humilitate singulari præradiare consueverat, ac gloriæ inanis præcipuus contemptor extiterat. Qui cum gravitatis et sapientiæ prærogativa omnes excederet finitimos Proceres, tam a Christianissimo Francorum rege Ludovico, quam et a cunctis regni Optimatibus, quasi unus omnium Parens unico colebatur affectu. Nihil in ejus præsentia vel etiam ipse Rex ludicrum verbo aut facto proferre audebat. Unde contigit ut tempore quodam Rex ludentibus forte assidens, Consulis adventu comperto, scaccarium quod in medio erat summa cum festinatione tolli juberet. Timebat enim durius objurgari a viro, si se deprehenderet hujusmodi levitati animum intendisse. Quod non aliter quam Rex timoratus futurum dixerat, mox evenit. Nam superveniens repente Gerardus, Regem dissimulare cupientem, nec valentem, quod ludentibus se miscuisset, ita increpat : « O te, inquit, Principem insignem et populi Dei strenuum Provisorem, qui mentem Regiam hujusmodi ineptiis enerviter subigis! Cui omne vitæ tuæ momentum vix sufficeret, ut ea excogitares quæ te, in regimine ne delinqueres vel ne regni utilitatibus deesses, instruere ac munire potuissent, quomodo in his vanis implicamentis et tempus expendis, et vigorem mentis indecenter resolvis ? »

Hic etiam inter Consules et Nobiles viros sæpe in Regia quoque positus concione, horis solemnibus ad orationem in partem secedere consuevit; flexisque genibus, aut toto in terram prostrato corpore, cum lachrymis et singultibus Divinam implorare clementiam. Quod

dum sæpe in campis vel pratis, aut quibusque locis publicis, sub aspectu cunctorum faceret, a suis interdum familiariter corripiebatur, asserentibus quod hypocrisim, aut cenodoxiæ vitium, hæc redolere quæ agebat a plurimis dicerentur. Ad quæ vir constantissimus in nullo penitus movebatur : stillantibus vero per genas ubertim lachrymis, verbum memoria dignum proferebat: «Absit, inquiens, absit, ut proditoris crimine ullatenus polluar, mihi usurpando gloriam Domini mei. Si adoro et exoro Dominum Deum meum, non mihi peccatori, sed do gloriam glorioso et sancto Nomini ejus. »

Cui tandem cum Ludovicus Rex, Jerosolymam petiturus, de consilio Magnatum suorum custodiam delegare totius regni sui disponeret; ille onus oblati honoris callide refugiens, asserebat se in votis jam dudum habuisse, ut crucem sumeret et Jerosolymam visitaret. Quo Rex audito hilaris efficitur : non modicum exultans quod tantum virum suæ peregrinationis comitem se invenisse speraret. Præcepit ergo quatenus, suis omnibus concite dispositis, votum suum adimplere maturaret. Qui, a Rege dimissus, amicis valefaciens, Cartusiam profectus est ; ibique balteo in funiculum, et serico mutato in sagum, inter Conversos vere meruit computari; ubi, crucem Domini quotidie tollens, et ipsum indesinenter sequens, verus mundi peregrinus non ante destitit de virtute in virtutem ire, quam mereretur in Sion Deum deorum videre.

Ad quem visendum, post multum temporis spatium, filius ejus egregiæ indolis adolescens profectus est; quem ille parvulum, sibique hæreditario jure successurum, in patria sua olim dimiserat. Qui veniens Cartusiam, patremque videre desiderans et deposcens, didicit eum tunc in superiora montis ad tundendas oves perrexisse. Quem diutius expectatum tandem conspicit in habitu pauperrimo deorsum venientem, ac vellera recenter tonsa cervice onusta deferentem. Quem ille quidem minime agnoscebat ; sed accepto a Fratribus qui astabant, hunc suum esse genitorem, valde animo compunctus occurrit ei, tenensque vestigia ejus et exosculans, præ gaudio cœpit lachrymari. Qui ad patris amplexus et oscula ab ipso erectus, intuetur sinum ipsius et collum barbionum examine scatere. Quo juvenis viso nimium exhorruit; ac vermes edacissimos tollere cupiens, talia sibi a milite Christi fortissimo audivit: «Sine, inquit, fili charissime, istos vermiculos vermi qui non moritur suam præripere prædam. Votivus omnimode et delectabilis mihi est morsus istorum, per quos inexplebilem gehennalium edacitatem vermium me, Domino miserante, spero evasurum. »

Multa de hujus viri virtutibus ac gestis et alia referebat, quæ gratia compendii sub silentio compellimur præterire. [*Vide quæ de hoc Fratre Guillelmo dicta sunt ad diem 20 Augusti.*]

Nunc vero, quia promisimus saltem de bis binis viris illustribus Patroni nostri retexere narrationem, cujusdam viri admirabilis a Moriennæ finibus oriundi brevis est historia perstringenda; cujus nec granum sinapis fidei, nec devotioni rogus flammivomus comparari valet. Hic, domo liberis et uxore relictis, Terram in cujus medio Deus humanam est operatus salutem, contra hostes salutiferæ Crucis militaturus adierat. Ubi strage innumera de perfidis sæpe Saracenis [al. Agarenis] fortiter, ut erat miles strenuissimus, exacta; tandem, occulto Dei judicio, qui Filio suo non pepercit, a gente furcifera interceptus, captus et vinctus, in terram Mahumeticolam est adductus. Quod ad solatium provenisse Christianorum, qui inter perfidos tenebantur servili conditione, aut etiam carcerali squalore afflicti, plurimis claruit indiciis. Qui tandem horrendo et ipse carceri addictus, cum multitudine captivorum, quos in libertatem gloriæ filiorum Dei captiva adhuc parturiebat filia Sion, diutino squalore exercetur, quo in superni Regis ornamentum quandoque nive candidior assumi mereretur.

Contigit post hæc, ut vir ille potens in iniquitate, qui hos tenebat in ferali conclusione, omnes pariter juberet capitalem sententiam subire. Cujus sceleris executionem filio suo demandavit, qui, adolescentiæ metam supergressus, rudimentis jam cœperat exerceri militaribus. Hæc vero testium Christi passio eo die erat celebranda, quo egregius triumphator Laurentius palatium Summi Regis meruit introire, corona celebri laureatus.

Tunc vir memoratus, tali audita sententia, lætissimus effectus, socios cœpit verbis potentibus animare ad agonem. « O nos, inquit, viri fratres, o nos felices, quos, licet indignos et peccatores, hodierna lux tanti dabit Martyris esse consortes ! O quam beata lux, et quam jucunda hodie nobis exoritur, qua, tenebris et angustiis procul pulsis, mundus Paradiso, carcer captivis mutabitur Cœlo ! Nectar cœlicum, cujus suavitatem in his quoque reclusi angustiis quotidie meruimus prælibare, hodie se nobis toto infundet gurgite. Torrens voluptatis intimæ, cujus hactenus quasdam stillas prægustavimus, rorem quo sumus delibuti in fontem nobis convertet, quo erimus ad ebrietatem perpetuo satiandi. Jam præ foribus, cum multitudine cœlestis exercitus, rosea quibus coronemur gestans serta, assistit Laurentius gloriosus hujus diei Patronus; assistit, inquam, ut nos ad locum certaminis de ergastulo, ad triclinium æterni Regis de præsenti exilio cum gaudio deducat infinito. »

Talibus peroratis, adsunt carnifices, producuntur e carcere Christi victimæ, exerunt funestas dextras satellites Satanæ, metuntur fruges Dominicæ, æthereis confestim apothecis inferendæ. Verum lictoribus hinc inde cæteros laniantibus, athletam fortissimum nul-

lus impetebat. Ingerere se in percussorem nitebatur, sed non reperiebat qui tangeret eum. Intuitus enim et miseratus filius Principis, qui huic palæstræ præsidebat, canos viri, formamque corporis cunctis spectabilem, ab illius effusione sanguinis decreverat supersedendum. Hunc igitur, cæteris omnibus ad sidera transmissis, a vinculis jubet relaxari atque ad suos abire illæsum. Qui, optata se ingemiscens fraudari corona, mœstissimus revertebatur ad propria.

Cunctis vero palam solebat referre, quia jugiter dum teneretur in prædicto carcere, certa quadam diei hora, una cum suis concaptivis, inæstimabili perfrueretur odoris nectarei suavitate : cujus, ut asserebat, suavitatis modum et magnitudinem nulla mortalium aut mens concipere, aut lingua poterat explicare. Unde nimio affectus tædio, super Divinæ illius visitationis qua quotidie refici consueverat privatione, nec jam sustinens sæcularis consuetudinem vitæ, cum armaretur die quadam, ut de more procederet cum suis ad condictum certamen exercitii militaris, digito quemdam locum designans non procul a suo stomacho, ingemuit et ait : « Væ mihi misero, qui a tantis bonis ad tot mala, peccatis meis exigentibus, devolutus sum ! Verum tuam, o Fili Dei omnipotentis, exoro clementiam, quatenus hodie jubeas hic transfodi corpus hujus peccatoris, ut hac saltem occasione mundi hujus vinculis absolvi, et de cætero tuis servitiis ex integro valeam mancipari. »

Quod et factum est. Nam perveniens ad campum supradicti certaminis, obvium habuit militem, qui lancea transverberavit corpus ejus. Quem, non sine immenso luctu omnium qui convenerant, clypeo suo impositum et ad vicinum monasterium Cisterciensis Ordinis delatum, Deo ibidem reliquerunt, ut optaverat, fumulaturum. Qui mox veste donatus monachali, facilitate incredibili redonatur etiam integerrimæ sospitati.

Cui postea moris fuit semper æstivo tempore Cartusiam visitare. Qui etiam diebus plurimis ibidem degens ac solitarie agens, singulorum vitam sancta curiositate explorabat ; morum instituta, virtutum studia, ab universis inquirebat ; ac demum, velut apes prudentissima, a floribus redolentibus mellis suscepto munere, ad suos redibat. Quidquid vero de perfectioris Vitæ institutis ibidem didicisset, sic suis communicabat sodalibus, ut hoc propriis niterentur exprimere virtutibus. Hic vero constitutus, Cisterciensium instituta vitamque extollebat ; inde ad Cistercienses regressus, Cartusiensium religiositatem præferebat. Sic itaque tam hos quam illos ad virtutum incrementa, veluti quibusdam stimulis, alterum ex alterius laudibus incitabat : non solum autem, sed et in suis eos humiliabat laboribus et studiis, ex commendatione mutua alienæ sanctitatis. Tantus autem fervor in sancta Religione, tantusque rigor in

conversatione pia ei fuit, ut esset omnibus sanctitatis speculum et exemplar probitatis.

Talibus vero venerabilis Hugo noster suos alebat Withamienses ferculis verborum. Taliter eos fovebat spiritualibus tegumentis, ne in arrepto tepescerent sanctitatis proposito, per exempla justorum.

CAPITULUM XIII.

CUJUS MAXIME REI GRATIA WITHAMIAM INVISERE CONSUEVERIT ; ET DE FRATRE AYNARDO JUCUNDA NARRATIO.

Ejus quoque rei gratia ad eos venire, et quantum licuit inter eos manere summopere cupiebat, quatenus non tantum sumeret ab eis, sed etiam impertiretur eis quidquid posset gratiæ spiritualis. Quod nihilominus, Domino cooperante, efficaciter adimplebat. Nam et fortes exhilarabat, infirmos roborabat, vacillantes stabiliebat, stabiles ad sublimiora provehebat.

De quo genere illud ejus opus jucundum fuit, quod circa longe superius memoratum Fratrem Aynardum comiter satis et industrie gessit. Qui jam senex admodum, utpote qui ab annis pene centum, in diversas mundi partes, pro instituendis illius Ordinis Domibus, a suis Cartusiensibus longe lateque directus, demum jam decrepitus hujus negotii causa pervenerat Withamiam, Cartusiam redire cupiebat. Videbat enim, opitulante Dei omnipotentis misericordia, jam locum ipsum tam interius quam exterius ad perfectionis culmen feliciter enituisse. Disponebat igitur ad suos redire, et cariosa jam membra bustis Sanctorum, qui eum adolescentem olim educaverant, sociare. Verum cum cerneret suam de die in diem variis rationibus illudi intentionem, nec jam ferret eam qua mens sua æstuabat desiderii vehementiam, valedicens Fratribus, tremulos baculo sustentans artus, abire cœpit.

At Episcopus solitis tunc in cella sua vacabat exercitiis contemplativæ dulcedinis. Caverat enim senex ille devotus, ne quod moliebatur ei citius innotesceret, a quo se maxime præpediendum multis jam argumentis certissime præsnoscebat. Sed non in longum res latere eum poterat. Mox ergo ita pedibus usque ad interiora vicini nemoris eum insecutus, his illum verbis affatur : « Parcat tibi, inquit, omnipotens Deus, Frater Aynarde ! Quid enim est, quod agere decrevisti ? Quid absque alumno tuo recedere, meque solum, et destitutum dulci nutritoris solatio, in terra aliena relinquere cogitasti ? Equidem non ignoro quam pio ducaris desiderio, ut supremæ jam vitæ tuæ reliquias inter sanctos Burgundiæ Eremitas expendere valeas. Verum me potius et ratio urget et voluntas, ut hoc ipsum agam. »

Extracto igitur annulo Pontificali a digito, et accersitis ad se Clericis suis, ait eis : « Ite quantocius, et hunc vo-

biscum annulum deferentes, ac salutantes verbis nostris Dominos nostros Lincolnienses, denunciate illis quatenus alium sibi provideant et eligant Pontificem, ut nobis de cætero amicam liceat fovere solitudinem. Nimis diu est, ex quo inter mundanos versor turbines; sanctæ conversationis dulcedini, in qua a puero coalui, vanas et amaras occupationes hujus sæculi non recte anteponens. »

Talia eo prosequente, timere cœpit ac tremere vir ille desideriorum; quem ducebat non dulcedo natalis soli, sed flagrans amor Poli; stetitque stupefactus. Tunc Clericis super tali infortunio conquerentibus, quo per eum suo forent Pastore destituendi, et exaggerantibus vehementer incommodum hujus mali, ille, suffusus lachrymis et ingemiscens graviter, pedibus advolvitur Præsulis sancti. Cumque ore facundo atque doctissimo Laicus Episcopo niteretur tum precibus tum rationibus persuadere, quia non ita sibi liceret divinitus commissas relinquere oves, nec illum hoc modo flecti conspiceret, complectitur genua ejus, dicens : « Vere, ait, quamdiu spiritus [vitalis] hos reget artus, non te permittam gregem tuum relinquere, et, plurimorum salute contempta, tui ipsius tantummodo curam gerere. Melius mihi est in terra peregrina usque in finem morari et tandem morte finiri, quam authorem fieri tanti dissidii. Redeamus igitur ad solita; ne, dum quærimus quæ nostra sunt, negligere culpemur quæ sunt Jesu Christi. »

Ita, quem ab intentione recedendi a loco prius flectere tempore multo nullus prævaluit, prudentia Viri sancti in momento non modo flexit, sed etiam ut, eo minime discedente, et ipse quoque non discederet cum vehementi instantia ipsum exorare coegit. Inito itaque vicissim fœdere, quod ille Withamiam non desereret, nec iste Lincolniam, redeunt alacres : pariter gaudente utroque quod alter de altero triumphasset.

De isto quoque viro cum possemus innumera notitia cunctorum referre digna, ne tamen a proposito videamur longius discedere, pauca saltem de insignibus ejus gestis summa curabimus brevitate perstringere. Dignissime vero triumphalibus Ducis illustrissimi titulis egregii commilitonis ejus memoriale credimus inserendum; ut cum quo in terris laboris et patientiæ, cum quo in Cœlis mercedis et coronæ particeps meruit veraciter existere, cum eodem quoque perennis memoriæ celebritatem apud homines valeat obtinere. Sed nec adeo barbaram sub cœlo gentem includit Oceanus, quæ posset Aynardi apud se commorantis præconia non mirari, aut ejus ad Cœlestia jam sublati merita laude celebri minime venerari.

Hic quondam a Cartusia in partes Hispaniarum missus, gratia informandæ cujusdam novæ Domus Ordinis sui, duos bonæ religionis viros, in eremo

degentes sibi vicina, in magnæ familiaritatis gratiam susceperat. Contigit autem ea tempestate Saracenos, a finibus Africæ in illas regiones irruptione facta, multaque hominum cæde subito patrata, spolia inde cum præda copiosa ad suos exportasse. Qui inter viros quoque et mulieres quos prædantes ceperant, Eremitas Aynardo charissimos pariter abduxerunt. Quo ille cognito, extorta potius precibus importunis et lachrymis, a Priore et Fratribus, quam ultro impetrata licentia, navigavit ad Africam. Quo dum pervenisset, ac dictos Dei famulos solicite inquisitos demum invenisset, non ante destitit virum potentem qui eos captivos tenebat, rogando, monendo, pœnas divinitus inferendas minando, velut quibusdam præcantationibus delinire; quousque eosdem (quod vix sperari poterat ab homine gentili) absque redemptionis pretio liberos impetraret dimitti. Cum quibus reversus ad propria, lætabatur in Domino, quasi qui invenisset spolia multa.

Tam libere vero et adeo constanter cæcitatem infidelium Agarenorum objurgaverat; tantæque authoritatis fiducia lucem eis Christianæ veritatis annunciaverat, ut nemo esset qui illum contemnere auderet; sed universi ad primos ejus affatus et aspectus nutu Dei in stuporem versi, non minimam ei reverentiam exhibebant. Erat enim nivea canitie venerandus et voce gravis, oculis divinum quiddam scintillantibus, ad indigna terribilis, ad congrua jucundissimus et lenis.

Hic etiam cum vice quadam per fines apostatarum Albigensium transiret, conferto cum eis sermone, audivit eos protervis vocibus omnia Ecclesiæ Dei Sacramenta blasphemantes. Qui nimio contra impios zelo exardescens, accessit ad proximos illarum partium Catholicos Proceres virosque potentes, induxitque eos ut sumptis armis in perfidos irruerent, et ex eis innumeros trucidarent. Unde contigit ut illis in locis nullus erroris infandi assertor ulterius compareret. Jam vero hujus facti exemplo longius propagato, brutum illud homunculorum pestiferumque genus magno Fidelium sudore abrasum est, ac Deo miserante deletum.

Jam vero de Christi pugile fortissimo id quoque referendum est, quod ei infirmius subrepsisse agnovimus, cum sit audire operæ pretium. Nam et rigor pariter et moderatio sancti Ordinis illius ex eo vehementer relucet; et vir strenuus, qui humanitus subreptione quadam impelli ad lapsum videbatur, quam se ipso fortior surrexerit subinde demonstratur.

Cum enim Christi miles emeritus, ac prævalidus vineæ Dominicæ operarius, quaquaversum dilatatam sacri hujus Ordinis Religionem, veluti vitis electissimæ propaginem, annis jam innumeris rigare non destitisset; et jam centenarius Cartusiam (ubi sacræ Religionis olim puer susceperat habitum) reversus,

de cætero quieti operam dare disponeret : repente jubetur in Daniam pergere, ibique novellæ itidem plantationi (fundandæ scilicet de recenti cuidam Domui) consuetæ solatium rigationis exhibere. Tunc ille, non modice turbatus, nec tam itineris quamvis longioris satisque laboriosi fatigationem, quam sibi ab olim suspectam gentis illius exhorrescens barbariem, signum salutis suæ fronti imprimens confestim ait : « A Danemarchia libera me, Domine. » Consueverat enim, quanquam laicus et illitteratus, ad singula pene verba, Scripturarum sermonibus, quos usu didicisset, uti.

Post hæc, pedibus se advolvens Prioris, supplicat instantius, ne jam decrepitum cogat animos indociles addiscendis hominum barbarorum ritibus ignotis subjicere, et ferendis eorum moribus, quos semper exhorruisset, studium mentis violenter inflectere. Memorabat jam satis esse, quod eatenus ad hujusmodi opera decertasset, cui et ætas et debilitas feriandum de cætero a tantis laboribus justa ratione præscriberent. « Qui enim a remotis, inquit, partibus huc tandem, respirandi gratia et spiritum ad extrema præparandi, artus fatiscentes referre tantopere curavi, quonam pacto nunc extra Orbem, ultra ipsum quoque Oceanum mitti habeo, præsertim ad gentem cujus ne quidem linguam novi ? »

Talia eo frustra prosequente, perstat Prior in sententia, dicens probatam multo tempore industriæ suæ experientiam junioribus illuc dirigendis Fratribus omnimode pernecessariam. Tunc ille graviter suspirans, « O, inquit, duram, o et amaram hujus diei conditionem ! Proh dolor ! Qui tot annis obedientiæ meritum tantopere colui, nunc compellor aut inobediens inveniri, aut negotium millies supra mortis supplicium mihi semper exosum, propter obedientiam experiri. Cæterum istam, ut Deus adjuverit, expiaturus inobedientiam, semel dico, Danemarchiam in hoc corpore mortali degens nunquam certe videbo. » Sic audaci voce locutus, singulorum pedibus in Capitulo (ubi hæc gerebantur) se se prosternit, ut pro se intercedant quatenus a legatione adeo molesta mereatur absolvi, Fratrum universitati preces lachrymabiles fundit. Sed hæc agendo cum nihil proficeret, nec quo jubebatur ire ullatenus acquiesceret, ad terrorem aliorum extra habitationis suæ januam pulsus sive projectus est. In tantum quippe provida illius sacri Ordinis censura inobedientiæ persequitur vitium, ut quemlibet, etiam in re levissima obedientiæ limites excedentem, a sua cum voluerit societate eliminet.

Verum, ne multis immoremur, Aynardus ille antiquus et eximius Ordinis Cartusiensis institutor et propagator, ex Ordine et extra fores Cartusiæ ejectus, nudo sub aere jacens, fame torquetur et frigore : veniam quidem petens, sed petendo nihil proficiens. Qui cum

propriam supplicationem, ad obtinendam quam quærebat indulgentiam, prorsus cerneret inefficacem, ad emendicanda plurimorum suffragia, corpore seminudus et discalceatus, universas pene Ordinis illius Domos adivit. Erat vero tempus jam mediantis brumæ, cum omnis illa regio glaciali rigore et nivium congerie, flatibus quoque hybernis exasperata, etiam bene vestito videbatur ad gradiendum incommoda. Nihilominus hic pœnitens novus, et innocens veteranus, a castris, in quibus tot lustra splendide militando transegerat, extorris non transfuga, per aspera montium, per devexa vallium, ita, ut erat, nudulus digreditur. Nec enim qui, Protoplasti exemplo, Paradisi habitationem per inobedientiam demeruerat, per expellentis quoque misericordiam vestem pelliceam, ut ille, acceperat : quia sæpe in ira misericordiæ obliviscitur homo, cujus semper Deus memoratur. Sic igitur in iter die incedens et nocte sub dio recumbens, compluta et congelata membra nunc saxo cuilibet, nunc omnino congesto nivium cumulo, raro vero rudi [al. nudæ] credebat telluris gremio, cujus ubique videlicet superficiem nix densissima operuerat.

Qui reversus demum, cunctorum pene totius Ordinis Priorum deprecatoriis onustus litteris, venit, jam nocturnis incumbentibus tenebris et umbris, ad portam Cartusiæ. Quem Frater portarius nec sub patulum tectum januæ ingredi permittens, cum esset quoque nimia cœli intemperies, exterius in mediis nivibus pernoctare coegit. Cujus amaritudine noctis nimis immoderata vexatus, mane tandem Portario Aynardus loquens, ita facete dixit : « Revera, inquit, Frater charissime, si nocte hac inter collidentes præ frigoris tormento dentes meos faba extitisses, etiam nolens te funditus comminuissem. »

Qui tandem sub regulari satisfactione susceptus, et a Danemarchia, ut petierat, liberatus, ad Angliam non longe post ad opus consuetum destinatur. Ita vero in Burgundia, quibus diu extiterat forma perfecte vivendi, [in Anglia] demum exemplar effectus est perfectissime pœnitendi : et cujus vita stantes informavit ad justitiam, ejus pœnitentia quandoque lapsuros instituit ad indulgentiam.

De cujus hodie perenni memoria, dignis et gestis et dictis, tanta per totam fere Angliam celebri sermone vulgata sunt, quod hæc ab ore narrantium, etiam sine scribentis suffragio, nulla in ævum, ut creditur, auferre prævalebit oblivio. Qui biennio ferme antequam hæc scriberentur, vicesimum sextum, ut dicitur, annorum transgressus lustrum, deficiens in senectute bona, feliciter migravit ad Dominum.

CAPITULUM XIV.

DE INCENDIO COQUINÆ SUB EXTREMO RECESSU ILLIUS DE WITHAM INNOXIE PERACTO.

Verum jam forte plusquam satis hic noster apud Withamienses perendinavit

stylus. Cui solicite cavendum erat, ne quando, sicut Hugoni nostro plerique succensebant, eo quod menstruas ibidem, immo plusquam bimestres interdum moras internecteret, ita et nobis pari jure nonnulli succenseant, qui, intermissa serie Pontificalis historiæ, ad gesta rusticorum texenda digressi videmur. Quemadmodum namque illi secum potius ad Regis Scaccarium Pontificem maluissent residere, quam ad eremum secedere, ita forsitan et isti nos mallent penitus reticere, quam talia de idiotis referre, quæ se se sciunt, cum eximia litteratura sua, imitari non velle. Quibus nos eo in hujusmodi justius morem gerimus, quo ad ferendas detrahentium linguas Hugone multo minus fortes sumus. Hunc enim pene solum hæc nostra infelicia tempora viderunt, qui (ut ait ad Regem David mulier prudentissima) profecto *tanquam Angelus Domini nec benedictione nec maledictione moveretur*, quominus ea liberrime foris exequeretur, quæ in intimo rationis sacrario interius percepisset exequenda. Unde, sicut ibidem quoque subnectitur, *Dominus Deus suus secum erat in omnibus*.

Verumtamen hoc interim, nostro pro nobis Lectori satisfactionis studio, ad mentem reducimus, quia semel tantummodo, postquam Vir sanctus ad Pontificatum accessit, calamus noster Withamiam scribendo attigerit; ad quam ipse, toto pene quo Episcopatum gessit tempore, nunc semel nunc sæpius, prout opportunum ei fuit, singulis venire consuevit annis. Hoc autem tempore potissimum autumnali faciebat; quatenus, dum sui ad fruges colligendas temporales studiosius vacarent, ille, dimissa suorum frequentia domesticorum in propria, eo fertilius quo et liberius carpendæ, et in intimis animæ suæ apothecis recondendæ, invigilaret annonæ Spiritus. Ex eo autem quod præmisimus, constare recte considerantibus luce clarius potest, quanto brevitatis studio Lectoris declinare fastidium, in aliis quoque ejusdem gestis, satagimus; qui vix pauca ex his quæ in loco ubi sæpissime morabatur, ubi tot salutaria loquebatur, ubi tam spiritualia operabatur, summatim perstringendo replicamus.

Nunc igitur quid in ultimo ejus ab inde recessu ibidem acciderit, solita compendiositate referemus; ac sic ad ejus abscessum ex hoc mundo ad Domum non manufactam æternam in Cœlis exponendum, quanta valebimus celeritate pertendemus. Nocte igitur quæ diem illum clausit, qua ultimum Fratribus vale fecit, eos ulterius corporaliter non visurus, id accidit quod referimus. Cum enim jam singulorum orationibus se, præmissa Confessione et absolutione vicissim petita et percepta, seorsum prius in eorum cellis commendasset ex more, demum in commune, licentia postulata et solemni omnibus benedictione data, libato etiam pacis osculo, sub his verbis quæ frequenti

usu a charis suis discessurus proferebat, ab eis recessit : « *Nunc,* inquiens, *commendo vos Deo, et verbo gratiæ ejus.* » Hinc ad diversoria Fratrum Laicorum, ubi Clerici et servientes sui commanebant, ibi mane crastinum expectaturus, accessit.

Quo, post quietem, ad solvendas Deo nocturnas laudes ecclesiam ingresso, per vitreas ab occidua parte oratorii fenestras fulgor subito nimius illuxit, ita ut solis jubar eadem videretur claritas excessisse. Unde attoniti, qui valvis ecclesiæ propius astiterant, festine erumpunt; cernuntque culinam (seu coquinam), quæ proximis undique domibus pene fuerat contigua, porrectis longe in aera flammis, exuri. Quod Episcopus agnoscens vehementer expavit, metuens scilicet ne in proxima forte ædificia edax incendium desæviret. Nec enim aliter futurum, situs et status ædium circumquaque imminentium cuiquam dictabat præsumendum. Ipsa vero ædicula, occasione servientium Episcopi necnon et hospitum, ut eorum usibus pulmenta coquerentur in ea, fuerat constructa; eratque virgulis et virgultis vicem parietum supplentibus contexta, stipula levi culmen ejus tegente. Quæ ab aula hospitali sex aut septem vix pedum spatio disparata, tecto ipsius, quod ex aridis erat scindulis confectum, e proximo imminebat. Cellulæ præterea ligneæ, Conversorum usibus deputatæ, haud procul in gyrum erant dispositæ. Ipsi nihilominus ecclesiæ vicinius astanti, cum circumpositis undique officinis, justissime timebatur.

Cernens itaque Vir providus his omnibus sui causa inevitabile, ni Divina arceatur virtute, imminere periculum, animo parumper consternatus, sed plurimum de bonitate Salvatoris confisus, salutiferæ Crucis signum contra ignem aliquoties edidit. Intermittens vero cursum nocturnalis Officii, quod ex parte jam inchoaverat, ante aram Dominicam se se protinus in orationem dedit. Nec prius destitit a prece quam, domuncula funditus absumpta, succubuisse flammas, et incendia tepuisse nunciatur : et quidem citra cujusque rei detrimentum, præterquam illius solummodo ædificii, quod etiamsi stetisset illæsum, manibus hominum de industria fuerat diruendum. Jam enim sæpius jusserat, ad usus necessarios lapideum, eo demolito, ibidem construi domicilium : hoc scilicet, quod modo accidit, prævenire solicitus periculum. Cujus mane incendium cum universi mirarentur adeo extitisse innoxium, ille in Domino exultans aiebat : « Benedictus Deus, qui non solum præsentem in tali casu timorem nostrum consolatus est, sed et futuri metus solicitudinem sub nostra tandem præsentia funditus amputavit ! »

LIBER QUINTUS.

PROLOGUS.

Quatuor jam Libellis de Vita sancti Patris nostri Hugonis Antistitis, juvante Christi gratia, utcumque explicitis, de ejusdem opitulatione confisi, quintum, quem et ultimum hujus Opusculi fore disponimus, subnexo inferius exordio, tentabimus adoriri. In cujus serie nulla penitus retexere decrevimus, nisi ea solummodo quibus præsentialiter interfuimus, aut ea quoque quæ mox gesta per eum nobis intimata fuisse evidenter recolimus.

Hic vero narrationis sumetur initium de singulari devotione qua præditus fuit erga studium sepulturæ mortuorum. Cui demum conclusionis causa succedet postremum, de incomparabili sepulturæ simul et exequiarum honore et decore, quibus cœlitus donari meruit, vitæ jam peracto præsentis agone. Media inter hæc illa præsertim continebunt, quibus docetur pro Anglicanæ Ecclesiæ immunitate, tam contra Regem Richardum, quam et contra ejus Justitiarium, propriumque suum ipsius Metropolitanum, viriliter decertando, feliciterque Deo protegente superando, plurimum desudasse; atque ad postremum, ipsi Regi suoque persecutori sepulturæ humanitatem exhibendo, insigniter triumphasse. His quoque alia scitu digna de exordio regni Joannis, nunc jam anno ipsius quarto decimo, mense tertio, plurimum fatiscentis, sensimque ut futurum ille prædixerat deficientis, videntur subjicienda. Consequenter vero uti ipse Cartusiam et alia loca religione celeberrima adierit, reversusque in Angliam, apud Londonias ad gaudia supernæ Jerusalem felici Beatus excessu migravit, tentabimus explicare.

CAPITULUM I.

VERBA S. HUGONIS DE IMMENSITATE DIVINÆ AD HOMINEM DILECTIONIS; DE IPSIUS IMMENSA SEDULITATE CIRCA OFFICIUM SEPULTURÆ, PRO CUJUS EXECUTIONE BIS DISTULIT AD CONVIVIA REGIA VENIRE.

Memoriam abundantiæ suavitatis Divinæ erga humanum genus suaviter eructans intimis a secretis Dei amicus Hugo, hæc et his similia quæ subinferimus suis sæpissime in odorem suavitatis ingerebat auditoribus :

« Cum sint, aiebat, innumera, quæ Divinæ ad hominem dilectionis declarant immensitatem, ea quam maxime inter cætera prærogativam singularis excellentiæ noscuntur præferre, quæ vel ante hominis ortum, vel post ejus occasum, homini non desinit conferre. Ut enim de hominibus qui modo oriuntur et occidunt pauca attingamus, ante cujusque ortum, suæ pro eo mortis pretium Dei Filius dedit; Deus Pater eumdem Filium suum in mundum, ut pro homine moreretur, misit; Deus Spiritus Sanctus se ipsum ei in pignus effudit. Tota etiam simul Sancta Trinitas, unus Deus, Sacramenta quibus mox

natus et mundetur et muniatur et roboretur instituit, Legis suæ adminicula quibus regatur et erudiatur concessit, aliaque inexplicabilia utilitati ipsius multipliciter profutura indulsit. Quem post vitæ instabilis cursum occasu præventum, cum a suis olim charissimis non sine tædio quodam respicitur, cum propriis quondam ædibus anxia quadam parentum et filiorum festinatione propellitur, gratissima Dei sui benignitas sola a cæteris despectum non aspernatur. Extemplo namque, non solum spiritus Angelicos in præsidium animæ ad Factorem suum remeantis dirigit, verum etiam primos ac præcipuos quos in terris habet ministros, sacerdotes videlicet, et alios in sacris Ordinibus positos, in obsequium funeris mittit. Etiam eis quodammodo dicit :

« Cernitis, o sacerdotes mei, et meorum quæ in mundo sunt palatiorum æditui, cernitis facturam meam quam semper amavi, pro qua Filio meo Unigenito non peperci, sed eum mortalitatis illius et mortis participem feci ; cernitis, inquam, suis hanc amicis quondam et necessariis effectam oneri, hanc quoque ab eis quasi turbulenter ejici et expelli. Eia ! festinanter occurrite ad me confugienti ; imaginem Filii mei pro ea crucifixi cum thymiateriis et cereis assumite ; Ecclesiæ meæ signa in solemne classicum concutite ; vocibus hymnidicis clarius concrepate ; Basilicæ meæ fores et abdita interiora pandite ; nec longius ab ara, Filii mei corpus continente, fratris illius aut sororis lipsana deponite ; palliis denique pretiosis lecticam illius nunc demum triumphantis redimite, stipate lampadibus atque lucernis, assistentibus obsequentium catervis quamvis jacentem ambite. Iterata præterea Filii mei votiva immolatione, Convivium pinguissimum instruite, quo et spiritus anhelus, ac de concertatione mortalitatis inolitæ (sed jam depositæ) adhuc irrequietus et fessus, in robur respiret ; et caro, inhabitatore pristino interim vacuata, matrisque terræ gremio subinde confovenda, sanctificatione irrigetur gratissima : quatenus sub die ultima, contubernali olim præcognito delectabiliter socianda, alacriter refloreat, viriditate æterna feliciter induenda. »

Hujusmodi sententiam, per singula pene verba, de benigni Conditoris circa defunctos clementia proferens, hic ejus dispensationis in multis conscius et fidelis interpres evidenter satis prudentibus innuebat, quonam affectu, quove respectu, ut tantam sepeliendis curam exhiberet, duceretur.

Generali siquidem inhibitione statuerat, ne in villis, ubi ipse præsens fuisset, sacerdos parochianus quemlibet defunctum, præsertim ætatis jam adultæ, traderet sepulturæ, nisi forte, aliquo obstante incommodo, illo id exequi non valente, de sua hoc ipsum permissione adimpleret. De adultis vero id præcipue volebat observari ; quia his, si laudabiliter vixissent, propensiorem sciebat

deberi honorificentiam ; sin autem vitam duxissent culpabilem, noverat eos uberiorem desiderare interventionis instantiam. Ibat igitur passim ad universos ; eisque, ut mos exigit ecclesiasticus, summa cum alacritate [obsequium] exhibens, pauperibus luminaria, vel cætera in funeribus desiderata, per Eleemosynarium suum abundanter subministrari procurabat.

Si quando, dum iter ageret, funus in quodlibet cœmeterium, ut humari deberet, prolatum conspiceret, confestim equo descendebat. Ad feretrum vero accedens, et aliquantisper orans, si librum non haberet competentem in quo inoffense legeret (cum jam circa dierum ejus extrema aliquid soliti acuminis oculis ipsius deperisset), junctus presbytero exequias celebranti, psalmos cum eo decantabat, et Collectas inchoanti vel complenti *Amen* vel alia respondendo, vicem Clerici (ne dixerimus idiotæ) adimplebat. Si non defuisset codex idoneus, ipse quod sacerdotis erat prosequebatur : orationes pronuncians, aquam benedictam aspergens, thuribulum circumferens, terram superjaciens ac reliqua illius officii solicite complens. Post quæ, absolutionem cum benedictione adjungens, iter cœptum peracturus abibat.

Plerumque autem in magnis consistens urbibus, dum ad unum quemlibet sepeliendum processisset, nunciabantur ei alii atque alii, passim per diversas ecclesias sepeliendi. Qui magna cum alacritate universos adibat, universis sigillatim debitum sepeliendi officium devote impendens ; nec prius (quotlibet isti fuissent) a tantæ humanitatis munere desistebat, quam nullum superesse qui sepeliretur agnovisset. Querebantur nonnunquam et murmurabant Potentes quilibet viri, cum eo pariter comesturi, quia, dum hæc diutius ageret, hora prandii jam diu præteriret. Verum ille nunquam, seu ipse hos invitasset, seu ab eis ipse esset ad prandium invitatus, sive hujus rei, sive alterius cujuscumque obtentu negotii, hujus omittebat pietatis opus exercere, dum ubi exerceret reperire potuisset.

Sed parum est quod hæc referimus de minoribus personis. Constat enim quia et a Regibus invitatus ad mensam idem effecerit. Nam et posterius apud Rothomagum a Rege Richardo, et prius olim ab ejus genitore Henrico rogatus ad convescendum, tamdiu distulit ad palatium venire, quamdiu in urbe reperit quos potuisset sepelire. Unde Regem utrumque, cum Optimatibus, vel tota simul Regali familia, in longum compulit jejunia protelare, dum religiosum officium, nec per aulicos accersitus, contemplatione dignitatis seu voluntatis humanæ ullatenus acquievit omittere. Urgentibus vero ministris Curiæ, ut acceleraret ad Regem expectantem, et moras ægre ferentem, quantocius venire, ille, nihil festinantius agens, aiebat : « Non opus est ut nos expectet; vescatur in nomine Domini. » Suis quo-

que familiaribus dicebat : « Expedit ut Rex terrenus absque nobis prandeat, quam mandatum æterni Regis humilitas nostra inexpletum relinquat. »

Hinc fortassis animadverti licet, divinitus ei non immerito fuisse retributum, ut qui duos Reges ob pauperum sepulturam neglexerat, ipse demum in funeris sui obsequium, cum viris sublimibus multis, Reges duos adunatos haberet. Verum hæc suo loco inferius plenius dicturi, interim cœpta prosequamur.

CAPITULUM II.

DE PAUPERE QUODAM SECUS VIAM TUMULATO IN NORMANNIA ; ET DE PLURIMORUM SEPULTURA IN URBE LINCOLNIENSI ; ET DE QUODAM PRÆLATO QUEM SEPELIVIT IN BERMUNDESEIA.

Quoniam hæc apud Rothomagum, Normannorum scilicet Metropolim , gesta, nec tamen a nobis visa, sed veraciter audita retulimus, libet ut in re simili quid in eadem provincia nos ipsi ab eodem actum viderimus, breviter absolvamus. Die igitur quadam iter agente servo Dei, contigit eum , non longe a castro quod Argentum appellatur, tumulum recens sepulti humani, ut videbatur, cadaveris circa publicum aggerem cominus perspexisse. Quo diligentius notato, confestim substitit ; mittensque protinus ad ruricolas eminus aratro humum proscindentes, didicit cujusdam homunculi, ostiatim pridem mendicantis alimoniam, ibidem bustum contineri. Defunctus namque idem egenus in pauperis cujusdam rus proximum incolentis domo, et a Presbytero illius parochiæ ob inediam neglectus, in eo loco sepulturam accepit, dum a quo portaretur ad cœmeterium non habuerit.

Quo Vir piissimus audito, altius ingemuit; moxque in pedes ex equo descendens, accepto quem [fere semper] secum habebat codice, orationes cum psalmis, quos recitari usus instituit sepulturæ, diligenter pro eo ac devote percurrit. Postea vero Episcopo loci attentius orando suggessit, quatenus in sacerdotem illum durius animadverteret ; qui homini Christiano, propter illius inopiam, sepulturam negaverat Christianam.

Vidimus alio tempore, cum apud Lincolniam, in crastino Natalis Domini, de glorioso Christi protomartyre Stephano Missam devotissime celebrasset, ut rogaretur a quodam cæmentario qui in fabrica ecclesiæ desudabat, quatenus fratris sui animam, nocte præcedenti rebus humanis exemptam, authoritate Pontificali a peccatis absolveret, Dominoque devotione peculiari commendaret. Quod statim adimplens, inquirere cœpit utrum ejus corpusculum adhuc inhumatum fuisset. Quod in remotiori ecclesia necdum sepultum audiens servari, jussit mox unum sibi, alium suo Capellano, tertium famulo qui ante eum equitare consueverat, caballum adduci. Decreverat enim cum his tantum tribus ad funus accedere. Sed cum defuisset

equus Capellano, caballum servientis præcepit eum conscendere, et illum præeundo ad destinatum locum quantocius properare. Sicque duobus contentus equis, uno solummodo monacho et duobus pueris comitatus, pervenit ad corpus defuncti. Quo terræ matris gremio paterna solicitudine commendato, quinque deinceps ipsa die, si nos memoria non fallit, in diversis successive cœmeteriis sepelivit funera, per ipsorum sibi amicos designata.

Cum vero jam se hora tardior protraheret, ipseque cum Cleri parte non modica, ab Archidiacono Bedefordensi ad prandium invitatus ad epulas solemnes, venire differret, rogatus est a multis, et ab ipsis tandem qui suum ei mortuum nunciaverant, quatenus pro defuncti anima tantisper orando, et absolutionis suffragium porrigendo, eam Creatori commendaret, et ad fatigatos jam præ diuturna expectatione convivas saltem post moras longissimas venire ulterius non tardaret. Qui sibi ista suggerentibus non sine cujusdam reprehensionis asperitate respondit : « Et quare, inquiens, vocem Domini nostri ore sacro loquentis non attenditis? *Meus cibus est,* inquit, *ut faciam voluntatem Patris mei qui in Cœlis est.* » Nec plura locutus, intermisso instar Tobiæ prandio, maluit, ut monet Salomon, ire ad domum luctus quam ad domum convivii. Ivit igitur, plurimumque ex sanctitatis suæ præsentia lugentes consolatus, eum sepeliens qui lugebatur, a luctu, ut pie creditur, Christo miserante, [orando] absolvit.

Quodam iterum tempore, Londonias ad generale Concilium et colloquium accersitis Prælatis et Proceribus Angliæ, Lincolniensis Episcopus eo pariter advenit. Angebant quoque illum urgentissima Ecclesiæ suæ negotia; super quibus necessario erat cum amicis suis, qui ad locum confluxerant, tractaturus. Proxima vero die, quæ statutum Conventus illius præcessit diem, quemdam ex Prælatis qui convenerant subita præveniri contigit ægritudine, quam mox citato vitæ terminavit fine. De quo a multis ferebatur, quia fuisset gulæ illecebris plusquam satis obnoxius, et in potatione superflua nimis assiduus.

Cujus decessu audito, licet ei parum notus extitisset, intimæ nihilominus pietatis visceribus eidem condoluit, et pro eo ad Dominum suppliciter intercessit. Protinus etiam explorari jussit, quonam loco, vel a quibus personis idem deberet tumulari. Renunciatur vero ei quia in ecclesia Domini et Salvatoris nostri apud Veremundesseyam [al. Beremundeseiam] esset humandus, sed nullus Episcoporum sive Abbatum ejus crederetur exequias celebraturus. Nemo enim vicinorum, aut familiarium seu charorum illi quondam Prælatorum, deesse volebat sive audebat solemni Conventui, qui in die sepulturæ illius apud Westmonasterium debuit adunari. Quod sanctus Episcopus audiens, « Nolit Deus, inquit, quod talis persona, tot

modo in hac urbe pariter consistentibus Prælatis, in hac suprema necessitate deseratur ab omnibus nobis. Non ita faciemus proximo nostro : nec enim hoc sibi quis fieri vellet ab alio. » Disposito itaque ut quosdam ex suis mitteret ad Curiam, qui et suam interim excusarent absentiam, mane facto perrexit ad exhibendam defuncto sepulturam.

Ubi die ipsa, si ea quæ visu, si quæ olfactu hausimus, in medium proferamus, horrorem sane et stuporem audientibus inferemus. In nos etiam forte aliquorum indignatio concitabitur, asserentium scilicet quod inhumane cladis humanæ, sortisque moribundæ communem ærumnam, quam ibi conspeximus, publicis auribus ingeramus. Cæterum, quia ex his susceptæ narrationis portio magna dependet, nostramque in his potius deflemus miseriam, quam alienæ calamitati (quod Deus avertat!) aliquatenus insultamus; audiatur ad omnium utilitatem quod dicimus. Sit notum viventibus ad humilitatis profectum, quod innotuit in defuncto ad horroris cumulum. Sit quandoque etiam extinguendis ad virtutis æmulationem, id etiam quod nimis [al. vivis] circa defunctum (cui propitietur Deus!) ad intuentium exhibuit stuporem.

Visum est igitur jacens in feretro cadaver extinctum, more quidem quorumdam Prælatorum vultu nudatum, sed super carbonem denigratum. Erat sane corpus reliquum alba sacerdotali sed et casula indutum; sed, præ tumore nimio, eis vix inclusum. Nam dum adhuc dudum vegetabatur spiritu, ita grossitie vehementi tumebat, ut vix spirare potuisset. Jam vero, postquam expiraverat, adeo interna sanies et torridæ æstatis ignea intemperies distendebat exanimem, ut cernentibus prodigiosum videretur. Verum quod in oculorum luminibus patebat, tolerabile fuisset, si suo nares supplicio carere potuissent. Cæteri, quos feretro interdum rei ordo proximare poscebat, nares thure immisso aliisve aromatibus sibi præcludebant; manibus quoque suave fragrantia quædam ori sæpius apponenda tenebant. Solus S. Episcopus (quo tamen certe nullus inveniretur nare sagacior, nullus tetri nidoris [al. odoris] aspernatior), ita, horum tamen nihil admittens quæ levare seu arcere solent aeris corruptelam, ita, inquam, jacenti assistebat, ita et obambulabat, ac si non in feretro sed in cunis agentem mater parvulum suum fovendo circuiret.

Post hæc cum ad suum se contulisset hospitium, quidam ex nostris, formidantes ne forte ex inspirato aeris contagio noxium quid præcordiis ejus insedisset, super hoc illum interrogare cœperunt. Quos ille reputabat errare, nec quidquam eos insuave ibidem hausisse; cum ipsemet, quo nullus eorum subtiliori vigebat odoratu, nil triste spirans in loco sensisset. Christi nimirum bonus odor, qui ipsi revera fuit

odor vitæ in vitam, ipsum faciebat mortis putorem penitus non sentire.

Die sequenti cum venisset ad Curiam, gravi cœpit pulsari calumnia per Comitem Leicestriæ, qui pagum optimum, eidem urbi contiguum, Episcopo nostro nitebatur auferre. Suggerebant etiam Episcopo amici et consiliarii ipsius, quatenus cum adversario sub pacis forma transigeret : proponentes multa esse suæ, quamvis justæ, causæ admodum formidanda. Qui pertinaciam Comitis atque insolentiam nimium aspernatus, omnibus consiliariis suis cum magnæ assertionis fiducia dixit : « Sciatis pro certo quia, me in hac luce superstite, iste nullatenus hujus suæ intentionis pravæ sortietur effectum. Habeat sibi, ad suæ suorumque damnationis cumulum, guerræ quondam tempore extorta violenter instrumenta chartarum. Nos enim patrimonium Dominæ nostræ, tuitioni nostræ creditum, Ipsa juvante, dum advixerimus integrum retinebimus, et in nullo penitus diminutum. »

Cujusmodi assertio plerisque tunc viris prudentibus minus considerate videbatur emissa; cum et colorem æquitatis præferret actio impetentis, et tam Regis quam pene totius Curiæ favor in Comitis crederetur vota concurrere. Prævaluit tamen Viri Dei sermo, cogitatum suum plenissime jactantis in Domino. De quo etiam illud pluribus mirum videbatur : quia nunquam, more celeberrimo fori laicalis ubi lites illæ agitabantur, se per internuncium de impossibilitate in judicio comparendi voluit excusare, quantocumque urgeretur discrimine ex litigantium improbitate, ne vel speciem mendacii videretur incurrisse.

Post ejus vero decessum, Comes quidem pagum quem petebat obtinuit; sed incontinenti lepræ contagione percussus, mox corporis valetudine, et in brevi post etiam vita carens, absque liberis decessit. Ante cujus obitum, cum fratrem ipsius, Episcopum scilicet S. Andreæ de Scotia, plurimi conarentur in Cathedra Viri Dei, qui jam pridem ad Dominum migraverat, subrogare, visum est nocte quadam per soporem Nobili cuidam religiosæ matronæ, quod prædictum Dei famulum beatum Hugonem cerneret, Pontificem memoratum, ambitionis æstu succensum, dum suum niteretur conscendere thronum, virga pastorali durius percussisse sub pectore; ita ut videretur, qui ictum susceperat, resupinus in terram corruisse. Facto mane, cum illa somnium enarrasset, ecce adsunt qui mortem Pontificis illius, non sine stupore audientium, palam nunciant.

Horum igitur adeo illustrium, adeo floribus hujus mundi vernantium, tam abjectus, tam repentinus interitus, quid aliud hæc scientibus innuit, quam jura Ecclesiarum evertere, servosque Domini injuste lacessere, supra modum exitiosum esse? Verum his pro utilitate legentium breviter quasi per excessum

intersertis, ea quæ sequuntur serie inconvulsa stylus absolvet.

CAPITULUM III.

DE REVELATIONE CUIDAM CLERICO INSINUATA, QUI, IN FORMA PUERI, MYSTERII SALUTARIS HOSTIAM IN MANIBUS B. HUGONIS EPISCOPI VIDIT.

Die quadam, consistente Episcopo in manerio juris sui quod Borredena [al. Bugdena] nuncupatur, venerunt ad illum quidam monachi, præsentantes ei ad benedicendum vestes sacerdotales, et calicem unum valde pretiosum [al. speciosum]. Episcopus tunc a sepultura cujusdam servientis Laurentii Bedefordensis archidiaconi in ecclesiam venerat, sacra Missarum solemnia celebraturus. Erat vero Sabbatum: quo semper die (si vacabat) de Beata Dei Genitrice Maria tam diurnum quam nocturnum Officium solebat celebrare. Ad eum quoque, sub die illo, plures undique confluxerant Clerici, ecclesiasticis redditibus admodum ditati. Illis ergo in ecclesia præsentibus, Episcopus calicem jam superius memoratum in manibus, ut eum consecraret, nudatum tenebat. Quem cernens metallo, amplitudine et artificio satis conspicuum, ipsum ab altari in chorum detulit, omnibusque Clericis præfatis eum exhibens considerandum, devotam virorum Religiosorum circa divini ministerii [al. Mysterii] et cultum et vasa collaudabat solertiam. Illis e contrario improperabat quod, multis ecclesiarum redditibus opulenti, ipsas nec libris, nec vasis, sed nec aliis rebus necessariis convenienter excolerent, sed his omnibus egenas Christi Basilicas spoliare magis quam ornare satagerent.

Post hæc, ingressus ad altare, Missam devotissime orsus est celebrare. Cumque, cæteris jam rite peractis, ad eum pervenisset locum, ubi elevatam in altum hostiam benedicere moris est, mox in verum Christi Corpus mystica sanctificatione convertendam, cujusdam Clerici oculos superna Clementia dignata est aperire; eique, sub specie infantis parvuli, Christum suum demonstravit mundissimis digitis sacri Præsulis reverentissime contrectari. Erat vero idem puer forma quidem permodicus, sed divino quodam nitore atque candore super æstimationem hominis nimium decorus. Clericus qui hæc viderat, mira devotione (nec mirum) succensus, plurimumque compunctus, tempus omne continuavit in lachrymis, quod intercessit ab illa elevatione usquequo iterum (vel interim) eam levari cerneret, frangendam jam et sumendam sub trina sui partitione. In qua rursum elevatione, sub eadem qua prius imagine, natum intuetur de Virgine Filium Altissimi, se ipsum offerentem Deo Patri pro humana salute.

Post hæc, jam expletis omnibus quæ in ecclesia fuerant peragenda, Clericus qui ista conspexerat, accedens ad verum Domini Sacerdotem, taliter ei secretius est locutus : « Domine Pater, vobis, inquit, habeo aliqua referre, quæ vestram,

si placet, sanctitatem diligentius audire oportet. » Cumque flexis genibus ista coram eo esset prosecutus, Vir Domini cum eo secedens a turba seorsum secus altare resedit, eique proferre quæ voluisset leniter imperavit. Tunc ille, « In crastino, inquit, festivitatis Omnium Sanctorum, quæ hac ipsa septimana celebrata est, cum psalterium in quadam ecclesia decantarem pro animabus Fidelium defunctorum, sicut ipsa die solemnis exhiberi eorum memoria solet, vox quædam subito auribus meis illapsa est, quæ verbis absolutissimis diceret :

« Surge, fili, et perge ad Lincolniensem Episcopum ; dicesque ei ex parte Dei, quatenus moneat diligentius Cantuariensem Archiepiscopum, ut pariter secum solito vigilantius intendat ad corrigendum statum Cleri et ecclesiarum. Nimis enim offenditur divina Majestas per ea quæ indesinenter fiunt a Rectoribus ecclesiarum et earum ministris. Sacerdotes enim, et aliorum graduum personæ, omni vitiorum genere, maxime autem luxuriæ sordibus fœdati, Sacramentis divinis ex indigno accessu injuriosi existentes, ea irreverenter sumendo atque tractando, quantum in se est, polluere non verentur. Ipsæ ecclesiæ indignis, et Deo ob perditos mores invisis, passim ad regendum traduntur personis ; a quibus sæpe, more sæcularium prædiorum, aliis atque aliis relinquuntur ad firmam, quod Emphyteosim alii nuncupant ; utque viles tabernæ, sic ecclesiæ turpis lucri gratia sub annuo censu locantur ad quæstum. His personis de cura animarum, de indigentibus sustentandis ex fructibus ecclesiæ, nullus est sermo ; sed de farciendis crumenis, quas vel luxus evacuet, vel avaritia solummodo ærugini contingendas includat, tota indesinenter aviditate inhiare non cessant. Hæc et similia Rectorum vitia, in regendos contagiosa æmulatione transfusa, omnium fere tam minorum quam majorum præcordiis dominantur. Hinc grandis furor et ira Dei imminet tam populo, quam universis habitatoribus terræ hujus. Hinc festinum inferetur exitium Genti huic miseræ, si non anticipet accelerata correctio jamjam imminens flagellum Cœlestis vindictæ. »

« His dictis, vox quæ audiebatur siluit. Ego siquidem, priusquam hæc audirem, psalterio jam excurso usque ad centesimum primum psalmum, flexis genibus coram altari Sanctæ Dei Genitricis in orationem animum vehementer intenderam. Oborta namque in mente mea repente fuit memoria patris mei, ante non multos annos in terra Jerosolymitana, quo religionis studio perrexerat, defuncti. Indeque tantus subito compunctionis fervor spiritum meum absorbuit, ut, omissa penitus psalmodia, omnique strepitu labiorum suppresso, undatim ruentibus ex oculis rivis lachrymarum, præcordialibus tantum votis Domino preces effunderem. Audita igitur hac voce, quæ a proximo

altari videbatur emissa, vim compunctionis, quæ me sibi totum vindicaverat, horror quidam stupore permixtus confestim intercidit; cœpique mecum attonitus mirari, quis et cui talia esset prosequendo locutus : sciebam enim neminem præter me cominus circa locum ipsum constitisse.

« Igitur cum, post longa pavidæ cogitationis volumina, vocis authorem nullatenus quivissem deprehendere, consignans me ipsum signo salutari, intermissæ orationis studium vehementiori quam prius desiderio repetere cœpi. Nec mora : et ecce audio iterum vocem eodem sono, eisdemque syllabis, eamdem quam prius exprimere sententiam. Tunc ego, cum nec loquentis personam, nec illius cui sermo fiebat, potuissem advertere, cedendum loco existimavi : id tantum mecum reputans, quia aliquid forte secretioris [al. sacratioris] mysterii agitaretur ibidem ab aliquibus, quorum ego indignus existerem arcanis interesse. Adorato itaque Domino, signans mihi frontem a loco decessi.

« Cumque pervenissem ad valvas ecclesiæ, occurrit mihi virgo quædam religiosa valde, quæ Domino in jejuniis et orationibus, in frigore et nuditate, diu noctuque deserviens, ab eadem ecclesia rarissime, ab ejus vero atriis nunquam pene recedebat. Hæc, dum prædicta audirentur, in remoto ecclesiæ angulo solitis vacaverat orationibus. Quæ, genibus meis advoluta, rogabat instantius quatenus, si fieri posset, aliqua sibi ex his, quæ interius (ut asserebat) mihi dicta cognoverat, communicare studuissem. Sed qui nescius eram adhuc, cui jam dicta essent ea quæ audieram, illam vice versa potius duxi exorandam, ut ipsa, quæ dignior me esset audire et nosse interna mysteria, revelare dignaretur mihi quod de vocis cœlitus, ut ipsa fatebatur, emissæ sententia ego minime advertissem. Ad hæc illa : « Scio equidem bis factum sermonem a Domino tibi aliqua præcipiente, quæ ego quidem minus adverti; sed quia tibi præciperentur certius intellexi. » Cui ego : « Ora, inquam, soror in Christo dilecta, quatenus circa nos beneplacitum suum Dominus adimplere dignetur. Super talibus vero quæ modo prosequeris, ego certitudinem nullam accepi. » His a me dictis, ecclesiam ipse egredior; illa ad consueta orationum suarum latibula introrsum regreditur.

« Post hæc, cubiculum mei hospitii ingressus, ibidem usque ad vesperam diem in orationibus jejunus exegi. Qui tandem lectulo exceptus, dum variis æstuaret animus horum causa quæ præmisi cogitationum fluctibus, vocem repente audivi, id ipsum jam tertio quod primo et secundo intulerat replicantem: hac tamen præmissa insinuatione, unde mihi constaret quod ad me sermonem haberet. Ait namque : « Tibi dico, fili, qui præsens quiescis; perge quam celerrime ad virum venerabilem Episco-

pum Lincolniensem, eique ex parte Dei omnipotentis, hæc omnia quæ tibi jam in ecclesia secundo præcepi nunciare non differas. » Cui statim ita respondi : « Et quomodo vir tantæ authoritatis fidem habebit verbis meis, cum ego, ætate et ratione infirmior, vix quidquam ei loqui sciam ? » Tunc is qui loquebatur, ad hæc respondens, ita subjecit : « Fidem dictis tuis indubitatam idem Vir habebit, cum ei pro intersigniis ea insinuaveris, quæ super altare coram eo videbis, die qua primum ad illum perveneris, et ipsum Missarum solemnia celebrantem perspexeris. Non ergo differas parere eloquiis meis, sed quæ tibi præcipio devotus exequere. » His dictis, vox loquentis ablata est.

« Ego vero ad exequendum imperata plurimum animatus, modico prælibato somno, de nocte surrexi, clamque sociis meis iter ad vos inquirendum ita pedibus meis assumpsi. Huc autem paulo ante Introitum Missæ veni ; celebrantem Divina sanctitatem vestram devotus observavi ; intendens quoque solicitius ad mensam Dominicam, coram vobis et in manibus vestris Corpus Domini nostri Jesu Christi sub specie infantis parvuli, bis supra calicem a vobis elevatum, indignis licet oculis evidenter conspexi. Quod vero id ipsum et vos multo perspicatius, quia et diutius et vicinius et satis dignius, perspexistis, non est ambigendum. »

Hæc igitur Clericus ille fluentibus per genas lachrymis est prosecutus. Vir quoque Domini ubertim etiam inter hæc flebat. Cumque, pariter aliquamdiu flentes, super his verba plurima conseruissent, Episcopus utriusque oculos et genas, suos videlicet et Clerici illius, sacris extergens digitis, osculatus est eum. Erat autem idem Clericus annorum circiter viginti quinque. Præcepit itaque ei, quatenus hæc reverenter celaret. Præterea diligentius hortari eum studuit, ut Religionis habitum suscipere, et Religiosis moribus Domino servire, ex integro maturaret. Asserebat enim non esse conveniens, ut qui talia vidisset et audisset, in sæculi vanitate ulterius spatiari vellet. Qui statim his se libentissime monitis pariturum respondit.

Post hæc, aulam jam pransurus ingreditur Episcopus. Plurima igitur stipatus convivantium turba, hilaris et lætus discubuit, Clericum toties memoratum in area non longe a loco sessionis suæ præcipiens simul recumbere. Qui die postera ab eodem cum benedictione dimissus, et ad quemdam sibi familiarem monachum transmissus, monachus et ipse cito postea effectus, religiose admodum conversatus est.

Cui plurima quoque spiritualium visionum mysteria postmodum revelata, certissime experti sumus. Ex quibus non pauca, litteris dudum de mandato sancti Præsulis tradita, longe lateque vulgata noscuntur. A cujus ore hæc ipsa quæ modo retulimus frequenter audivimus. Cui inter alia id quoque revelatum fuisse ab ipso accepimus,

quia sanctam civitatem Jerusalem, quæ pridem nostris temporibus a Saracenis occupata est, nostris quoque diebus miraculose ab eorum instantia, omnipotentissima Redemptoris nostri eripiet clementia. Quod eo magis, favente Domini nostri pietate, confidimus adimplendum, quo jam plurima videmus impleta, quæ implenda adhuc ei didicimus fuisse similiter præostensa. Sed de his hoc interim dixisse sufficiat.

CAPITULUM IV.

DE EODEM SACRAMENTO ALIUD STUPENDUM MIRACULUM, QUOD IN FRANCIA CONTIGIT ; ET SENTENTIA MEMORABILIS, QUAM HUGO NOSTER INDE PROTULERIT.

De vivifico autem sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramento, adhuc quiddam referre non videtur incongruum, quod in Galliis accidisse multis est manifestum. Quod licet cunctorum notitia Fidelium existimemus dignissimum, præsenti tamen historiæ id a nobis minime fuisset insertum, si non ad hoc inserendum illius nos urgeret sententia, de re ipsa mirabiliter prolata, qui horum omnium quæ paginæ huic inseruntur materia est et causa.

Hic igitur quodam tempore a Parisiensium digressus civitate, dum Trecas peteret, metatione prima hospitatus est in villa quadam Joÿ [al. Joui, i. e. Jouy le Chatel] nuncupata. Moris vero illius fuit, ubicumque hospitio se se excepisset, presbyterum parochialem cum ministris suis ad suam invitare mensam : verbo frequenter utens cum liberali jucunditate ad suum dapiferum, quo sæpe olim usus est Dominus ad Hebræorum populum : « Non deseras, inquiens, Levitas qui intra portas civitatis tuæ sunt. »

Illius itaque loci presbyter, a ministris more solito vocatus ad mensam Episcopi, venire obstinatius recusavit. Venit autem post prandium invisere eum. Venit quoque non solum ut Episcopo celeberrimæ opinionis salutationis obsequium exhiberet, sed potius ut ejus orationibus se se Domino commendari obtineret. Venit etiam ut ei rem valde stupendam, quæ sibi dudum contigerat, de adorando Corporis Domini Sacramento, et verbis exponeret, et ad videndam ipsam rem, sub oculis adhuc in ecclesia sua positam, eum invitaret. Erat vero idem sacerdos jam grandævus et aspectu reverendus ; corpore etiam toto, non tam præ ætate, quam præ abstinentiæ, ut dicebatur, rigore præmarcidus et cute ossibus insidente peraridus. Qui postquam salutavit Episcopum, non potuit præ verecundia quod optavit illi declarare per se ipsum, sed quibusdam ex suis hoc seriatim exposuit in hunc modum :

« Cum essem juvenis, inquit, et gradum Sacerdotii, nec annis nec moribus meis tanto apici digne respondentibus, conscendissem, contigit, insidiante hoste antiquo, me crimen quoddam mortiferum incurrere. A cujus necdum con-

tagio aut remedio Pœnitentiæ aut Confessionis lavacro mundatus, ita, ut eram, et corde pollutus et corpore, mente insuper cæcus et fide infirmus, quod dictu horrendum est, ad sacri altaris ministerium impudens et temerarius accedere consuevi. Cumque die quadam sacris Missæ assisterem secretis, et criminis mei enormitatem, in ipsa Hostiæ salutaris consecratione, mente revolverem tacita, inter alias tenebrosi pectoris cogitationes, versabam hæc mecum in corde : Putasne illius Corpus et Sanguis hic a me sordidissimo peccatore veraciter conficitur, tractatur et sumitur, qui candor esse describitur lucis æternæ et speculum sine macula ?

« Dum hæc et alia non minus stolida versarem in animo, perventum est ad hoc, ut frangenda esset trifarie, more debito, Hostia sacrosancta. Quam ut per medium fregi, mox cruor liquidissimus per fracturam effluere cœpit ; qui mediam Hostiæ partem, quam manu tenebam, in carnis speciem subito conversam, rubore sanguineo infecit. Quibus ego visis totus dirigui præ timore ; et pene exanimis [al. exsensis] effectus, destitutus rationis consilio, quidquid de ipsis Sacramentis in manibus tenebam in sacrum calicem decidere permisi. Erat tunc ibi videre, quod usque in præsens cernitur, sæculis omnibus stupendum miraculum : vinum scilicet in Sanguinem et panem in Carnem media sui parte conversum, rem pariter sacramenti et formam, significans scilicet et significatum, sub gemina specie manifestissime præferre.

« Quod [al. Quæ] ut vidi has species inconvertibiliter retinere, ea penitus contingere non præsumens, calicem patena, patenam sacra palla cooperui, et Missæ officium [al. sacrificium] percantavi. Hinc, populo dimisso, calicem cum Sacris, quæ in eo adhuc hodie continentur, loco congruo secus altare reposui, debita reverentia custodiendum. Post hæc, Summi Pontificis adivi præsentiam ; rei hujus seriem, præmissa Confessione reatus mei, exposui ; absolutionis beneficium, injuncta mihi satisfactione competenti, ab ipso reportavi. Ad hæc vero magnalia Dei præsentialiter contuenda, a multis huc per circuitum locis passim a Fidelibus concurritur ; a quibus cum summa reverentia magnificatur Dominus, qui facit mirabilia solus.

« Hæc sancto Episcopo isti vobis cupio mediantibus intimari, quo et illius merear ego orationibus apud Dominum adjuvari, et ipse cum sociis suis in Domino valeat, cum ista perspexerit, amplius jucundari. »

Hæc igitur referentes Episcopo, quibus innotuerant a presbytero, sperabant illum non sine avida cordis devotione ad ea mox videnda processurum. Verum ille ad audita confestim ita respondit : « Bene, inquit, in nomine Domini habeat sibi signa infidelitatis suæ. Quid ad nos de his ? Num miramur particulares imagines hujus Divini muneris,

qui totum et integrum hoc cœleste Sacrificium quotidie intuemur fidelissimo aspectu mentis? Intueatur illius exiguas portiunculas visu corporeo, qui totum non intuetur fidei conspectu interno. » Hæc dicens, commendantem se orationibus ejus presbyterum, data benedictione, abire permisit. Suorum vero curiositatem redarguens, in fidei soliditate ipsos non solum roboravit : immo certius ea quæ fides præscribit, quam ea quæ lux ista visibilis ostendit, teneri debere a Fidelibus et intelligi, luculentissime declaravit. Sic itaque a proposito curiosæ visionis illos coercuit; et ad excitandum devotionis aspectum [al. affectum] pariter et amplexum, ad hæc vera et vivifica cordium alimenta mentes audientium erudivit.

Ex præmissis vero, necnon et ex aliis ejus verbis certius nobis persuasum tenemus, quia non tantum semel, ut supra ostensum est, immo etiam frequenter illi concessum sit, revelata hominis interioris facie, illa singulariter de hoc Sacramento visu quodam intimo perspicere, quæ nobis invisibilia docemur omnes pariter fide purissima credendo retinere.

CAPITULUM V.

DE SIMULTATE ARCHIEPISCOPI CONTRA SANCTUM HUGONEM PROPTER FREQUENTES QUAS EI FACIEBAT EXHORTATIONES ; DE SOLICITUDINE EPISCOPALI IN CORRIGENDIS MORIBUS CLERICORUM DIŒCESIS SUÆ ; DE CAUTELA EJUSDEM IN PRÆBENDARUM COLLATIONE ; ET DE CONTRADICTIONE SUA IN CONCILIO OXONEFORDENSI ADVERSUS INDEBITAM REGIS EXACTIONEM ; ET DE FURORE RICHARDI REGIS CONTRA EUM, ET CONTRA SARISBERIENSEM EPISCOPUM SUBINDE EXCITATO ; ET QUALITER OSCULUM EI REX, PRIMO INVITUS, POST ETIAM SPONTE OBTULERIT.

Sed cum solito crebrius Metropolitanum suum, solitoque instantius Vir Dei, post factam sibi divinitus admonitionem, hortaretur, quatenus omissis parumper quibus indefessus adhærebat curis sæcularibus, studio potius indulgeret Pontificalis officii, quam reipublicæ administrationi, animum ejus ad gravem contra se excitavit simultatem.

Suæ vero jurisdictioni subditos, tam Clericos quam presbyteros, ipse totis viribus, per se ipsum et per Officiales suos, ad vitæ rectioris tramitem et disciplinæ clericalis honestatem revocavit. Nihil enim de paterna solicitudine omittens, languidis sibi commissorum moribus infundebat oleum et vinum; ut severitas coerceret districtionis, quos curare non poterat lenitas pietatis. Quantum vero sudaverit, quantumve profecerit ad correctionem subditorum in hac gemina ecclesiasticæ dispensationis exhibitione, non est facultatis nostræ prout dignum esset exponere, cum hæc etiam peritissimorum ingenia vix multis sufficerent voluminum prolixitatibus enodare.

Ecclesias quoque diœcesis suæ in omnibus, pro posse suo, ad statum curavit debitum erigere. Admittebat sedulo ad earum regimen viros scientia et vita commendabiles : his vero destitutos ab

earum ingressu pro viribus repellebat. In qua nimirum intentione quanto duceretur zelo, ex ipsius verbis melius perpenditur, quibus de se ipso ita sæpissime fatebatur : « Miror, inquiens, quosdam (ut dicitur) gaudere, cum vacant Præbendæ aut Ecclesiæ, quas pro libitu possint novis possessoribus conferre. Vera enim de me ipso loquor, quia nihil unquam in hac vita animum meum ita afflixit, ut anxia solicitudo personas idoneas eligendi aut discernendi, quibus congrue posset regimen vacantium Præbendarum aut dignitatum Ecclesiæ nostræ committi. Nec quidquam mundanum adeo me unquam contristavit, ut error ille quo, ad multorum sæpe commendationem, talibus ecclesiastica concessi Beneficia, quos frustra credidi in canonicis disciplinis esse strenuos, dum eos postmodum, Ecclesiæ ditatos bonis, morum perversitas ostenderit fuisse ignavos. » Et in hunc quidem modum sibi a quibusdam fuisse subreptum non sine gemitu querebatur.

Verum novimus eum, pro hujusmodi errore diligentius cavendo, alicui suorum collateralium, de cujus sinceritate non parum confidebat, specialiter injunxisse, ut si quid vel tenuiter sensisset vel audivisset sinistri, de aliquo quem in Ecclesia sua beneficiare disponeret, hoc ei nullatenus celare præsumeret. Non quod ipse incertis de aliquo rumusculis fidem esset habiturus, sed ut a dubiis etiam certa quandoque eliceret, et conceptum ex incertis quoque laudibus favorem interim temperaret, quousque, discussa super auditis veritate, inoffenso mentis judicio quod ratio dictaret liberius exequeretur. Plurimis vero Deum (ut sperabat) timentibus viris atque discretis injunxit, ut personas moribus et doctrina probatas, quas in gremium Ecclesiæ suæ opportunitate concessa colligeret, suæ notitiæ diligenter exploratas intimarent. Sed væ infelicitati humanæ infirmitatis et ignorantiæ! Nam et ex illis plerique, pro affinitatis aut cujuslibet necessitudinis aut familiaritatis obtentu, culpandos potius ei satagebant commendare : quibus interdum et ille non distulit, quamvis infideliter contra se, immo contra Dominum agentibus, fidem accommodare. Ita ergo se aliquoties circumventum a quibusdam sciebat et gemebat; tantamque hominum infidelium perversitatem, qui Dei patientia suaque simplicitate purissima abusi fuissent, magna de cætero cum detestatione abhorrebat; et a suis, quantum licuit, consiliis eos sequestrabat.

Verum hæc eo agente, et de lucris Dominicis ex acquisitione fidelium animarum studiosius satagente, non quieverunt contra eum virulenta Serpentis antiqui molimina. Sed ne tædium generet Lectori paginæ res singulas prout gestæ sunt prosequentis effluentia, plurimis omissis, ea summatim ex his quæ acciderunt exprimimus, quæ præsenti opusculo magis credidimus opportuna.

Uno igitur anno et mensibus fere

quatuor ante mortem suam, rex Angliæ Richardus in gravem contra ipsum exarsit iram, ob hanc fere causam. Ipso siquidem Rege in transmarinis agente, ac contra regem Francorum Philippum acriter præliante, coacta est, vocante archiepiscopo Cantuariensi Huberto, ad generale Colloquium universitas Magnatum totius Angliæ apud Oxonefordiam [Oxford]. Quibus Archiepiscopus, qui vice Regis publicis præsidebat negotiis, Regias exposuit necessitates : qui sumptibus et militantium copiis inferior, contra Regem dimicaret potentissimum, ad suam exhæredationem et perniciem totis nisibus aspirantem. Postulat demum quatenus decernant in commune, quo genere auxilii Domino suo in tam arctis posito valeant subvenire. Jam vero præfinitum erat ab his, qui secum Regiis ex toto nutibus ducebant parendum, ut Barones Angliæ, inter quos et Episcopi censebantur, trecentos milites Regi exhiberent; qui suis sumptibus ei per annum integrum contra hostes transmarinos indesinenter militarent.

Requisito super hoc in cœtu illo Lincolniensis Episcopi assensu, ipse tacitus secum deliberans paulisper (cum prius tam Primas Cantuariensis, quam alter quidam Episcopus, Londoniensis Richardus, qui et Decanatus privilegio fungebatur inter Episcopos, se suos et sua Regiæ per omnia necessitati exposituros pronunciassent), ita citius respondit : « Nostis, ait, o viri prudentes et nobiles, qui in præsentiarum adestis, me in partibus istis advenam esse, et de simplicitate conversationis eremiticæ ad officium Episcopale assumptum. Cum igitur Ecclesia Dominæ meæ, Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, dudum imperitiæ meæ ad regendum fuisset commissa, consuetudines illius et dignitates, debita etiam et onera, solerter addidici : in quibus conservandis sive exhibendis, hactenus fere per tredecim annos a rectis Prædecessorum meorum vestigiis non recessi. Scio equidem ad militare servitium Domino Regi, sed in hac terra solummodo exhibendum, Lincolniensem ecclesiam teneri; extra metas vero Angliæ nil tale ab ea deberi. Unde mihi consultius arbitror ad natale solum repedare, et eremum more solito incolere, quam hic Pontificatum gerere, et Ecclesiam mihi commissam, antiquas immunitates perdendo, insolitis angariis subjugare. »

Hoc ejus responsum satis ægre Archiepiscopus accipiens, suppressa paululum voce, trementibusque præ indignatione labiis, adjecit a Sarisberiensi episcopo nomine Hereberto inquirere, quidnam et ipse animi haberet super auxilio Regi prospiciendo. Qui ad inquisita sic paucis respondit : « Videtur mihi quia, citra Ecclesiæ meæ enorme præjudicium, aliud a me dici nequit vel fieri, quam quod faciendum esse ex responsione Domini Lincolniensis modo audivi. » Ad hæc nimium indignatus Archiepiscopus, primum in Lincolnien-

sem verbis amarissimis stomachatus, soluto Concilio, nunciavit Regi per ipsum caruisse effectu negotium ipsius. Quo Rex jam secundo et tertio per nuncios Archiepiscopi accepto, in ira et furore magno universa quæ erant Episcopi præcepit quantocius confiscari. Illud idem mandavit et de Sarisberiensi Episcopo fieri; qui Lincolniensis Episcopi diffinitionem suo assensu comprobasset.

Quid multa? Episcopus Sarisberiensis confestim proscribitur : veniensque ad Regem, post injurias, damna atque vexationes et plurimas contumelias, vix tandem, maxima pecuniæ summa, pacem et possessiones suas redemit. In res vero et possessiones Episcopi Lincolniensis nemo præsumpsit manus extendere; dum et offensam ejus metuunt incurrere. Anathema vero illius subire non aliter quam capitale supplicium formidabant. Protrahitur interim tempus, a festo pene S. Nicolai æstivalis usque ad Kalendas Septembris : Rege crebro mandante ut proscriberetur Episcopus, et Regiis executoribus id exequi nulla ratione præsumentibus.

Tandem vero, motus eorum maxime precibus, quos edicta urgebant Regalia ut res illius jure fisci occuparent, transfretavit ad Regem. Ad quem, mediatore nullo utens, per se ipsum confidenter accessit. Reperiensque illum in capella novi castelli Rupis de Andely, audientem Missarum solemnia, in die Doctoris eximii S. Augustini, continuo salutavit eum. Stabat vero ipse Rex secus introitum ostii, in solio Regali; et duo Episcopi, Dulniensis [al. Dunelmensis] scilicet et Heliensis, stabant secus pedes ejus. Cum ergo salutasset Regem Episcopus, ipse non respondit ei verbum; sed cum illum parumper torvis fuisset oculis intuitus, faciem ab eo avertit. Cui Episcopus constanter ait : « Da mihi osculum, Domine Rex. » Qui magis avertit aspectum ab eo, vultumque et caput in partem aliam declinavit. Tunc Episcopus, circa pectus vestem illius fortiter constringens, hanc vehementius concussit, iterum dicens : « Osculum mihi debes, inquit, quia de longinquo ad te venio. » Rex ad hæc, « Non, ait, meruisti, ut osculer te. » Qui fortius concutiens eum per capam quam stricta tenebat manu, confidenter ait : « Immo, inquiens, merui; » et adjecit : « Osculare me. » Tunc ille, admiratus fiduciam constantiæ ejus, paululumque subridens osculatus est eum.

Aderant ibi duo Archiepiscopi, et Episcopi quinque; qui inter solium Regis et gradus altaris constiterant. Qui non procul a Rege, Præsulem hoc modo de Rege jam triumphantem inter se accersiri cupientes, locum ei sessionis fecere. Quos ipse directe pertransivit; ac secus cornu altaris gressum figens, demissis obstinatius in terram luminibus, Divinorum tantummodo celebrationi animum intendebat. Quem interea Rex non parum curioso et pene continuo aspectu considerabat.

Cum ergo, ad trinam invocationem *Agni qui tollit peccata mundi,* jam pacis osculum sacerdos dedisset cuidam Archiepiscopo, qui Regi de more pacem erat allaturus, Rex usque ad gradus ei obvius processit, sumptumque ab eo signum acceptæ pacis per immolationem Cœlestis Agni, cum humili reverentia, Episcopo Lincolniensi per oris sui osculum porrexit. Ita Princeps ille illustrissimus venerationis obsequium, quod sibi Archiepiscopus parabat deferre, ipse potius Episcopo sancto studuit exhibere. Nam ad ipsum alacriter perrexit; et nihil tale suspicanti, sed attentius Domino supplicanti, honorem ipsi, Domino id utique disponente, impendit. : ut impleretur quod Dominus ait, *Glorificantes me glorificabo.*

CAPITULUM VI.

QUALITER REGEM, SUPERATUM RATIONIBUSQUE SEDATUM, DE SUIS EXCESSIBUS INCREPAVERIT; QUANTUM IPSI HONORIS REX IPSA MOX DIE ADVENTUS SUI AD IPSUM DETULERIT; ET QUID HONORIS CITO POST HÆC REGI A DOMINO RETRIBUTUM FUERIT.

Quod Hugo instanter, inter quælibet læta et tristia, inter cuncta prospera et adversa, Domini semper gloriam quæsierit, cum tota indesinenter vitæ illius series docuerit, etiam id, quod sub articulo hujus de quo loquimur diei gessit, luce clarius patefecit. Nam cum, post terrores multiplices, ac vexationum plurimarum acerbitates ei diutius intentatas, subito et insolito eum sublimitas Regia honore dignata fuisset, soliditas pectoris ejus neutro tentationis jaculo vel ad momentum cessit, quominus, calcata funditus humani favoris gloria, hoc indeclinabiliter exequeretur, quod profuturum ad Dei gloriam sagacissimo mentis acumine prævidisset.

Explicito itaque superius memorato sacri altaris Officio, ad Regem accessit; super indignatione ipsius contra se, citra meritum suum excitata, pauca sed fortia expostulavit; et quod in illum nihil penitus aliquando deliquisset, evidentissima ratione propalavit. Quibus Rex cum in contrarium nil referre potuisset, crimen hujus offensæ in Cantuariensem retorsit Archiepiscopum, qui sibi multoties sinistra de eo litteratorie suggessisset. Quæ simul universa veritate vacua fuisse, promptissima rationum facilitate convincens Episcopus, « * O Rex, inquit, honori Dei, et saluti animæ meæ ac tuæ, tuisque utilitatibus nunquam prorsus vel in modico obviavi. [al. * Salvo, inquit, honore Dei, et salute animæ meæ ac tuæ, utilitatibus tuis nunquam prorsus vel in modico obviavi.] »

Ita Regia indignatione sedata, Regiis xeniis Episcopus honoratur; et a Rege, hospitandi gratia, in castellum quod vocitabatur *Portus gaudii,* quod ipse recenter construxerat in quadam insula non procul sita, destinatur. Rogabat vero ut etiam die sequenti ad se veniret; et ita, cum gratia et favore suo, ad propria, post iteratum cum eo colloquium, remearet. Quod ille gratanter

audiens, se in crastino reversurum promisit. Verum pro salute animæ ipsius pastorali solicitudine pie curiosus, apprehensa ejus manu, a sede sua ipsum elevans pertraxit seorsum usque ad locum prope altare; ibidemque sedere eum monens, cum et ipse pariter sederet, sic eum secretius alloquitur : « Noster, inquit, parochianus es, Domine Rex; nobisque incumbit, ratione pastoralis curæ, pro anima vestra, quam universitatis Dominus proprio redemit cruore, in tremendo ipsius judicio respondere. Volo igitur mihi dicatis, qualiter se habeat status interior animæ vestræ; ut ei consilium vel auxilium, prout superna adjuverit aspiratio, efficaciter possim adhibere. Jam enim unius anni spatium elapsum est, ex quo vobis alias locutus fui. »

Cui cum Rex diceret conscientiam suam sibi bonam esse fere in omnibus, nisi quod odio laboraret hostium, quos injuriosos pateretur et nequiter infestos, Episcopus ait : « Si per omnia Dominatoris omnium gratiæ placueris, facile tibi inimicos tuos aut pacatos efficiet, aut expugnatos subjiciet. Verum summopere tibi cavendum est, ne tu (quod absit!) Authori tuo in aliquo injuriosus existas, aut etiam in proximos quidpiam iniquum committas. Dicit enim Scriptura, quod *Cum placuerint Domino viæ hominis, etiam inimicos ejus convertet ad pacem;* cum de contrario alibi dicatur, *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.* Et iterum vir Sanctus de Domino dicit : *Quis unquam restitit ei, et pacem habuit?* — De te vero, quod quidem mœstus loquor, jam publicus rumor est, quod nec propriæ conjugi maritalis tori fidem conservas, nec Ecclesiarum privilegia, in præficiendis maxime sive eligendis earum Pastoribus, illibata custodias. Dicitur enim (quod sane peculiare [al. nimium piaculare] crimen est) quia pecuniæ seu favoris interventu quosdam ad regimen animarum promovere soleas. Quod, procul dubio, si verum est, pax tibi a Domino concedi non potest. »

De his itaque Regem pro tempore admonitum diligenter et instructum, et de aliis quidem se penitus excusantem, de aliis opem suæ intercessionis sedulo flagitantem, cum benedictione dimisit; et ad hospitium sibi Regia provisione delegatum lætus secessit. Rex interea de eo cum suis loquens, et virtutem animi ejus multa laude concelebrans, « Vere, inquit, si tales, qualis iste est, essent passim et cæteri Episcopi, nullus contra eos Regum aut Principum attollere præsumeret cervicem. »

Tunc ei a suis suggestum consiliariis fuit, quatenus per eum in Angliam litteras destinaret, in quibus a Magnatibus terræ alicujusmodi subventionis auxilium flagitaret. Quas ea de causa per illum deferri debere potissimum judicabant, quia procul dubio favorabilius a cunctis exciperentur, si per tantum Nuncium allatæ fuissent. Nonnulli etiam sperabant hoc Episcopum liben-

tius executurum, ut inde Regio favori ulterius commendari potuisset. Verum, ut ait Sapiens, *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Protinus siquidem per Regis domesticos omnia hæc ipsi innotuerunt.

Suggerentibus autem sibi Clericis, quatenus in re tam facili pareret alacriter Regiæ voluntati, ille cum magna aspernatione verba eorum respuit, dicens: « Absit hoc a me; nec enim proposito, sed nec officio meo istud congruere potest. Non est meum portitorem fieri Regalium litterarum. Non enim, inquam, meum est, exactionum hujuscemodi vel in modico existere cooperatorem. Num latet vos, quia semper velut nudato ense supplicat iste potens? Et hæc præsertim potestas, jugiter cum petit, premit. * Verbi gratia nostis quia blandis quidem solicitationibus primum alliciant, quos demum asperrimis coactionibus, non ad quod ipsi volebant, sed ad quod sibi placuerit conferendum impellant. [al. * Angli nostri blandis quidem salutationibus primum alliciunt, quos demum... impellunt.] Sæpe etiam invitos id exequi cogunt, quod semel ultroneos aut ipsos aut eorum prædecessores fecisse noverunt. Non me contingat talibus immisceri, quibus, cum dispendio proximi, gratia comparatur Regis terreni, et indignatio succedenter incurritur omnipotentis Dei. »

Monet igitur Regis consiliarios, ut procurent ne sibi talia injungantur, unde, contradicendo Regiæ deliberationi, ipsius denuo gratiam ipsum necesse sit aliquatenus demereri. Quæ ut Regi innotuerunt, statim mandavit ei, quatenus ad suam cum Dei benedictione Ecclesiam rediret; nec ad se mane, ut condixerant, veniendi laborem sumeret, sed pro eo ad Dominum bono animo indesinenter oraret. Sic ille in nomine Domini a Curialium laqueis liberatus, Dominum magnifice cum suis omnibus benedicens, ad sua cum gaudio remeavit.

Non autem videtur supprimendum silentio, quod divinitus ad consolationem sociorum ejus contigisse interpretati sunt, qui tunc cum eo ad Regem, ut præfati sumus, pariter venerunt. Cum enim ad primos gradus capellæ, ubi Missarum solemniis Rex intendebat, venisset Episcopus, chorus Prosam de S. Augustino decantans, hunc voce altisona versiculum decantabat: *Ave, inclyte Præsul Christi, flos pulcherrime.* Hæc primum vox ingressis fores castelli ab editiori loco emissa, stuporem simul et confidentiam sociis intulit Christi Præsulis. Quæ licet de alio prolata esset Præsule, hanc tamen, quasi de suo in tali hora proferretur Antistite, ipsius comites pro bono acceperunt omine. Auxitque lætitiam hujus præsagii alius continuo versiculus, sub ingressu eorum in capellam decantatus. Sic enim ingredientibus illis ad Regem, voce consona ab universis intropositis Episcopis et Clericis fortius est proclamatum : *O beate, O sancte Augustine! juva catervam*

hanc. Ita illi, geminata consolatione animæquiores effecti, a nimiæ dejectione formidinis in spem superni juvaminis cœperunt respirare. Nec enim injuste quidem formidinis causam talis ira Regis eis videbatur incussisse; cum, juxta dictum Sapientis, *Sicut fremitus leonis, ita et ira Regis.*

Terruerat quoque eos, cum recenti exemplo Sarisberiensis Episcopi, innumeris contumeliis et damnis afflicti, duorum præcipue Nobilium virorum, Comitis videlicet Wilhelmi cognomento Marescalli, et Comitis de Alba Mara, relatio. Hi namque, tertia antea die apud Rothomagum, accesserunt ad Episcopum; et per quantas injurias furor Regis in præfatum Pontificem efferbuisset, quanta et Lincolniensi Episcopo minatus fuisset, illi exponentes, supplicabant quatenus eis, quæ viderentur expedire ad sui ipsius commodum, Regi per eos intimanda ad ejus animum mitigandum, de causa sua vel negotio insinuare dignaretur. Asserebant enim sub jurejurando, quod mallent totis facultatum suarum viribus pacem ei redemisse, quam eveniret ut juxta motum furoris sui Regia in eum immanitas desæviret. « Nec solum, inquiunt, quia vos fidelissime diligimus, talia prosequimur; verum etiam quia tam nobis, quam Domino nostro Regi, et suis omnibus, non mediocriter in hoc casu timemus. Nulli enim dubium esse potest, quin ipsum quam celerrime Cœlestis ultio percellat, si vestram (quod Deus avertat!) indignis exagitare injuriis præsumpserit sanctitatem. Erimusque nos et amici nostri in opprobrium et dejectionem [al. direptionem] dimicantibus adversum nos inimicis nostris. »

Talia prosequentibus Episcopus respondit statim : « Gratias quidem immensas benevolentiæ quam habetis erga nos referimus toto mentis affectu. Optime vero novi quia præ cæteris, in sua præsenti vexatione, cui satis compatimur, Domino Regi nostro estis necessarii ; unde [al. bene] etiam novi quia vobis præ cæteris ad compensationem tenetur impensi servitii. Nolo igitur ut pro me, cui adeo irascitur, aliqua verba faciatis ; ne si vobis duriora responderit, in ejus obsequio reddamini segniores; aut si vos pro me exaudierit, se se pro vobis magnum quid gessisse reputans, ad retribuendum vobis bona quæ meremini ipse inveniatur aliquantulum [al. aliquatenus] remissior. Id tantum, si videtur, dicere ei poteritis, quia ut eum inviseremus ad partes istas venimus. Cui si libuerit ut ipsum videamus, per quemlibet ex suis nobis significet, quo loco debeamus occurrere ei. »

His ab eo dictis, Nobiles illi viri prudentiam simul et magnanimitatem ejus admirantes, plurimum ædificati abierunt ad dominum suum, hæc omnia renunciantes eidem. Qui et ipse non parum hæc illius verba miratus, et animo repente per omnia fere erga illum nutu Divino immutatus, protinus jubet ei renunciari, quatenus sequenti die

tertia apud castrum superius nominatum occurreret ei. Quod ordine prætaxato factum est.

Vix autem sancto Hugone in Angliam reverso, cum necdum ad Ecclesiam suam pervenisset, idem Rex, contra Regem Francorum prope Gisortium impetu facto, captis pluribus Optimatum illius, ipsum in fugam coegit. Tunc etiam Comes Nivernensis, in fossatum castelli dejectus, aquis enectus interiit. Hujus autem triumphi seriem mox Lincolniensi Episcopo significans, et ut pro eo, sicut cœperat, orare dignaretur suppliciter exorans, nomina quoque et numerum virorum fortium quos ceperat litteratorie expressit; scribens inter cætera et asserens, quod etiam ipse Rex Philippus satis de fossato bibisset, in quod cecidisset quidem fuga præcipiti, sed cita suorum ope subvectus evasisset interitum. Hunc autem honorem atque trophæum ei cœlitus concessum meritis sancti Præsulis, multi etiam suorum affirmabant; quem et ipse pro Domino, pristina simultate omissa, decreverat impensius venerari.

CAPITULUM VII.

DE FACTIONE QUORUMDAM ET MACHINATIONE CONTRA EPISCOPUM ET EJUS CLERUM; DE LITTERIS INIQUIS ARCHIEPISCOPI, CUM EARUM BAJULO, SPRETIS AB IPSO; ET TANDEM DE REGIIS EXECUTORIBUS TERRAS EJUS INVADERE AD JUSSIONEM REGIS FORMIDANTIBUS.

Contabuit inter hæc in se ipso collisus serpentis livor antiqui, et de gloria fidelis servi Dei æmulorum ejus fraudulenta molitio confusa erubuit. Ea quidem indoluit victam se in machinationibus suis defecisse; nec machinari tamen, spe quidem vincendi iterum, prætermisit, unde cum authore suo diabolo desperabilius denuo vinceretur. Jam vero metuens, ex desperatione concepta, in ipsum adeo eminentissimæ sanctitatis verticem insidiarum suarum directe et evidenter laqueos suos intendere, per sibi cohærentium saltem membrorum incitationem ad illius nititur læsionem novis et exquisitis fraudum cuniculis prorumpere.

Excogitato itaque versutæ subtilitatis irrefragabili, ut putabatur, machinamento [al. vaframento], suggeritur Regi plurimos esse inter ecclesiæ Lincolniensis Canonicos, qui, redditibus innumeris locupletes, auro etiam vel argento prædivites, citra gravaminis jacturam non modicas pecunias suis quivissent scriniis inferre. « Hujusmodi vero ingenio eas, inquiunt, facile erit ab eisdem extorquere. Scribat Dominus Rex noster Cantuariensi Archiepiscopo, ut de gremio ecclesiæ Lincolniensis duodecim viros prudentia et consilio præeminentes, eloquentia etiam præditos, quos ipse noverit vestro servitio esse idoneos, ad vos destinare festinet; qui, rebus opportunis sufficienter instructi, vestra possint negotia propriis illorum sumptibus in Curia Romana, in Alemania atque Hispania, necnon et alibi quo eos censueritis destinandos, competenti solertia expedire. »

Quid pluribus immoremur? Venit tandem nuncius Archiepiscopi ad Episcopum, præsentans ei ex parte illius duodecim paria litterarum, totidem Ecclesiæ suæ personis eminentioribus porrigenda, sigillo Archiepiscopali inclusa. Attulit etiam Episcopo speciales litteras, in quibus prædictarum tenor litterarum juxta formulam superius comprehensam exprimebatur. In eadem vero Charta [al. In earum vero calce], Regia pariter authoritate et sua mandavit, quatenus litteras singulas illis ad quos erant scriptæ mitteret; quos ad suam quoque præsentiam destinaret, paratos, juxta formam Regii mandati, ad ipsum quantocius Regem transfretare.

His cognitis, illi specialius turbabantur, qui tunc ibidem præsentes inventi sunt, et ad invisam se audierunt expeditionem accersiri. At Episcopus ad audita nihil respondens (erat enim hora prandii), ad mensam accessit jam paratam. Clerici inter prandendum invicem mussitantes, timere se asserunt, ne duriora Episcopus nuncio responderet; cum non Pontificali severitate, sed potius lenitate submissa in casu tam formidoloso opus esset: experiendum primitus, si forte blandiente supplicatu Dominus Cantuariensis posset deliniri, qui, si vellet, consilium istud in melius facile commutaret.

Hæc illis mutuo conferentibus, advertit citius Vir robusti pectoris formidinis eorum diffidentiam. Unde nullius eorum super formanda responsione consilium expetivit; sed continuo ut surrexit a discubitu, ad nuncium qui venerat hæc prosecutus est:

« Nova, inquit, nec uspiam hactenus sunt audita, tam ea quæ authoritate Regia, quam et illa quæ sua nobis voluntate injunxit Dominus noster Archiepiscopus. Sciat tamen me nunquam litterarum suarum portitorem fore vel fuisse, nec Clericos nostros Regiis aliquando servitiis obligasse aut obligaturum esse. Prohibui sæpe Clericis etiam alienis in Episcopatu nostro beneficiatis, ne in publicis functionibus (ut est in distrahendis Forestariis et aliis in hunc modum administrationibus) se se sæculari clientelæ obnoxios auderent efficere. Quosdam etiam, in hoc minus obedientes salutaribus monitis nostris, Beneficiorum suorum diutina privatione castigavimus. Qua igitur ratione de intimis Ecclesiæ nostræ visceribus evellere debemus, quos ad Regia obsequia mittere jubemur? Satis sit Domino nostro Regi, (quod certe in periculum salutis eorum vergit) professionis suæ officio prætermisso, negotiorum illius executioni se se Archiepiscopos jam ex integro devovisse. Quod tamen si parum ei videtur, veniet cum suis en iste Episcopus: veniet, inquam, audire jussa ejus ex ore ejus, et juxta eadem jussa illius, quod justum fuerit promptissime exequetur.

« Tu vero tuarum duodenarum litterarum fasciculum, quas nobis attulisse te dixisti, tecum asporta, inde

quod libuerit actitaturus. Hæc vero universa quæ tibi loquor, Domino nostro Archiepiscopo seriatim enarra; ad postremum vero ei dicturus, quia si ad Regem hoc ordine ituri sunt Clerici nostri, cum eis pariter et ipse ibo. Nec enim ipsi sine me modo ibunt, nec sine ipsis alias ivi ego. Hæc enim Pastoris boni ad oves suas, et bonarum ovium ad Pastorem suum ratio est, ut nec iste illas incaute exponendo dispergat, nec illæ istum temere fugiendo aberrent. »

Iras ad hæc spirabat bajulus litterarum. Erat enim curialis Clericus : in hoc ipsum, ut tali fungeretur legatione, de industria assumptus. Erat quoque, ut dabatur intelligi, fastu innato tumidus, sed tumidissimus ex afflatu spiritus curialis. Qui cum pararet minas evomere, quas, anhelitu præ cordis tumore intercluso, vix sufficiebat proferre, intercidit verba virosa Episcopus, recedere eum quantocius jubens. Qui protinus ita turbatus et confusus abcessit.

Misit vero quosdam ex suis viros prudentes Episcopus ad Archiepiscopum, rogans et monens quatenus permetiri dignaretur et præcavere, in edictis ejusmodi, ecclesiasticæ immunitatis quam tueri tenebatur evidens præjudicium ; nec suæ in talibus præberet ullatenus authoritatis assensum. Quorum ille precibus sive rationibus, specietenus potius quam medullitus flexus, rancore parumper dissimulato, quem palam ex inobedientia (ut dicebat) suffraganei sui se concepisse memoraverat, cum authoritas simul et ratio certa præscribat nunquam debere per obedientiam malum fieri, cum debeat interdum bonum omitti, spopondit se provisurum (quatenus per voluntatem Regiam licuisset) ut præsens negotium ad pacem Domini Lincolniensis aut sopiretur funditus, aut moderatius ordinaretur.

Verum non in longum locum habuit quies pacis repromissæ. Emissis enim cito post ista publicis edictis, jubentur possessiones Episcopi Lincolniensis in manus recipi Regalium exactorum. Quod ut audivit Episcopus, « Nonne, inquit Clericis suis, vere dixi vobis, quia vox quidem hominum istorum vox Jacob est, sed manus, manus sunt Esau? »

Verum ut ea quæ gesta sunt summatim percurramus, illi, quibus fuit demandata executio edicti tyrannici, præ nimia formidine primo supersederunt mandato ; suggerentes Regi quanti esset periculi, tam jubentibus quam exequentibus, quidquam unde incideretur in maledictionem Viri illius attentare : manifestissimum siquidem esse, quod cuicumque ille maledixisset malediceret Dominus, et maledictio, ut dicit Propheta, citius devoraret illum.

Erat tunc in exercitu quidam Rutariorum Princeps, vocabulo Marchadeus, homo per omnia belluinæ sævitiæ perditæque conscientiæ, vir ad quodlibet scelus et sacrilegium præceps. Rex igitur, nil aut parum motus ad meliora, per ea quæ a suis executoribus

crebro ei suggerebantur, « Meticulosi sunt, ait, Anglici isti. Mittamus itaque Marchadeum; qui ludere norit cum Burgundiensi illo. » Cui statim amicorum suorum quidam ait : « Necessarius est, Domine Rex, Marchadeus guerræ vestræ. Cæterum opera illius et obsequio certissime fraudabimini, si efficiatur anathema Lincolniensis Episcopi. » Quod Rex sibi nequaquam expedire affirmans, plusque ipsius periculum quam suum proprium reformidans, illum quidem, ne periret, mittere supersedit. Sed unde ipsemet exitiabiliter periclitaretur, committere non expavit nec præcavit.

Cuidam igitur Officiali suo, nomine Stephano de Traveham [al. Turneham], viro utique fideli et timorato, nostro etiam Pontifici satis devoto, dedit in mandatis, ut sicut vitam suam ac membra diligeret, bona Lincolniensis Episcopi absque dilatione in manus suas reciperet. Qui tandem, Regio metu coactus, misit quosdam ex suis ad terras, vel quæcumque mobilia Episcopi reperissent, cum villis et castellis ipsius occupandas. Quibus primum ad recipiendum oppidum Lafort [al. Lafford, i. e. Sleaford] tendentibus occurrit forte, non longe a Burgo S. Petri, comitatus Episcopi. Cujus illi occursu territi, diverterunt paululum de via ; et accersitis quibusdam e Clericis, exposuerunt eis quanta minatus fuerat Dominus Rex Domino ipsorum, quia distulisset imperata facere [al. Episcopum dissaisire]; et quia inviti metuque supremi discriminis astricti, ad id exequendum modo irent.

More igitur tertii quinquagenarii a Rege perfido missi ad Eliam, isti quoque humiliantes se supplicabant obnixius, ut, illis mediantibus, misereretur animabus eorum verus ille servus Dei; ne propter ejus offensionem quam timebant incurrere, ultio Cœlestis consumeret eos. Orant ut Regiam potius mitigare festinaret animositatem, ne detrimenta cumularentur undique, etiam insontibus, et a merito contentionis inter Regem et Pontificem motæ prorsus alienis. Spondent interim se pro viribus illibatas servaturos res illius. Petunt quatenus suspendat ad tempus sententiam excommunicationis: qua et Regem amplius exacerbari, et suam ipsorum innocentiam periclitari contingeret.

Hæc ubi Episcopo innotuerunt, « Non est, inquit, istorum servare res nostras. Eant tamen ; et res non tam nostras, quam Dominæ nostræ Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, ut eis videbitur, tractent et invadant. » Hæc dicens, protulit e sinu fimbriam stolæ lineæ, qua collo suo, dum iter ageret, semper appensa utebatur sub capa sua ; eamque manu agitans, « Hæc certe, inquit, fimbria [al. Hoc... filulum] restituet nobis, usque ad extremum obolum, quidquid isti duxerint rapiendum. »

Veniensque in villam suam Borredenam [al. Bugdenam] appellatam, ubi et litterarum Archiepiscopalium supra-

dictus portitor ad illum venerat; ubi etiam de tuenda libertate ecclesiastica Divini per quemdam Clericum oraculi præmonitionem, ut dudum supra commemoratum est, acceperat; jussit continuo litteras fieri, quibus præcipiebatur Archidiaconis et Decanis locorum in quibus constitutæ fuerant possessiones suæ, quatenus, adunatis secum vicinarum ecclesiarum presbyteris, mox ut in partes illorum pervenirent executores memorati, pulsatis campanis, accensisque candelis, omnes illos subjicerent anathemati, qui res ecclesiæ suæ violenter contingere et injuste occupare præcipiendo seu obsequendo præsumpsissent.

His in hunc modum dispositis, cum omnes pene sui metu et perturbatione vehementi fluctuarent, ille demum lectulo exceptus, ac si nihil inquietudinis pertulisset, suavissimum extemplo membra laxavit in soporem : nec enim ista ad intima cordis ejus unquam penetrabant. Ea quoque nocte, ut constaret eum, corpore etiam soporato, Deo mente vigili jugiter inhærere, *Amen* continuis fere per intervalla momentis ipsum audivimus resonare. Faciebat hoc cunctis pene noctibus, quod dictu mirum est; nihilque aliud ab ore dormientis aliquando insonuit. Hac vero nocte crebrius solito et intensius, ac velut cum spiritus vehementiori impulsu, *Amen* iterare non desistebat.

CAPITULUM VIII.

DE DUABUS FŒMINIS, QUARUM ALTERAM A PYTHONICO, ALTERAM AB INCUBO ERIPUIT DÆMONE.

Jam vero, quod prætermittendum non fuit, in Capitulo Lincolniensi ad Regem se pro communi necessitate trans mare iturum prædixerat. Jam filiis suis benedictione ad Missas ritu solemni data : illa scilicet qua benedicere jussi sunt filiis Israel sacerdotes in Lege per Moysen, quam ille in Benedictionali suo scribere fecerat; commendatus orationibus singulorum, atque libato invicem sancto pacis osculo, universos commendaverat, verbis Apostolicis, *Deo et verbo gratiæ ejus*. Inde, ut præmissum est, directo calle ad manerium pervenerat supra dictum.

Ubi cum paucis maneret diebus, suggeritur ei a Decano loci vicini, mulierculam quamdam in Decanatu suo, quæ spiritum videretur habere Pythonicum, plurimas ad se divinando turbas pertrahere populorum. Indicabat enim passim furta a quibuscumque admissa, et occulta quæque detegebat maleficia. Si vero ab ipso (ut idem dicebat Decanus) seu a quovis discreto et litterato viro conveniebatur super hoc aut corripiebatur, mox importuna linguæ volubilis dicacitate, arguentem eam quasi stupidum reddebat et elinguem; sicque omnes verbositatis affluentia opprimebat, ut nullus eam evincere, aut ei silentium valeret imponere.

Ad hæc statim Episcopus, « Jam, in-

quit, non post multos dies Londonias adituri sumus. Cum per fines vestros transitum faciemus, illam in loco opportuno adduces in occursum nostri. » Quod et factum est. Descendit itaque de equo suo, visa muliere, Episcopus. Astabat vero ibidem populi frequentia cum parvulis, qui manus impositione erant confirmandi. Muliere igitur sibi præsentata, Vir Domini, quasi cum indignatione obbuccans [al. obluctans *vel* objurgans] non tam miseram illam, quam ejus inhabitatorem occultum dæmonem, « Age jam, o infelix, inquit, quid nosti divinare nobis? » Proferens autem clausum dexteræ suæ pugillum, implicitam in eo tenens extremitatem stolæ suæ, « Dic, ait, sodes, si quidem nosti, quid habet inclusum manus mea? » Hæc vero dicente Episcopo, statim velut exanimis corruit ad pedes ejus muliercula, paulo ante procax et cervicosa, nunc autem subito, ad vocem virtutis tantæ, non modo fandi sed etiam standi impotens effecta. Aufugerat enim internus habitator [al. agitator], qui eam male vegetaverat; et illa remanserat, sub manu sanantis medici, salubriter debilis, quæ sub impetu perimentis morbi extiterat prius lethaliter fortis.

Cum ergo ad vestigia ejus inclinata aliquamdiu jacuisset, præcepit eam allevari. Tunc Decano interprete usus (ignorabat enim linguam rusticanæ mulieris) inquiri jussit, qualiter divinationis peritiam accepisset. Quæ tenui et submissa voce, cum sæpius fuisset interrogata, respondit: « Nescio, inquit, divinare; sed misericordiam imploro sancti hujus Episcopi. » Iterumque, defixo in terram vultu, procidit ad pedes ejus. Cumque, imposita manu capiti ejus, pro ea breviter orasset, data benedictione, præcepit eam ad Priorem Huntedinensem, illarum videlicet partium Pœnitentiarium adduci; dans ei in mandatis, ut veram ageret, præmissa Confessione purissima, de omnibus peccatis suis pœnitentiam. Quod etiam, ut postmodum accepimus, fideliter ipsa implevit. Præcepit vero ei, ne ulterius præsumeret aliena maleficia divinare, sed propria assuesceret indesinenter mala lugere et accusare. Quæ ex hoc tempore adeo modesta apparuit et taciturna, cum prius garrula nimis extitisset et procacissima, ut hoc ipsum loco ingentis miraculi haberetur penes universos, qui mores illius pristinos agnoverunt.

Huic loco, pro causarum necnon et personarum similitudine, alterius ab infestatione dæmoniaca ereptionem mulieris, virtutibus hujus Viri juste admirandam [al. annumerandam], reservavimus exponendam, licet diverso tempore celebratam. Intimaverat ei quodam tempore vir eximiæ eruditionis et doctrinæ, Bartholomæus Exoniensis præsul, quia dæmon quidam, in specie juvenis, abuti consueverat quadam infelici muliercula in sua diœcesi constituta. Quam etiam asserebat tam sibi, quam et aliis venerabilibus personis,

detestabilis hujus passionis suæ ærumnam flebili sæpius confessione propalasse, et consilium quo eriperetur ab obsceno oppressore studiosius inquisisse; jejuniis insuper, et varia carnis maceratione, illam memorabat peccatricia membra sua fere usque ad internecionem perdomuisse; hæc vero simul omnia nihil sibi contra odiosum et improbum amatorem contulisse. In talibus quoque non paucorum jam curricula temporum eam dixit protraxisse.

Hinc venerabilis Pater Hugo, pudoris pariter et pietatis instinctu, compatiens miserabili fœminæ, et indignans impuritati dæmoniacæ, « Cum jam ista, inquit, ut asseritis, contra peccatum suum contritione cordis, confessione oris, et corporis afflictione erigitur, nihil aliud demum superesse videtur, nisi ut apud clementiam piissimi Redemptoris pro ea instantius oretur. » Episcopus autem Exoniensis hoc se, secumque alios innumeros jam diu fecisse, sed nil profecisse palam memorans, ipsum quoque ut pro ea dignaretur orare suppliciter flagitabat. Cui ille, « Hoc, inquit, non ego solus, sed quisque Fidelium devotissime facere debebit. »

Post hæc digressis ab invicem Episcopis, cum iterum sibi occurrissent, aliquanto tempore jam elapso, inquisivit solicitus iste animarum liberator Episcopum illum jam superius memoratum, qualiter res se haberet circa oviculam gregis sui, quam pestifer ille lupus tam immaniter laniaverat. Cui Pontifex non solum illius ereptionem, sed ereptionis quoque ordinem satis mirabilem exposuit in hunc modum :

« Adjuta, inquit, orationibus vestris, dudum illa evasit probrosæ servitutis jugum. Cum enim, die quadam, infestus ille dæmon incredibili eam libidinis furore delusam exanimem pene reddidisset, ille abscedens evanuit, et illa in conclavi suo nimio dolori et mœrori addicta remansit. Cum ecce, in alterius specie juvenis, alius, ut ei videbatur, spiritus ingrediens ad eam, unde adeo mœstos gereret animos sciscitari cœpit. Qua nihil respondente, ait ille : « Scio, vereque novi, quia nequam ille afflixit te ; sed non mirum : est enim perversus et malignus. Verum, si desideriis meis atque consiliis præstare velis assensum, nunquam de cætero is ad te habebit accessum. »

« Ad hæc illa plurimum exhilarata confestim respondit : « Nihil est, inquit, sub cœlo facultati meæ possibile, quod non libens facerem seu perferrem, dummodo ab ipsius accessu perinde salvari possim. » — « Mecum ergo fœdus amoris, ille ait, non dubites inire. Ego siquidem quæcumque poposceris aut optaveris præstabo tibi ; nihil a te tuis contrarium votis exigam ; nihil non delectabile sive amabile tibi inferam. » Spondet illa hæc et alia pollicenti assensum, dummodo experiatur promissæ liberationis effectum. Tunc ille eduxit illam ad proximum domui suæ locum, et herbam eminus succrescentem illi

demonstrans, « Istam, inquit, herbam tolle, et in sinu tuo reconde, et circumcirca in domo tua sparge. Experimento enim disces, dum hæc feceris, me in promissis veridicum extitisse. » Fecit illa quod fuerat edocta.

« Venitque post hæc in nota effigie dæmon versipellis ; astansque prope fenestram qua intrare solebat et exire, et introspiciens dixit ad mulierem : « Quidnam istud est horridum et putridum, quod in hac æde sparsisti ? Projice quantocius longe a te et a domo tua invisum gramen, quod imprudens tibi applicuisti. » Illa dissimulante monitis obtemperare maligni, cœpit ille nunc minis nunc blanditiis instantius agere, ut herbam ejiceret quam se exhorruisse dicebat. Qui ut se contemni vidit ab ea, post morulas aliquot recessit furibundus et minax. Nec paulo tardius affuit alter, ac quasi aggratulans, « Dilecta, ait, verane esse didicisti, quæ tibi locutus sum ? Nunc ergo, dum ego tecum secretius loquar, amovebis parumper a te herbam nostrorum universitati odiosam. Post meum vero discessum resumes armaturam graminis tui, qua illæsa conservaberis ab insidiis hostis virosi. Nequaquam enim furcifer ille ad te præsumet ullatenus accedere, dum sentiet me tecum præsentem esse. » Ad hæc illa, « Venies, inquit, si velis et si possis ad me ; nec enim promissioni meæ debeo contraire. Cæterum herbam istam, vita comite, nunquam rejiciam a me ; quæ sola mihi potuit contra impurissimum oppressorem securitatem præstare. »

« Quid plura ? Et iste, sicut ille prior, post diuturnas preces, post minas, post blanditias frustra protractas, circumventum se à muliercula diu multumque deplorans, in auras inanes demum evanuit. Mulier vero jam fide et devotione, ac bona conversatione, melius quam illa herba armata, vitam duxit in Dei timore honestam et quietam. Hæc autem omnia, ut a nobis narrantur, ego ab illius ore, cum ad me demum jam curata pœnitentiæ modulum et absolutionis beneficium susceptura venisset, audivi. »

Et hæc quidem Exoniensis Episcopus S. Hugoni Episcopo retulit nostro: quæ ipse frequenter retulit nobis plurimis præsentibus. Si cui autem ista forte minus videntur esse fide digna, legat Bedam in explanatione Lucæ Evangelistæ ; et his similia, quæ suis temporibus acciderunt, a tanto Doctore ibidem conscripta reperiet.

Mulier vero præfata, dum orationis gratia multa peragraret loca Sanctorum, pervenit demum Cantuariam. Ubi dum a viris religiosis orationum inquireret suffragia, cuidam monacho S. Augustini herbam illam e sinu suo prolatam ostendit. Quam ille nobis, nos ipsam Episcopo postmodum demonstravimus : nam eatenus eam minime agnoverat. Elapso autem tempore unius anni, retulit nobis idem monachus, qualiter juvenis quidam, nec non

et puella quædam de provincia Estsexiæ [Essex], per talem herbam, ipso eam præbente eis et demonstrante, a præstigiis dæmonum eis visibiliter colloquentium erepti fuerint et defensi. Sed de his plura referre non est temporis vel operis hujus.

Ipsam vero herbam Græci *hypericon,* Latini *herbam perforatam* sive *herbam S. Joannis* appellant. Quæ præter satis utiles alias potentias, quas Physici assignant, venenum specialiter consumere perhibetur, sive bibitum, sive alio modo sumptum, aut etiam morsu virulenti animalis inflictum aut infusum, si trita et aquis temperata patienti detur in potum. Nec putamus esse absurdum, si munere Creatoris vires æstimetur percepisse contra spiritualium nequitias serpentum, quæ materiale extinguit venenum. Legimus namque quasdam gemmas, sed et aliarum rerum certas species, etiam phantasias evacuare larvales : dum nihil in Orbe reliquit propitia miseratio cuncta salvantis Dei, sine remedio competenti, quod lædi valeat hostis livore maligni. Sic enim magis dejicitur superbi illius arrogantia spiritus, dum rebus abjectis et vilibus malignitatis suæ virtus eliditur.

CAPITULUM IX.

DE HOMINE FURIOSO A DÆMONE LIBERATO ; ET DE FURIS EREPTIONE AD SUSPENDIUM DESTINATI ; ET QUALITER BARONIBUS SCACCARII SANCTUS PATER SIT LOCUTUS.

Exigit casus recens, ut solemne miraculum, Domini virtute patratum per fidelem ipsius famulum, jam nunc recenseamus. Id quidem paulo superius, temporis ratione quo gestum est, debuisset exponi, si omnia, quæ de tanto Summi Patrisfamilias operario innotescere necesse est, nostro crederemus obsequio posse evolvi. Verum nos, ut præfati sumus, ea potius quæ ædificant ad æmulationem virtutis, quam ea quæ excitant ad plausum admirationis, de tanto virtutis exemplari prælibare cupientes, istud, cum aliis satis innumeris, sub silentio pene præterivimus. In quo tamen opere plus eminet quod devotum provocet ad virtutem, quam quod decursum [al. curiosum] excitet ad stuporem.

Itaque nuper contigit, ut cum venerabili viro, domino abbate Waltraniensi [al. Walthamensi] Richardo, per villam vocabulo Chestreutam [al. Cestrehunte i. e. Cheshunt], Abbatiæ suæ proximam, transiremus. Cujus ut plateas ingressi sumus, revocavit nobis in memoriam præsentia locorum hoc, quod ante tredecim annos gestum conspeximus. Eo siquidem temporis articulo, quo Regiæ insectationis procella, quam modo describimus, in Lincolniensis ecclesiæ Pastorem, semetipsum pro ovibus exponentem, primum efferbuit, id accidit quod referimus.

Ea itaque tempestate, idem pervigil ovilis Dominici custos Londonias adiit, cum Archiepiscopo cæterisque regni Optimatibus super tanto negotio tractaturus. A quibus id solum consilii re-

portavit, ut pecuniæ ingentis summam a Clericis suis exigeret ; quam, ad sedandum Regis avari furorem, ei per aliquem ex suis celerius destinaret. Ait namque Archiepiscopus illi : « An nescitis, Domine Episcope, quia ut hydropicus aquam, ita Dominus Rex sitit pecuniam ? » Cui citius more suo sanctus Vir respondit : « Plane etsi ipse hydropicus est, sed ego aqua non ero quam ille deglutiat. » Discedens itaque a Londoniis, ad suam festinus repedavit Ecclesiam; unde proponebat, dispositis omnibus, ad Regem, ut supradictum est, velocius transfretare.

Mane igitur, die quadam Dominica, per villam memoratam quam Chestreutam antiquitas nominari instituit, agebat iter. Cumque jam pene totus comitatus illius præcessisset, ipse cum paucissimis sociis villæ medium ingressus, magno vulgi lamentantis clamore subito vallatur. Exoratur denique a populo confluente, ut quemdam convicaneum suum, a sævissimo possessum dæmone, sacræ consignatione dexteræ dignaretur benedicere. Quem ut vidit, aperto domus suæ ostio, interius jacere ligatum, mox spiritu totus infremuit ; nec contentus illum, ut erat, a remotis benedicere, ex equo cui insidebat descendit, ita dicens : « O, proh nefas! Hæc utique non recte se habent. » Cernebat namque dæmonis captivum supinum jacere ; caputque ad postem, manus singulas ad singulos hinc inde paxillos, humo altius defixos, habentem religatas. Pedes quoque pariter vincti, palo erant astricti. Ipsius autem oculi mirabiliter rotabantur in gyrum ; os nunc in hanc, nunc in illam partem miserabiliter [al. miserabili rictu] contorquebatur. Nunc linguam in immensum protendebat ab ore ; nunc dentibus stridebat; nunc hiatu faucium immanissimo, patulum gutturis meatum, ac si quoddam ingens barathrum, et intuentibus horridum, demonstrabat.

Ad quem Præsul velociter accurrens, facto super eum signo Crucis, inclinavit se, et dexteram aliquamdiu prope os illius tenebat oppansam : Evangelicum interim Capitulum, scilicet *In Principio erat Verbum,* voce suppressa percurrens. Cerneres interim miserum caput, quod huc illuc indesinenter agitare consueverat, immotum habere et quietum ; et, ut solent canes cum ictus timent castigantium, oculos subaspiciendo cum quadam formidinis nota in partem variam meticulose dirigere. Percurso itaque Evangelio usque ad locum ubi dicitur *Plenum gratiæ et veritatis,* erexit se Episcopus, et patientem aliquamdiu tacitus considerabat. Qui repente in partem alteram vultum ab eo declinans, linguam more subsannantis ab ore produxit. Tunc indignatus ille strenuus potestatis adversæ debellator, aquam et salem ecclesiastico ritu celerrime benedicens atque commiscens, aspersit super illum ; jubensque circumstantibus ut de aqua eadem ei in os mitterent, et dans omnibus benedi-

ctionem, equum ascendit et discessit.

Benedicebant vero illum universi; asserentes quod suus Episcopus paulo ante eadem via descendens, cum vidisset dæmoniacum, nimio actus pavore, equum cui insederat calcaribus urgens, non solum absque subventione miserum pertransierat, sed tanquam ipsemet Furiis ageretur, equo agente [al. currente] aufugerat. Vir autem ille ex tunc liberatus a dæmone, suam in posterum vitam in omnibus studuit emendare; vacansque diutius per loca Sanctorum peregrinationi piæ, cum annos aliquot vixisset devote, fine tandem bono quievit in pace.

Hæc de consummatione illius in villa præfata nuper a vicinis suis, qui et interfuisse se dicebant curationi memoratæ, accepimus : ubi quoque didicimus qualiter a dæmone correptus fuerit. Cum scilicet mane die quadam in navi dormiret prope Londonias, quo navali vehiculo adduxerat ligna venalia, ubi mox ut eum spiritus malignus intraverat, tam socios suos nautas quam et propria membra dentibus et manibus discerpere et laniare aggressus, vix multorum auxilio tentus et vinctus, ac in navi ad trabem magnam astrictus, inde ad propria revectus est.

Sed redeundum est ad cœptum iter Pontificis nostri versus Regem, stylo jam currente exponendum. Cum igitur, expulso, ut diximus, spiritu Pythonico a muliere, die sequenti territorium sancti Albani fuisset ingressus, ecce occurrit ei cum apparitorum turba quidam damnatitius; qui ob commissum furtum, revinctis post terga brachiis, ad promeritum trahebatur suspendium. Cæteris igitur, ad benedictionem Pontificis expetendam de more suppliciter accurrentibus, ingessit se vi qua potuit etiam vinctus ille; ruensque primum ad cervicem caballi ejus, ac statim sub pedibus ejus procidens, misericordiam flebilibus vocibus inclamabat.

Tunc Episcopus, reductis confestim habenis, quisnam ille esset, vel quid sibi vellet, inquisivit. Cui dictum est a suis, rem ut erat agnoscentibus : « Non vestrum est, Domine, de isto plura interrogare; quin potius sinite eum et pertransite. » Dicebant enim ista, metuentes ne illum, in sui et omnium suorum penes Regem periculum, tentaret eripere. Sed ipse eo magis causam inquirens misericordiam interpellantis, ut eam plenius agnovit, voce alacri dixit : « Eia! Benedictus Deus! » Tunc ait ministris qui eum ducebant ad supplicium : « Redite, filii, nobiscum in villam; et nobis istum dimittentes, Majoribus vestris et Judicibus nos eum vobis abstulisse renunciate. Nos enim vos securos faciemus. » Qui resistere non ausi, hominem ei dimiserunt; quem ille mox solutum a vinculis Eleemosynario suo commendavit.

Qui ut hospitium est ingressus, convenientes ad eum Clerici sui et ministri monebant instantius et exorabant, ut permitteret Judices quod sui esset offi-

cii exequi circa reum suum. Dicebant namque : « Hactenus, Domine, nullus juste contra vos sive Rex, sive alius quis qui vobis insidiatur, aut justam aut justæ similem reperire potuit causam. Si vero sententiam forensium Judicum jam latam, jam executioni demandatam, vestra duxeritis Pontificali authoritate irritandam, dicetur ab æmulis quod in ipsam Regis coronam deliqueritis, et quasi in reatum incideritis læsæ Majestatis. » Quibus ille, « Novi, inquit, magnanimitatis vestræ confidentiam. Sed accersantur ad nos huc Judices isti (jam enim foris stabant, quærentes loqui ei), et audietis, inquit, sermones illorum et nostros. »

Quibus ad suum consessum admissis, sic eis locutus est : « Nostis, o viri prudentes, hanc sanctæ Matris nostræ Ecclesiæ ubique prærogativam esse, ut quibuscumque periculum damnationis declinantibus et ad eam confugientibus securitatem præstet, et incolumitatem conservet. » Quibus id se bene scire, idque jure observari debere respondentibus, adjecit ille : « Si istud scitis, illud inquit, nihilominus scire debetis, quod ubicumque fuerit Episcopus cum simul adunatis Christi Fidelibus, ibi est et Ecclesia. Qui enim materiales lapides Ecclesiæ suo consuevit ministerio Domino dedicare; qui et lapides vivos, ex quibus verius constat Ecclesia, per singula Sacramenta, ut Dominica templa ex eis fiant, habet sanctificare; jure debet, ubicumque fuerit, Ecclesiasticæ dignitatis privilegio gaudere, et periclitantibus cunctis juxta illius formulam debet subvenire. »

Quod Judices illi gratanter accipientes, antiquis etiam Anglorum legibus hoc ipsum recolentes fuisse expressum, sed nunc modernorum vel desidia Pontificum vel tyrannide Principum esse abolitum, habito super hoc tractatu ad invicem, locuti sunt ei in hanc formam: « Domine, inquiunt, filii et parochiani sumus vestri; vosque Pastor et Pater noster. Contra privilegium igitur vestrum venire vel disputare nostrum non erit; nec erit, si placet, vestrum, in nostri periculum attentare quippiam. Proinde si istum liberatis, nos minime resistemus; sed vobis, si placet, ne erga Dominum nostrum Regem periclitemur, prospiciendum relinquimus. » Tunc ille, « Bene, inquit, et recte locuti estis. Ego igitur istum de manibus vestris tollo; pro qua violentia ego ubi oportebit sufficienter respondebo. » Sic reus letum lætus evasit, liberque Londonias cum Episcopo venit, et inde quo libuit indemnis abivit.

Episcopus autem ad Proceres Regis Scaccario præsidentes accessit, eosque ut indemnitati Ecclesiæ suæ, sub ejus præsertim absentia, benigne prospicerent amicabiliter exoravit. Qui ei reverenter assurgentes, et quod petierat obtemperanter se facturos pollicentes, compulerunt eum multis precibus, ut secum vel ad momentum resideret. Quibus ille vix acquiescens, sedit tandem.

Unde illi exhilarati, « Jam, inquiunt, triumphaliter gaudere valebimus, qui diem vidimus quo ad Regis Scaccarium Lincolniensis sedit Episcopus. » Ad hæc ille, locum erubescens, continuo surrexit; osculumque porrexit universis, dicens : « Jam, inquit, et ego de vobis triumphabo, si post libatum pacis osculum, in Ecclesiam meam quidquam admiseritis minus pacificum. » Quod illius factum et dictum illi nimium admirati, mutuo loquebantur dicentes : « O admirabilem prudentiam viri hujus ! Ecce quam de facili præscripsit nobis, ut neque jussi a Rege sine magno dedecore ei debeamus molesti existere ! » Quibus ille benedictione data recessit; et Regem adire disponens, post hæc citius in Normanniam transfretavit.

CAPITULUM X.

QUALITER TRANSFRETAVERIT REGEM ADITURUS ; ET DE CONSOLATIONE PER VISIONEM DIVINITUS EI FACTA ; ET QUALITER REGI DEFUNCTO, DISSUADENTIBUS AMICIS, OCCURRERIT ; CUJUS ETIAM SEPULTURÆ INTERFUIT.

Circa id temporis Rex jam expeditionem direxerat adversus Comitem Engolismensem; cui injustum, ut dicebatur, bellum parabat inferre. Inter ipsum vero et Regem Francorum ab armis interim quiescendum præscribebant Regales induciæ [al. treugæ], quas indixerat initiatæ jam tempus Septuagesimæ. Cum ergo pervenisset Episcopus in Neustriam, in terra illa, ob præsentiam maxime Legati Domini Papæ qui in illis partibus erat, tribus fere septimanis moratus est. Inde, circa principium Quadragesimæ, Andegaviam profectus, in quodam manerio Abbatis S. Nicolai, non longe ab urbe Andegavensi, non minori spatio perendinavit : Regis præstolans reditum a locis remotioribus, in quibus ipsum bellicis vacantem tumultibus adiri nimis videbatur importunum.

Interea a viris Religiosis rogatus Ordinis Grandimontensis, qui in vicino degebant loco, Ordines apud eos celebravit. Qui dum obnixius rogaretur ab Archidiacono Oxonefordensi, nomine Waltero [Map], quatenus juvenem, ut videbatur, satis idoneum, notumque ipsi Episcopo et charum, familiæ ipsius Archilevitæ præpositum, ad gradum promoveret Subdiaconatus, nulla ratione acquievit ; sed pro eo intercedentes non sine motu quodam indignationis compescuit. Quod tunc quidem mirati sunt universi qui aderant; sed paulo post, eodem Clerico culpis suis exigentibus lepræ contagione terribiliter perfuso, rei eventum considerantibus satis claruit, Virum Dei quid ei futurum esset in spiritu prævidisse, in quo noluit benedictionem sacræ Ordinationis deperire.

Manente autem Episcopo in loco præfato, audiebatur passim Regem in contemptores suos minari grandia et sæva moliri; unde et Comitem prædictum evertere penitus festinabat. Perhibebant etiam nonnulli, quod Lincol-

niensem Episcopum simul et Clerum ejus inter illos computaret, quibus, ob sui contemptum, gravia quæque rependere quantocius maturaret. Talia de homine ferocissimo audientes Clerici, non mediocriter timebant sibi.

Erant sub ipso tempore, apud urbem Andegavensium, ex Clericis Herefordensis ecclesiæ præeminentiores quædam personæ præsentes, pro eligendo Episcopo ad Regem venire disponentes. Erat unus ex his memoratus Walterus; qui et Archidiaconus et Canonicus erat ecclesiæ Lincolniensis, et præbendatus etiam in ecclesia Herefordensi. Quem dum in Episcopum ejusdem loci quidam præficere exoptarent, metuebant ne ob simultatem præsentem, qua adversus ecclesiam Lincolniensem Regis intumuerat animus, sui desiderii præpediretur effectus.

Communi igitur consilio Herefordenses cum Lincolniensibus, assumptis secum Decano cum Præcentore Andegavensi, necnon et aliis quibusdam ipsius Ecclesiæ Canonicis, ad Episcopum pariter convenientes, summis ei nisibus conati sunt persuadere, quatenus pro malitia præsentium dierum, ut suus Archiepiscopus crebro præmonuerat, tempus redimendo nuncios ad Regem destinaret; eique, in auxilia sumptuum, certam pecuniæ summam se daturum sponderet; ac tali compendio se ipsum, a labore dispendioso et solicitudine anxia absolutum, ad suam Sedem quantocius reciperet. « Jam, inquiunt, non modo regna, sed et regiones singulas bellicus hinc inde fragor concutit; turbantur populi, urbes et vicos metus invadit. Nihil jam tutum : non civitas ad habitandum, non agger publicus ad viandum. In brevi, nec manere in his locis securum erit, nec abscedere liberum. »

In talibus totum pene diem usque ad vesperam consiliarii isti, nostro Job non parum onerosi, detrivere. Nam et isti a tribus locis convenerant, ut hæc illi persuaderent, sive consulerent, et his eum quasi consolarentur. Hic vero solus, non contra tres solum homines, sed contra totidem hominum turmas indesinenter [al. indefesse] repugnans, rationes eorum vacuas ratione ostendebat. Hoc enim non, ut illi sentiebant, tempus redimere, sed tempus perdere, et quidem turpissime, astruebat : ubi dignitas et Ecclesiæ libertas laicali adeo substernitur satellitio, ut nec personis nec possessionibus ecclesiasticis ecclesiastica quies et tranquillitas concederetur, nisi pretio importabili pro laicorum arbitrio hodie pax redimatur, quæ crastino rescindatur. Et ille quidem talia de redemptione tali sentiebat et proferebat.

Nobis vero jam satis factum est conspicabile, quid per ejusmodi exactiones ille Spiritu Dei plenus præviderit in Ecclesia Anglicana paulo post eventurum; qui in præsentiarum videmus, expulsis et in exilium trusis Monachis, Religiosis et Clericis, Episcopis et Ar-

chiepiscopis, non partem quamlibet, sed universitatem pariter bonorum suorum, laicorum cessisse rapinis. Cum ergo vehementius insisterent consiliatores memorati, ut, procrastinatione remota, statim acquiesceret consilio jam diutissime reprobato; ille, nimio afflictus tædio (quia cernebat eos, quanto in proposito magis pertinaces, tanto eis, nisi morem gereret, animo non minus implacabiles), invisum tandem colloquium ita conclusit : « Jam, inquit, Fratres, ista quoad præsens sufficiant : mane, inspirante Domino, in unam et bonam conveniemus sententiam, quam ipse ad nominis sui gloriam novit uberius profuturam. Nox enim habet consilium, ut frequentius experimento docti sumus. »

Illis post hæc recedentibus, ipse afflictus et spiritu anhelus confitebatur se vix unquam in tam brevi tantum tædii pertulisse. Sedit vero meditabundus aliquamdiu, omnipotentem Deum intimo cordis affectu exorans, ut sic perplexitatis tantæ nodum effugeret, quatenus et illum minime offenderet, et amicos et filios nequaquam velut aspernando eorum sententiam scandalizaret. Laxatis autem membris demum in soporem, cordis ejus intima Deum somniare cœperunt. Tunc, post longas visionis almifluæ delicias, hanc cœlitus emissam vocem audivit : *Mirabilis Deus in Sanctis suis; Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ. Benedictus Deus !* In hac voce ille somno excitatus, stratum deserit; solitoque citius ad Confessionem, quam die quolibet Sabbati faciebat, accessit : in qua se se vehementer reprehendebat super quantulacumque titubatione hesterna, qua vel spem conniventiæ [al. convenientiæ] suæ noxia consulentibus prorogasset. « Spero tamen, inquit, quod confitenti sibi et deflenti iniquitatem meam propitietur mihi Dominus noster clemens et pius, et juxta omnia mirabilia sua eruat nos a præsenti angustia. »

Ecce autem in brevi post hæc, venit ad eum venerabilis Abbatissa de Fonte Ebraldi, indicans ei secretius Regem, telo balistæ percussum, ancipiti sorte inter confinium vitæ et lethi fluitantem [al. fluctuantem], dies jam aliquot in nimiis doloribus protraxisse. Quantum vero recolere possumus, Rex ipsa die confossus [al. jaculatus] est ictu lethali, quo S. Hugo Episcopus adeo cruciatus fuit importunitate sinistri consilii. Eo autem interstitio temporis quod ictum et nuncium intercessit Regii vulneris, nemo etiam (unde mirabamur) ei quidquam loquebatur super diffinitione tam ardui tamque urgentis negotii. Ipse vero sub silentio præstolabatur salutare Dei.

Decanus interea et Canonici Andegavensis ecclesiæ rogabant eum, quatenus instante die Dominica Palmarum divinum apud eos exequeretur Officium; quia eorum Pontifex a Curia necdum redierat Romana, ubi nuper Episcopalem perceperat consecrationem. Quibus ille acquiescens, cum jam præcedenti Sabbato ad urbem tenderet

memoratam, medio itinere occurrit ei Clericus quidam nomine Gilbertus de Lacy, verbis certissimis annuncians Regem mortis jam debitum exsolvisse; quem et die sequenti, ad vestigia patris sui Henrici, ad monasterium Fontis Ebraldi tradendum innotuit sepulturæ.

His ille auditis, altius ingemuit, seque ad locum designatum in obsequium funeris mox suis intimavit esse iturum. Quod ne faceret, eorum pene universitas dissuadere tentavit. Ubi autem pervenit ad urbem, agnovit jam circumquaque hos percrebuisse rumores, passimque viantibus violentias inferri, et rapinas undique exerceri. Nam et ex domesticis ejus quidam, qui ab Anglia ei sumptus afferebant, in manus prædantium inciderunt, qui eis quadraginta marcas argenti abstulerunt. Suadebant igitur amici, una cum domesticis suis, ne se ipsum et suos talibus exponeret tumultibus; quin potius in civitate resideret, quousque Regi defuncto Princeps legitimus succederet, per quem violentorum nequitiam comprimi eveniret. Asserebant namque plurimi, tantam esse eorum perversitatem, quod nec magis deferrent Pontifici quam personæ cuilibet laicali. « Quid vero, aiebant, vobis suppeteret consilii, si (quod Deus avertat!) in remota solitudine vecturis et vestibus vos per istos contingeret spoliari? »

Ad hæc ille, ut vere justus, qui sicut leo confidens absque terrore [in omni terrore] fuit, immo et illato semper terrore constantior, infit : « Satis utique patet, quanta in hoc itinere timenda, sed timidis, occurrere possunt. Verum mihi multo magis timendum existimo, ne Domino quondam et Regi meo meam ignaviter videar in tali articulo subtrahere præsentiam, nec fidem vel gratiam mortuo reservem, quam vivo semper devotus exhibui. Quid enim si nobis molestiam intulit, dum sibi a malignis adulantium consiliis minus cavit? Certe sed præsentiam meam nunquam nisi cum summo excepit honore, nunquam me inexauditum dimisit, cum ei ore proprio super negotiis meis aliqua suggessi. Si quid in absentem deliquit, obtrectantium livori, non suæ id debuit pravitati seu malitiæ adscribi. Reddam igitur vicem, pro viribus meis, mihi sæpius ab eo impensis honoribus ; nec per me stabit, quin ejus exequiis devotus assistam. Si pergenti prædones occurrant, si equos tollant, si vestes auferant, eo expeditius pedes incedam [al. incedent], quo fuerint vestium sarcinæ leviores. Si et pedes compedibus constringantur, et incedendi facultas denegetur, tunc primo legitime excusabitur absentia corporalis, cum non suo vitio sed alienis remorata fuerit obstaculis. »

Hæc dicens, relictis in civitate sociis et universa pene supellectili sua, uno tantum ex minoribus Clericorum suorum, et uno cum paucis ex clientibus monacho secum pergentibus, ire cœpit. Audiens vero Reginam Berengariam in castro morari quod Beaufort vocatur,

divertit a via publica; et per horrida sylvarum loca, ut eam super viri sui consolaretur interitu, ad memoratum oppidum pervenit. Locutusque ad cor viduæ mœrentis et usque ad animam pene consternatæ, miro modo spiritum ejus delinivit. Quam optimis sermonibus ad habendam in adversis tolerantiam, in prosperis cautelam informans, celebrata ibidem Missa, ac benedictione solemni Reginæ, cum aliis matronis quæ aderant, multa ex devotione impertita, recessit continuo.

Pervenit autem ipsa die ad oppidum quod Samur [Saumur] dicitur; exceptusque est cum lætitia et occursu festivo ab oppidanis illis, et apud prædictum Gilbertum de Lacy, tunc scholis ibidem vacantem, nimiis ejus devictus precibus mansit. A quo liberalissime exceptus, sequenti mane, Dominica videlicet Palmarum die, venit ad monasterium Fontis Ebraldi; obviosque habuit, in ipsis foribus ecclesiæ, Regii funeris portitores. Quo demum honorificentissime, juxta magnificentiam Regiam, tradito sepulturæ, rediit denuo ad hospitium prætaxatum. Inde per triduum continuatim ad monasterium pergens supra dictum, Missarum et psalmorum replicatione, tam Regibus ibidem sepultis, quam Fidelibus cunctis in Christo quiescentibus, veniam imploravit et lucis perpetuæ felicitatem.

CAPITULUM XI.

QUOMODO JOANNES AGNOMINATUS « SINE TERRA » IN LOCUM FRATRIS SUI RICHARDI REGIS SUCCEDENS, CIRCA PRINCIPATUS SUI PRIMORDIA SE HABUERIT, SIVE QUOAD REVERENTIAM S. HUGONIS SEU QUOAD NOTABILE PRÆSAGIUM FUTURI STATUS EJUS.

Feria vero quarta jam dilucescente, frater Regis Joannes cognominatus *Sine terra,* susceptus est apud Chinonem a Proceribus quibusdam Anglorum castrum ipsum servantibus, ut præesset omnibus loco fratris sui. Familia quoque Regis defuncti ibidem constituta se ad ipsum contulit ipsa die. Præstiterat enim solemne juramentum, quod testamentum Regis defuncti fideliter exequeretur; quod præterea legitimas priorum consuetudines, justasque terrarum sive populorum leges quibus erat præficiendus, inviolabiliter observaret. Rex quidem, modico ante obitum suum tempore, terris omnibus quas habuit ipsum destituerat et exuerat, eo quod accepisset eum cum Rege Francorum in sui perditionem [al. præjudicio] conspirasse. Qui, sub ea tempestate qua Rex occubuit, apud nepotem suum Arthurum in Britannia fuit.

Fratris vero nece audita, Chinonem venit cum paucis; misitque statim ad beatum Hugonem Episcopum in burgo supradicto consistentem et repatriandi commeatum præstolantem, suppliciter exorans quatenus suam ei celerius dignaretur exhibere præsentiam. Ad cujus sibi occurrentis in via conspectum, ille gaudio gavisus immenso, dimisso [al.

admisso] equo, relicto comitatu universo, ei obvius processit; eumque veneratus, rogavit ut ab eo minime discederet, sed pariter reversurus secum in Angliam, in transmarinis partibus contubernium sibi individuum exhiberet. Quod ille se nequaquam facturum prolatis rationibus insinuans, venit tamen cum eo usque Samur, cum prius visitassent apud Fontem Ebraldi Regalia busta, patris scilicet et fratris ipsius. Ubi quæ tunc gesta sunt, cum sint notitia et imitatione digna, non videntur desidioso silentio supprimenda.

Cum enim novus ille tantarum gentium dominus, plurima stipatus Nobilium turma, ad ostium chori propria manu diutius pulsans, ingredi vellet, ut sepulchra videret prædictorum seque orationibus sanctæ illius commendaret Congregationis, responsum accepit a duabus reverendæ gravitatis sanctimonialibus, quia nulli mortalium liceret aut Conventum inspicere, aut septa interiora adire, nisi sub præsentia Abbatissæ suæ. « Illius, inquiunt, reditum opperiri vos oportet, quæ mox de itinere speratur reversura. Nec durum reputet Excellentia vestra, quod nec illius intuitu Ordinis nostri Statuta infringimus. In hoc potius dignæ memoriæ genitor vester vobis imitandus censeatur, qui in viris Religiosis id quam maxime venerabatur, si tradita sibi Majorum Instituta rigida et inviolabili devotione observarent. » His ita prolatis, virgines illæ prudentes pulsantem Principem compescunt et excludunt; clausisque diligenter foribus, ad socias revertuntur.

Is vero ad Episcopum conversus, rogabat eum quatenus petitionem suam, pro suffragiis illarum apud Dominum obtinendis, ancillis Christi exprimeret: plurima etiam bona, quæ eis conferre disponebat, eisdem propalaret. Cui ille, « Nostis, inquit, quia satis aversor omne mendacium. Cavebo igitur mihi ne labiis meis promissa vestra enunciem, nisi hæc certissime a vobis impendenda præsumam. » Jurat ille se non modo quæ tunc promittebat impleturum, sed pro tempore et loco hæc se abundantius cumulaturum. Quod tandem S. Hugo Episcopus sanctimonialibus, ipso astante, exposuit; ejusque auspicia precibus earum et meritis commendans, data universis benedictione, una cum ipso discessit.

Cui plurima jam de pietate in Deum, de clementia in subditos, de justitia in universos disseruerat. Qui ad omnia se paratum, animoque pronum ac devotum contestans, ei tanquam patri et præceptori se ex integro pariturum semper affirmans, totius sui moderationem ejus sanctitati attentius commendabat. Cui etiam, inter amicæ confabulationis verba, productum ex sinu lapidem inclusum auro, et collo suo appensum ostenderat : asserens hunc cuidam progenitorum suorum cum tali fuisse pollicitatione cœlitus donatum, quod nunquam privaretur avitæ domi-

nationis amplitudine, si quis successorum suorum ipsum meruisset possidere. Ad hæc vero S. Hugo confestim responderat : « Non, inquit, in lapide insensibili fiduciam ponatis, sed tantum in Lapide vivo et vere cœlesti, Domino Jesu Christo. Huic fundamentum cordis vestri, huic spei vestræ anchoram firmissime imprimatis. Hic enim solidus et vivus Lapis, ut omnes sibi resistentes conterit, ita et sibi innitentes defluere non sinit ; sed ad altiora semper attollens, ipsos etiam ad ampliora promerenda dilatando extendit. »

Cum vero ad porticum jam pervenissent, ecclesiam egressuri, ubi imago extremi Examinis, quo electi a reprobis secernuntur, eleganter satis pro modulo humani exprimitur artificii opere sculptoris, Episcopus comitem, futurum in proximo Regem, manu protraxit ad lævam Judicis, ubi Reges cum suis insignibus inter damnatos, audituri *Ite maledicti in ignem æternum,* a gehennalibus tortoribus rapiuntur in Tartarum.

Tunc ait Episcopus : « Horum ejulatus et interminabiles dolores et cruciatus vobis indesinenter animus repræsentet; hæc perpetua supplicia vobis ante cordis oculos assidue versentur. Horum malorum sedula recordatio doceat vos, quanto sui dispendio aliis ad tempus modicum præficiuntur regendis hominibus, qui se ipsos male regentes, sine fine cruciandi dæmoniacis subjiciuntur spiritibus. Hæc dummodo vitare licet, semper expedit formidare ; ne cum non licet, jugiter postmodum contingat tolerare. » Dicebat quoque cælaturam seu picturam hujusmodi in ipsis ecclesiarum aditibus congrua satis ratione prætexi, quatenus intraturi et pro necessitatibus suis Dominum rogaturi, hanc summam et supremam necessitatem suam esse sciant, ut impetrent veniam pro delictis ; qua impetrata securi permaneant a pœnis, et gaudeant in deliciis sempiternis.

Et quidem S. Episcopus talia prosecutus est. Sed o utinam Joannes, qui usque in diem hunc, quo annus jam quartus decimus elabitur ex quo hæc dicta et facta sunt, omnia videtur oblivioni dedisse, quæ illa die vidit et audivit, promisit et dixit; o, inquam, quod tunc fecit et dixit, utinam vel nunc sero recordetur, et, licet id penitus a pluribus desperetur, ad evadendum perpetuum interitum animetur! Cum enim in Deum et proximum, cum in Clerum et populum tanta commiserit, ut esse videatur plaga ejus incurabilis et excessus irreparabilis; et ipse, tam oculo mentis obturato quam corde obdurato, nec quæ præsentialiter patitur sentit, nec quæ postmodum pati meretur intelligit; confusionis ex hoc nunc suæ atque dejectionis incurrit certa dispendia. De quo, jam teste toto pene mundo, impletur illud quod Scriptura dicit : *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Utinam vero imminens vexatio det ei intellectum, ut saltem

tunc studeat æternam vitare calamitatem, cum temporalem funditus amittet potestatem, et de sinistra in dexteram se transferat supremi Judicis, cum experietur quid habeat ponderis judicium quod parvipendit Ecclesiasticæ severitatis! Id enim se facturum, in loco superius memorato, asseruit.

Transiens quippe, et manu secum trahens beatum Episcopum ad partem oppositam [al. ad parietem oppositum], et ostendens Reges speciosis insignitos coronis, Angelico ductu in gaudium tendentes superni Regis, « Hos, inquit, Domine Episcope, nobis potius monstrare debuistis; quorum exemplum atque consortium sequi et assequi habemus in votis. » Tam vero in gestu et affatu, paucis post hæc diebus, adeo humilem se ostendebat et submissum, ut videretur excedere modum. Occurrentibus sibi ob iter mendicis ac fausta precantibus, corpore incurvato ac capite altius demisso gratias diligenter referebat : salutantes se pannosas etiam aniculas mitissime resalutabat. At vero post triduum, lætificatos non mediocriter ex his, tam Episcopum quam et alios ista conspicientes, ex aliis gestis et dictis incongruis multo amplius contristavit. Ex quibus, gratia compendii plurima supprimentes, pauca referimus ; ut conjiciat prudens auditor, ubi talem perpenderit radicem, qualem æstimare liceat secuturam ex eadem arbore fructuum fertilitatem.

Cum igitur, die sanctissimo Resurrectionis Dominicæ, oblaturus ex more ad manus accessisset S. Episcopi Hugonis altario assistentis, aurea ei numismata a cubiculario suo (sicut mos Regius exigebat) bis sena dabantur in palmam. Hæc ille, stipatus undique non modica turba Nobilium, cum staret ante Episcopum, diutius intuens et quasi ludendo agitans, tam diu offerre distulit, quousque omnes eum intuentes mirarentur. Tandem Præsul, motus ob hujusmodi ejus gestum tali hora et tali loco, « Quid ita, inquit, respicitis? » Qui ait illi : « Istos sane aureos intueor, mecum reputans quia ante hos dies paucissimos si tenuissem eos, non vobis illos offerrem, sed meæ potius crumenæ inferrem : [verumtamen jam modo accipite illos]. » Indignatus ad hæc Vir Dei, et vice illius vehementer erubescens, ut erat mentis piæ et cordis generosi, protensum ad se retraxit brachium suum, nec illius aurum contingere passus, nec suam dexteram ore tam avaro sustinens exosculari. Fremens vero in se ipso, et caput suum movens in eum, « Jacta, inquit, ibi quod tenes, et recede. » Qui in pelvim argenteam, in quam oblata congerebantur, nummos ipsos projiciens abscessit.

Nihil vero sibi de oblatione quisquam eorum qui Episcopo adhærebant, in aliena unquam ecclesia, nisi forte ubi ecclesias dedicaret, retinere præsumpsit : dicente sæpius ipso injustum satis sibi videri, ut ab ara alterius illi quidquam temporale asportent, qui de

gratia ipsum locum custodientis spiritualem mentium alimoniam ibidem participant [al. percipiant]. Hoc quoque tam in propria, quam in aliena ubique diœcesi observabat, et observari a suis faciebat. Nec de ista ergo suorum quilibet oblatione quidquam accepit. Videbatur autem tunc quibusdam, quia Dominum in hoc imitaretur fidelis et prudens servus ejus. Ut enim Dominus ad Caïn et ad munera ejus olim non respexit, ita modo servus Domini, quia muneris oblatorem non immerito improbavit, ejus vel munus tangere contempsit.

Qui verbum Domini astantium multitudini prædicare exorsus, cum de bonorum seu malorum Principum moribus et præmiis postfuturis multa dissereret, dum ab aliis devote acclamaretur sibi, *memoratus Principum ille primus [al. * Princeps memoratus, more Principum] qui mane comedunt, tam materiam quam moram sermonis non æque ferens, ter misit ad eum, flagitans obnixe ut sermoni metam ponat, et Divina percelebret, quatenus sibi post tanta jejunia vesci liceat [al. concedat]. Sed fortis Evangelizator noster, qui super montem excelsum conscenderat, vota et mandata ipsius longe despiciens, quin et vocem fortius exaltans, multitudinem maximam auditorum tam diu pane spiritualis doctrinæ cibare non destitit, donec, cunctis acclamantibus plurimisque illachrymantibus, ad digne percipiendum Panem sacramentalem qui de Cœlo descendit et dat vitam mundo, eos pro tempore sufficienter informaret.

Princeps vero ille, utriusque refectionis, cibi scilicet doctrinæ et Sacramenti expers, carnem suam carnibus saturare festinans, mentis jejunia non curabat. Neque enim ipso sacratissimo die Paschæ, sed nec sequenti festo Ascensionis Dominicæ, quando in Regem promotus est, sacræ Communionis mysteria percipere acquievit. Ferebatur quoque a familiaribus ejus, quod ex quo discretionis annos attigit, illius nunquam particeps extiterit.

Post hæc, octava die [Paschæ], dum apud Rothomagum inter sacra Missarum solemnia Ducatus susciperet insignia ; cum solemni more ei daret Archiepiscopus lanceam in manus, vexillum præferentem quo Duces Neustriæ honoris sui investituram solebant percipere ; ille, audito tumultu applaudentium et pueriliter cachinnantium adolescentium quorumdam [al. quondam] sodalium suorum, ut erat Divinis animo parum intentus, ad eos post tergum levitatis instinctu conversus, dum jocantibus et ipse arrideret, hastam quam minus firmiter apprehenderat decidere permisit in terram. Quod ei ominis fuisse signum infausti, consona pene universorum qui aderant interpretatio asserebat. Jam vero hujus rei præsagium clarius enitescit, dum, illo enerviter lasciviente, non solum Ducatum Normanniæ, sed et, cum aliis Provinciis

et Comitatibus, Aquitaniæ etiam ditionem amisit. Supremo nimirum omnium Rectore id juste disponente, ut qui ad ipsum usque in præsens cor suum dirigere et spem in eo figere neglexit, nec ipse manu valida sibi commissos regere, nec eorum subjectionem sibi diutius quiverit vindicare.

Verum de Principis hujus principiis, hominis videlicet qui non posuit Deum adjutorem suum, hæc ita summatim perstrinxisse sufficiat. Restat vero ut ad retexendum finem vitæ hominis, habitantis jugiter in adjutorio Altissimi et in protectione Dei Cœli finaliter commorantis, in aliis remorata jam nimium hæc nostra qualiscumque oratio recurrat.

CAPITULUM XII.

QUOMODO APUD VICUM QUI FLECHA DICITUR, MISSAS SOLEMNITER CELEBRANDO, VIOLENTIAM PRÆDONUM EQUOS DIRIPIENTIUM ET SARCINULAS SUORUM EVASERIT; ITIDEMQUE CENOMANIS, HYMNOS MATUTINARUM PROTRACTIUS CANTANDO, ARMATORUM INSIDIAS ELUSERIT; ET DEMUM CUM GAUDIO TRIUMPHALI AD SUOS IN ANGLIAM REDIERIT.

Cum enim styli velocioris impetum usque ad Lectoris tædium effluere pertimescimus, de gestis insignibus dictisque memorabilibus Viri beatissimi satis innumera ex consulto præterimus. Quod eo confidentiori animo facere præsumimus, minusque de suppressæ veritatis fraude nobis metuimus, quo a nobis omissa, sicut supra memoravimus, ab aliis commodius dicta scriptoque indita esse certissime speramus. Cursim igitur ea quæ restant usque ad felicem excessum illius perstringimus, ne aliunde jam tenentibus, aut postmodum percepturis potiora, hæc nostra non modo superflua, sed etiam videantur onerosa. Ne vero ut etiam præsumptuosa condemnentur, eorum arbitrio relinquimus providendum, quorum sumus imperio compulsi ad scribendum.

Sciendum itaque ipsum Hugonem, vere mundi exulem et Cœli civem, ex tunc quam maxime præsentis incolatus sui dispendia exhorruisse, Cœlestisque habitationis desiderio flagrasse, ex quo plenius animadvertit optatam a quibusdam regni mutationem ad deteriora vergere, et speratam status ecclesiastici meliorationem in adversum cedere. Ad Ecclesiam ergo suam quantocius censuit repedandum, quatenus saluti commissarum sibi solertius provideret animarum, sibique etiam liberius, ex uberiori fructu pietatis omnimodæ, ad superna gaudia exquireret commeatum.

Valedicens itaque memorato Principi, recessit ab eo feria secunda Paschæ. Cum pervenisset ad villam quamdam in qua hospitari decreverat, quam incolæ Flecham [La Flèche] vocant, ingressus ecclesiam, Missam celebrare parabat. Et ecce, illo nondum sacris vestibus induto, turbati ad eum accurrunt ministri sui, nunciantes equos et rhedas ipsius ab illius loci custodibus retineri, quosdam etiam ex sagmariis suorum a prædonibus abduci. Erant vero in comitatu ipsius dominus Gilbertus Rolnecestren-

sis [al. Rovecestrensis vel Rovensis] episcopus, et Clerici diversorum locorum quam plurimi. Qui omnes unanimiter rogabant eum, quatenus prætermissa, ob tantæ necessitatis et perturbationis eventum, Missarum celebratione, Evangelica lectione contentus foret, utque quomodo se et suos expediret a tantis periculis animum intenderet.

Qui nihil turbatus ex his quæ a raptoribus gerebantur, sed nec motus ex his quæ a comitibus suggerebantur, ut surdus et mutus ad audita, cœptis tantum insistebat. Nec simpliciter et plane contentus Officium peragere, immo et sandaliis, tunica et dalmatica cum cæteris insignibus utens, utque universos Divino præsidio melius communiret, Pontificalem benedictionem agendis interserens, Missam more solemni quam devotissime peregit. Omnibus igitur rite completis, dum sacris se exuit indumentis [al. induviis], accurrunt ipsius loci Magistratus in ecclesiam, suppliciter et obnixe veniam postulantes, quod impedire suos vel turbare præsumpsissent. Spondent quoque obsequia, si dignetur pernoctare in loco; sin autem duxerit ulterius procedendum, conductum ex suis ad loca tutiora pollicentur. Quos ille satis hilariter allocutus, ut erat spirituali jucunditate ac cœlesti repletus Convivio, conductum eorum non respuens, continuo ab eis recessit. Ipsaque die, cum universo comitatu, ad monasterium S. Petri in suburbio constitutum Cenomanensi pervenit.

Sequenti diluculo, dum matutinale Deo exsolvit Officium, et longas ex more solito recitari facit Lectiones, tumultus ingens a mœnibus civitatis increpuit. Milites namque cum manu armata, directi a Comitissa Britanniæ et ejus filio Arthuro, insultum fecerant, ut Joannem prænominatum caperent: qui nocte quidem ipsa illuc advenerat, sed præsentiens insidias sibi paratas, ante lucis exortum urbem clanculo pertransierat. Hæc ut primum agnovit Gerardus, quidam ex Clericis S. Hugonis Episcopi, turbulenter satis et anxie ei studuit quæ didicerat enunciare : orans instantius ut Officium quod agebat breviatis Lectionibus percantaret; quatenus, discursantium manus armatorum dubia adhuc sub luce facilius declinando, cum sociis qui jam præcesserant, instantem tutius perageret dietam.

Verum ille, ut hunc quoque turbinem impavidus excepit, sic tranquille cum omni diligentia debitos Deo hymnos persolvit : nec plane ad insipientiam sibi. Nam dum moraretur, affuit ejusdem loci Abbas, qui illum eques præcessit, et per semitarum compendia illæsum deduxit ultra civitatis suburbana. Ex his vero qui ipsum præcesserant, plures intercepti atque detenti sunt ab hostili violentia. Reliquit autem ibidem, in custodia prædicti Abbatis, rhedas suas [al. duas] cum equis aliquibus, et varia supellectili. Quæ simul omnia præfata Comitissa, ad civitatem ipsam sequenti die adveniens, ad ipsum de-

duci fecit, orationibus illius se ipsam et filium suum studiose commendans. Ipse vero Sagiensem tendebat ad urbem.

Acceperat quoque relatione plurimorum, Abbatem de Persem [al. Persein vel Persenia] optimis esse studiis præditum, probisque moribus valde insignitum. Audiens quoque illius cœnobium non procul a via qua pergebat esse constitutum, cupiens viri Dei notitiam sibi comparare, ejusque orationibus se ipsum commendare, nec temporis inquietudine nec itineris potuit longitudine revocari, quin ad ipsum inquirendum alacri devotione properaret. Per devios itaque suisque omnibus ignotos calles, cum paucis suorum ad diu quæsitum demum pervenit monasterium : reliquis servientibus et sociis recto itinere ad urbem præmissis, quo erat ipse hospitium subiturus. Cum agnovisset vero Abbatem tunc esse absentem, celebrata Missa discessit : totum videlicet expendens piæ devotionis unguentum in ipso Justorum Capite, scilicet Domino Jesu Christo, quod participare decreverat cum membro ipsius et servo fideli admodum et honesto.

Jam vero post hæc, omni ablato cujuscumque difficultatis obstaculo, Ecclesiæ suæ gremio lætus excipitur; pacem exoptatam filiis reportans, multo quidem sudore sed multiplici honore comparatam, et toto ipsius vitæ spatio duraturam. Occurrebant vero ei undique, non modo ex civitate et in civitate et diœcesi sua, turbæ lætantium et applaudentium tanquam duci eximio sublimiter triumphanti ; verum quoque plurimi in Normannia, in Anglia ex populo et ex Clero prorsus innumeri, unanimiter ei conclamabant : ***Benedictus qui venit in nomine Domini.*** Ipse vero totum Deo et nihil sibi tribuens, benedicebat Dominum, qui semper in omnibus triumphat suos in Christo.

CAPITULUM XIII.

QUOD ANNO SEQUENTI, PACE REFORMATA INTER DUOS REGES, SCILICET JOANNEM ANGLORUM ET PHILIPPUM FRANCORUM, CARTUSIAM ADIRE CŒPERIT ; ET DE ITINERIS ILLIUS INCIDENTIBUS, QUOADUSQUE PERVENIRETUR AD S. ANTONIUM ; ET DE MIRACULIS IBIDEM CONTINGENTIBUS.

Expleto jam uno post Regis Joannis coronationem anno, ad petitionem illius transfretavit iterum beatus Episcopus, ut interesset colloquio ipsius habendo cum Rege Francorum, in quo demum pax reformata est inter eos. Videbatur sibi tunc opportunum tempus invenisse Vir Dei, ut Domum inviseret Cartusiensem. Habuerat sane jam diu in votis, ante vitæ præsentis excursum, locum semper amatum adire, statumque Ordinis præsentialiter intueri, et gregis illius (ut pusilli ita et sanctissimi) aspectu et affatu, interna sua desideria ab externis tumultibus aliquantulum respirando uberius refovere. Optabat profecto sarcinæ etiam Pastoralis curæ ex integro (si daretur facultas) renunciare, ne mundanis litibus diffiniendis sub prætextu spiritualis officii, ordine (ut memorabat) præpostero, totis ferme

diebus cogeretur inservire. « Jam, inquit, urbium Prætores vel Præsides, et Ecclesiarum Præsules, eo fere solo distare dicuntur [al. cernuntur], quod isti continue, illi diebus interpolatis forensibus vacant litigiis. Illis interdum licet rei familiaris suæ utilitatibus consulere, istis vero ipsa etiam animarum suarum negotia vix quandoque permittitur tractare. »

Solicitaverat jam secundo vel tertio aures Summi Pontificis per internuncios super hujuscemodi cordis sui proposito ; sed ille nullatenus acquiescens, non modo petitionem ejus repellebat, sed et petitionis mediatores durius objurgabat. Omnium sane difficiliores ac magis arduas negotiorum decisiones, quas inter fines totius Angliæ authoritate discuti [al. ventilari] contingebat Apostolica, Episcopo delegabant Lincolniensi, quotquot suis temporibus Ecclesiæ præsederunt Romanæ Pontifices Summi. Personæ nihilominus quæque, et mediocres et infimæ, quantum de meritis præsumebant causæ suæ, tantum coram eo contra suos adversarios optabant litigare. Illos enim, sive viribus [niterentur], sive armarentur dolis, sub examine judicis justissimi, et veritas facilius convincebat et æquitas citius percellebat. Nam et hoc quoque donum acceperat a Deo, ut sicut eo nemo æqui et recti tenacior, ita nemo inveniretur de facili qui eo videretur velocior sive acutior in discussione veri et falsi. Quod in eo attendentes hi qui peritiores in Jure et in ventilationibus forensium sive ecclesiasticarum causarum exercitatissimi habebantur, miraculis adscribebant, dum ille talium insuetus et quasi legum nescius, omnium præcelleret acumina et ingenia prævolaret Jurisperitorum.

Vidimus quemdam in Londoniensi civitate præpotentem, Jordanum de Turre vocitatum, quem, authoritate Litterarum Domini Papæ, in jus traxerant pauperes et pupilli [al. pusilli] duo, sub tutoribus adhuc agentes [orphani], super iniqua detentione quarumdam domorum, hæreditaria successione sibi competentium. Causam vero ipsam in forum ecclesiasticum titulus (cui Jordanus dicebatur inniti) adduxerat usurarum. Hic, die sibi præfixa, non quasi litigaturus, sed quasi litis progressum discussurus [al. decisurus], ad Episcopum Hugonem venerabilem, multo stipatus agmine propugnatorum potius quam Advocatorum, accessit.

Cui dum litteratorie simul et viva voce preces inhibitionesque obtulissent stipatores sui, tam ex parte Domini Regis quam et aliarum sublimium Potestatum, necnon et civium communiter Londoniensium, ne in causa ipsa procederet, quia si faceret hoc, ut asserebant, in suæ urbis præjudicium redundaret ; cum Assessores et domestici sui subsistendum esse in causa unanimiter decernerent; ille intra semetipsum paululum deliberans, hac demum voce oppressorem opprimit pupillorum. Me-

minerat enim pius ille pater orphanorum Scripturæ dicentis, *Pupillo tu eris adjutor*. Ait itaque : « Revera, Jordane, quanquam nobis semper extiteris charus, nunquam tamen tibi contra Deum deferre valemus. Verum quia niti contra tot et tantos fautores tuos, non modo parvulis istis, immo et nobis ipsis istisque nostris conjudicibus constat esse inutile : quod sumus acturi, nolumus te latere. Pro me ipso tamen loquor : liberabo animam meam. Scribam igitur Domino Papæ, quod tu solus in terris istis ejus jurisdictioni contradicis, ejusque authoritatem solus tu evacuare contendis. »

Hac ille sententia, ac si Parthica sagitta feriretur, præcordialiter tactus : nimirum intelligens quanti foret ponderis relatio ista in auribus Summi Pontificis, præsertim emissa ab ore tanti nominis Viri; tractare cœpit incontinenti cum suis, super restitutione facienda * destitutis nec exitum alias inventuris.[al.*destitutis. Nec enim exitum alias invenit.] Verba quippe Viri justi, sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, non dico cedere, sed nec attingi quidem potuerunt rationibus aut blanditiis Viri in generatione sua prudentissimi. Mox igitur conquerentibus ad condignum satisfecit; nec sine enormi, ut asseruit, dispendio sumptuum, quos in fundo ipso expenderat. Sic una brevisque Viri justi allegatio obtinuit, quod vix unquam crederetur obtinere posse causidicorum quantalibet multitudo.

Licet vero, in similibus persæpe casibus, naufraganti subsidium præstaret innocentiæ seu veritati, indignam tamen Pontificis opera reputabat solicitudinem, quæ magis circa terrena et transitoria quam erga cœlestia et æterna sæpius versaretur. Portabat vero, sed in angaria, crucem hujusmodi actionum : de solius merito obedientiæ, excusationis potius suffragium, quam præmium rei commendabilis expectans.

Verum hæc innumeris verborum et gestorum ejus non est necesse astrui documentis, quæ tamen scribenti ad manum satis occurrunt : cum talis animi hunc extitisse sit in hoc irrefragabilis approbatio, quod ad proprium scaccarium, sive computum reddituum vel expensarum suarum nunquam residere, nunquam hujusmodi domus propriæ ratiociniis dignatus sit intendere. Quod vero Episcopum domui suæ debere esse bene præpositum monet Apostolus, ita implendum dicebat, et ita implebat, ut viris fide et discretione opinatissimis hæc opera imponerentur : de quibus (dum irreprehensibiliter se haberent) tanquam de se ipso confideret; secus vero agentes, quod diu quidem latere non poterat, incontinenti amoveret. Nec enim privato erga quemlibet eorum, quibus dispensationes rerum crediderat, amore tenebatur; quos fides et industria poterat commendare, assumebat, non quos quævis arctior necessitudo ad perperam quid agendum (ut assolet) poterat animare.

Verum iter ejus versus Burgundiam prosequamur. Licentia igitur a Rege et Archiepiscopo apud castrum de Andely petita et accepta, prima [al. ultima] die mensis Maii, quæ fuit feria quarta [Pentecostes], proficisci cœpit. Quod vero, ut in ipsis jam primum fervescentis ardoribus æstatis tanti laborem itineris aggredi non timeret, eum non impetus carnis et sanguinis, ut quidam vaniloqui garriebant, sed revera Spiritus ageret, hinc satis claruit; quod loca Sanctorum Reliquiis aut religiosis servorum Dei Conventibus celebria, non solum in ipso itinere præsentia, vel itineri etiam contigua, verum quoque plurimum remota devotus adivit. Quia enim tempus instabat jam colligendarum frugum : quod ille annis singulis sanctæ vacationi dicare consueverat, ut, dum alii materiali fructu frumenti, vini et olei, suas exteriores satagerent implere apothecas, ille interius spiritualibus horum bonorum copiis multiplicari potuisset : decrevit modo totum illius temporis spatium in religiosa fatigatione expendere, et, sicut consueverat, ad Ecclesiæ suæ (agri scilicet Domini) culturam et sationem, tempore jaciendæ sementis redire.

In primis itaque ad Meolentum [Meulan] sanctum adivit Nicasium, archiepiscopum quondam Remensem. Quem suppliciter veneratus, auro etiam ei oblato, de capite ipsius os insigne, quod manibus propriis extraxit, cum ingenti lætitia consecutus est. Iturus exinde Parisios, ad beatum divertit Dionysium.

Sane cum niteretur aliquem ex dentibus dicti beati Nicasii (cujus nudum in manibus tenebat caput sanctissimum) avellere, et sibi pro benedictione tenere, nec illud efficere potuisset, misit digitos in nares ipsius, quæ semper bonum Christi odorem spirare consueverant, et summa cum facilitate unum eduxit ossulum [al. oscillum] valde speciosum, quod Martyris geminos oculorum orbes interjectu sui discriminare consueverat. Hoc pignus adeo pretiosum, auspicantis [al. auspicato] Deitatis munere susceptum, digna cum devotione complexus, spem concipit uberiorem quia in viam pacis et salutis dirigeret eum Dominus : prosequente se se favore pariter tanti Pontificis, qui sibi hoc dignatus esset de suis intimis artubus prærogare, quod ipse nunquam ante destitit inter sacratissimos oculos fixum habere.

Cum vero apud sanctum Dionysium, ut dicere cœperamus, haud breves protraxisset moras (dum ad singula quæ sibi ostendebantur sacra, necnon ad universas ibi quiescentium Sanctorum memorias, larga fudit orationum libamina), jam vicum illum egresso innumeræ occurrebant Clericorum turmæ. Catervatim namque ruebant de civitate obviam universali *scholarum Consultori,* ut de illo quidam versificator insignis ait, universarum pene nationum scholastici : coram cernere cupientes, per quem, post sanctum Nicolaum, incomparabilia erga Clericos agnoverant

exerceri beneficia. Cunctis itaque advenienti in nomine Domini applaudentibus, his osculo et alloquio, illis aspectu solo cum benedictione illius glorianter perfruentibus, a nonnullis ad hospitium urgentissime invitatur. Sed dum omnibus in hoc satisfieri non posset, uni tantum qui pridem solicita prece hoc impetrare satagerat, se se in hospitem non negavit.

Erat hic ipsius, ut dicebatur, cognatus, nomine Raymundus : vir multa honestate conspicuus, ab ipso in Canonicum Lincolniensem ac demum Archilevitam Leicestrensem promotus. Qui ne a tam nobili stemmate generosi sanguinis degenerare videretur, ut semper æmulatus fuerat libertatem spiritus quam in tanto agnoverat patrono, longe post decessum Præsulis beatissimi, cum tempore Interdicti Anglicani omnes fere Ecclesiarum Rectores (quos tamen in exilium barbaricus Regis furor minime adhuc coegerat), interveniente pecunia, bona sua redimerent a manu laicali; ipse pene solus spontaneum potius elegit et diutinum subire exilium, quam Sponsæ Regis æterni, sanctæ videlicet Ecclesiæ, libertatem ad nutum Regis terreni indignæ quantum in se fuit subjicere servituti.

Cui tamen, juxta fidei et devotionis suæ meritum, nutu Divino pie retributum est, ut qui divitias multas amplumque honorem pro justitia postposuit, absque nota dedecoris et obligatione criminis, divitias et honorem quem habuit continue retinuerit : honore quidem in immensum cumulato ex tam honorabili facto, et divitiis suis minus sibi quam cuivis residentium et male redimentium sociorum suorum hactenus imminutis. Quas ille quoque exulibus liberaliter communicans, sicut omnibus imitandæ virtutis exemplum, ita quampluribus necessariæ stipis præstitit adminiculum. Nos quoque sub eadem tempestate, dura exulandi necessitate proscriptos [al. constrictos] post mortem B. Hugonis, ipsius liberalitas trimestri ferme dierum circulo humanissime fovit, multisque in suo secum precibus detentos hospitio honorifice exhibuit.

Hæc nos de hospite, tanti hospitis susceptore, nemo quasi per excessum breviter commemorasse nobis succenseat. Non possumus itaque, sicut nec debemus, quam vidimus et experti sumus bonitati ipsius minime perhibere testimonium. Sed nec ista scribendo longius recedimus a proposito ; qui magistri recolentes insignia, discipuli pariter recensenda existimamus præconia. Gloria siquidem patris est filius sapiens, et laus discipuli refunditur in magistrum. Sic et Archilevita strenuus suum exornat Episcopum, ut Sixtum Laurentius, Valerium Vincentius, Pontius quoque Cyprianum. Revera sed neque Hugoni gratior unquam gratia ulla fuit, quam videre filios suos ambulare in veritate; maxime si parati invenirentur pro ipsa veritate adversa æquanimiter tolerare,

et usque ad mortem pro ea viriliter decertare.

Sed jam cœptam de Episcopo sancto historiam prosequamur. De Archidiacono hæc ita tetigisse sufficiat. Qui Theologicis vacabat auditoriis ea quidem tempestate,in supradicta Parisiaca civitate, sicut et postea, quando cum eo morati sumus in præfata nostra relegatione.

Venit autem in hospitium illius invisere Episcopum illustrissimæ indolis adolescens, Regis Francorum filius et hæres Ludovicus; qui proximo sumpserat in conjugem Regis Anglorum neptem ex sorore, Hispaniarum videlicet regina Blancha. Venit autem et cum illo nepos præfati Regis Arthurus, Galfridi comitis Britonum quondam filius, [tunc annos circiter quatuordecim natus]. Hos pariter complexus Hugo pius, cuique illorum congrua sibi monita saluberrima dulciter instillabat.Ludovicus vultu placidus iis quæ dicebantur avide intendebat; Arthurus aspernanter id maxime admittebat, quod eum de dilectione et pace ad patruum Regem Anglorum habenda admonebat.

Interea Ludovicus Pontificem orat, ut novam nuptam quam duxerat invisere dignaretur. Quod ille benigne annuens, ita pedibus suis ad proximum Regis palatium ivit; afflictamque quodam recenti casu adolescentulam verbis paucis in tantum exhilaravit, ut statim, mœrore postposito quo diebus aliquot lugubris incedebat, et vultum et animum de cætero gereret lætissimum.

Post hæc, cum Trecensem jam præteriisset Comitatum, venit ad eum vir quidam, voce miserabili misericordiam ipsius implorans. Fatebatur enim se, culpis suis exigentibus, excommunicationis sententiam ab ipso excepisse; unde, cum metu continuo finalis interitus, crebris jugiter infortuniis urgebatur.

Sententiæ causa ista fuit. Fuerat idem aliquando custos quarumdam villarum Comitis Leicestriæ, quo tempore fur quidam in ecclesiam confugit villæ quæ vocatur Terabelya [al. Barkeleia], cujus ipse villicus fuit. Dominus autem fundi præcipuus (fundus autem ipse est in Episcopatu Lincolniensi) habitus fuit in bellicis rebus; linea vero sanguinis generosi potioribus Regni Proceribus jungebatur. Hinc Regis favore comitatus, non minus suis quam sibi nonnulla præter jus usurpandi fiduciam vindicabat. Officiales itaque illius, contra Scripturæ monita dicentis, *Noli esse justus nimium,* in hominem quærentem Ecclesiæ misericordiam sævam exercentes justitiam, ipsum dolo productum de Christi ecclesia [al. asylo] suspendio peremerunt.

Tunc vero Episcopus in transmarinis agebat. Unde reversus, et quod factum erat cognoscens, sententiam excommunicationis generalem in authorem et complices hujus malefacti promulgavit. Reliquis ergo, qui super hujusmodi sacrilegio cauteriatam gerebant conscientiam, Ecclesiasticæ humiliter se

subjicientibus disciplinæ, hic vero, satisfactionis abhorrens districtionem, et relinquens Angliam, ad dominum suum confugit in Neustriam.

Siquidem compulsi sunt illi qui necem intulerant fugitivo, necnon et illi qui proditione illum de septis ecclesiæ protraxerant, omnibus vestibus, exceptis femoralibus, nudi, jam putrefactum hominis cadaver effodere, feretroque impositum a suspendii loco humeris ita nudis in villam, per unius fere milliarii spatium, reportare. Ad omnium quoque limina ecclesiarum ipsius vici, a cunctis illius Capituli presbyteris verberati, circumportati corporis membra jam putredine tabefacta propriis manibus, et, ut dictum est, nudis semper corporibus, in cœmeterium Basilicæ unde vivum eduxerant sepelire sunt coacti. Post hæc Lincolniam nudis pedibus adire, ac præ foribus singularum tantæ civitatis ecclesiarum latera flagellis exponere : et his similia, hyemali præsertim tempore ad tolerandum satis aspera, jussi sunt perferre.

Hæc iste de quo agitur, cum unus esset ex illis, ferre non sustinens, Angliam maluit exire, [quam Angelis ex condigna pœnitentia gaudium exhibere]. Cæterum, juxta sententiam beati Job, *Qui timet pruinam, irruet super eum nix ;* et sæpe periclitatur morbo, qui non patitur aspere tractari a medico. Nec dissimiliter huic ex suo ipsius cessit consilio. Qui enim reatus sui noluit correctionem sustinere, dum adhuc status integritatem potuit retinere, ingruentibus hinc inde super eum adversitatum procellis, eo usque damnis afflictus est et variis incommodis, ut, sicut asserebat, eum tæderet vitæ suæ. Domini quoque sui, cui præstare se obsequium arbitratus est dum recalcitrare contra Episcopum nisus est, adeo sibi gratiam senserat ex hoc ipso sublatam, ut nec in suo obsequio eum sineret permanere, nec in suo aspectu libenter eum vellet apparere. Qui reversus tandem in se, quem censuit fugiendum medicum jam credidit expetendum. Quem anhelus et anxius demum invenit ; a quo et medelam jam in remotis posito vix percepit, quam in vicino sponte oblatam percipere contempsit. Subiit tandem lætus septennis sarcinam pœnitentiæ, qui breviorem contempserat adimplere.

At Eremita noster, suos cupiens coeremitas invisere, congruo satis ordine nobilem illum Eremitarum Principem, beatum dico Antonium, orationis gratia primo studuit in suo quo celeberrime colitur oratorio expetere ; ac postmodum Christi militum cohortes, hujus instar eximii Ducis, observantes vastissimas eremi stationes adire. Divertit itaque dierum trium itinere a via quæ ducebat Cartusiam, ad montem utique Dei ; venitque ad montem S. Antonii, ubi ignea lux incendii gehennalis, dum visibiliter extinguitur, quodam velut naturæ suæ invisibili præjudicio assidue cancellatur.

Ibi intuitu uno non miraculum unum,

aut duo, immo non centena, sed innumera perspeximus miracula, omnibus a nobis ubicumque antea visis miraculis plus stupenda. Vidimus enim juvenes et virgines, senes cum junioribus, per sanctum Dei Antonium salvatos ab *igne sacro,* semiustis carnibus, consumptisque ossibus, variisque mutilatos artuum compagibus, ita in dimidiis viventes corporibus, ut quasi viderentur integra gaudentes incolumitate. Concurritur siquidem ab omnibus mundi partibus, fit confluxus a quibuscumque laborantibus hoc malo (quo nullum deterius) ad hunc locum, in quo B. Antonii cineres sanctissimi tunica S. Pauli primi Eremitæ adhuc obvoluti servantur; qui omnes fere infra diem septimum divinitus curantur. Nam si quis sub hoc dierum spatio corporis sanitatem non recipit, a corporis colluvione salubrius, ut pie præsumitur, morte intercedente confestim excedit; tantique Patroni suffragio, quem fide non ficta expetiit, ad perennis vitæ sospitatem attingit.

Est autem in ipsis miraculis hoc insignius miraculum. Igne namque extincto in membris patientium, caro et cutis, vel artus quisque, quos morbus vorax sensim depascendo exederit, minime quidem restaurantur. Verum, quod mirabilius est, nudatis ossibus quæ truci incendio superfuerint, sanitas et soliditas cicatricibus ipsis residui corporis tanta confertur, ut videas plurimos in omni ætate et sexu utroque, brachiis jam usque ad cubitos, aut lacertis usque ad humeros absumptis, similiter et tibiis usque ad genua, vel cruribus usque ad renes aut inguina exustis funditus et abrasis, tanquam sanissimos multa alacritate pollere. Adeo virtus Sancti perditarum in eis partium damna retentarum firmitate compensat, ut nec viscerum teneritudo intima, cum ipsis interdum costarum obicibus cute spoliata et carnibus, frigoris aut alterius molestiæ injuria de facili pulsetur. Permanentia nimirum plagarum vestigia præter dolorem vulnerati, ad honorem Medici et testimonium morbi, cunctis prætendunt inspicientibus materiam timoris, necnon et incitamentum devotionis.

Perlatus est autem insatiabilis hic solitudinis amator et inhabitator a Constantinopoli ad illius deserti regiones, circa id temporis quo viri doctissimi et (quod pluris est) in sancta Religione præcellentissimi, Magister Bruno cum collega suo Lauduino et aliis quinque electissimis, ad spirituale tyrocinium commilitonibus eorum in montibus vicinis sacra Cartusiensis Ordinis fundamenta jacere sunt aggressi. Qui more suo Hæreticorum contubernia perhorrescens, Mahumeticolas fugiendo dilectam olim deseruerat Ægyptum, urbemque memoratam ad quam se transferri permiserat multa insignium miraculorum gloria aliquot annis decoraverat. Sed neque in istis tamen beneplacitum erat ei, in quibus fermentum non uniforme, sed error plurimorum totam pene

massam corruperat. Congratulans vero velut subitæ cuidam resuscitationi inolitæ sibi conversationis, perferri se disposuit in partes illorum, quos etiam specialius, in unitate Catholicæ Matris Ecclesiæ, edere novit Pascha Dominicum in azymis sinceritatis et veritatis.

Verum ne languidis ope sua indigentibus aut ipse deesset, aut solitarie degentibus ex confluentium multitudine importunus existeret, non præsentiam sui sed viciniam dilectis sibi accolis eremi condonavit. Favoris tamen et amoris Vitæ suæ quondam professoribus eximium prærogavit indicium, dum suas peculiariter Reliquias viro prudentissimo [al. reverendissimo] Priori Cartusiæ Guigoni tangendas et exosculandas indulsit. A quo ipsas transponi etiam, ac in novam, quam idem vir de taxeis compegerat tabulis, reponi voluit capsam, et solerti devotione recondi. Theca namque vetus, in qua diutius quieverunt ossa beata, non tam vetustate quam longa terra marique gestatione, dissuta fuerat et conquassata. Auro autem vel argento, aut metallo quoque, seu lapide pretioso contegi, ornari, sive colligari, cistam suam nunquam permisit; nec clavus in ea quidem de materia hujusmodi potuit infigi, ut vel ad momentum inhæreret : adeo ambitionis in eo odium et paupertatis semel inolitus amor hodieque perseverat.

Ad hujus itaque sanctissimam aram Hugo noster, Episcopus quidem officio sed Eremita proposito, Divina quam devotissime celebravit. Thecam sane, tam inæstimabilis thesauri consciam, eminus trabi suppositam vidimus, nec prope altare præeminentem, sed parieti adhærentem, et præter morem sacrorum scriniorum quasi cujusdam abditi latibula foventem.

CAPITULUM XIV.

DE ADVENTU BEATI HUGONIS ATQUE RECEPTU APUD GRATIANOPOLIM, CARTUSIAM, BELESIUM [BELLICUM], ATQUE ARVERIAM, ET APUD ALIA INTER HÆC LOCA; ET INCIDENTIA PLURIMA SINGULORUM LOCORUM.

Debitis ergo votis Patrono tanto solutis, cum et xenodochium ipsius loci visitasset, et in solatia victualium pecuniam custodibus largiri præcepisset (grandis quippe debilium multitudo, quos ante curationem morbus variis privavit membris, ibidem consistit), Gratianopolim proficisci instituit. Inde namque ad Cartusiam, per ardua montium et aspera rupium, iter expeditius et locorum natura et commeantium frequentia patefecit. Inspeximus quoque et arces et castella, secus viam qua itur ad sanctum Antonium, fulmine cum domibus [al. dominis] suis pessumdata, eo quod peregrinis ejus injuriæ in eis fuissent illatæ. Obtinet namque præcipuus hic morum et sanctitatis Eliæ successor prærogativam pariter virtutis sui prædecessoris. More siquidem Eliæ, verbo citius in contumaces ignem dejicit ad vindictam, quem in supplicibus extinguit ad medelam.

Subtexere possemus copiam exemplorum, nisi judicium vereremur [al. mœreretur] Lectoris de frequentiori excessu digressionum. Hæc tamen vel succincte de virtutibus Sancti, imitandi semper cunctis qui post ipsum floruerint Sanctis, idcirco memoravimus, quia magnalium quæ quotidie operatur, memoriæ posterorum nihil (ut ibidem accepimus) a quoquam styli beneficio destinatur. Quod in tantum displicuit Hugoni nostro, ut ei potius quam Antonio nos arbitremur præstare obsequium, ista itineris ejus occasione breviter perstringendo.

Hugonis itaque adventus mox ut Gratianopolitanis innotuit, universi pariter obviam ruunt Viro, in partibus illis votis omnium expetito. Quem, suo cum Antistite, viro admodum venerabili, extra urbis mœnia susceptum, per urbem mediam, floribus et palliis [holosericis] varioque decore ob ejus specialiter reverentiam splendidius coronatam, usque ad S. Joannis Baptistæ ecclesiam Cathedralem, cum canticis lætitiæ et solemni deducunt processione. Erat autem natalitius dies ejusdem Præcursoris Domini, post unicam mundi Dominam Dei Genitricem, tam Ordinis Cartusiensis, quam et Episcopi nostri specialis Advocati.

Missam majorem maxima cum devotione Hugo celebravit. Post Evangelium sermonem fecit ad populum, mire suavitatis nectare conditum. Sicque geminatam lætitiam, et annuæ solemnitatis, et primæ post Episcopatum suæ visitationis, civibus quondam et fratribus suis salubris alloquii gratia cumulavit, ut pane lachrymarum universos pene cibaret, dans eis potum in lachrymis, sed in mensura. Tanta denique cum humilitate, talique ex devotione suffragia orationum ab universis expetiit, exiguitatem sui et indignitatem exaggerans, quem superna dignatio de stercore elevatum collocasset in sublimi, ut ab oculis omnium exitus aquarum educerent lachrymis distillantes oculi sui.

Baptizavit quoque ipsa die puerum jam septennem, filium militis strenuissimi Wilhelmi de Avalim [Avalon] fratris sui; quem de sacris Fontibus Præsul Gratianopolitanus suscepit. Cumque patruus ipsius pueri vehementer instaret, ut nomine suo, quod est Petrus, vocari debuisset; suggerente præsentium Scriptore, respondit ei Hugo: « Nequaquam, sed Joannes vocabitur: præjudicat enim tibi et loci et diei præsentis Patronus. » Hunc nihilominus Joannem, miræ indolis puerum, hic itidem Scriptor in ecclesia Blesensi [al. Bellicensi], posito alphabeto super altare S. Joannis Baptistæ, prima paulo post elementa perdocuit litterarum. Peregimus autem tantæ Solemnitatis diem cum ejusdem civitatis Episcopo; a quo tam splendide nobis exhibita sunt quæcumque jura hospitii exigebant, ut videretur modus ipse excedere modum. Diceres tunc hospitalitatem [al. dapsilitatem] Burgun-

dionum ipsum quoque vicisse luxum effusionis Anglicorum.

Inde, summo mane sequentis diluculi, tendentibus nobis Cartusiam, majorem pene itineris partem pedibus conficere cogebamur quos equi vehebant. Ascensus enim continuos per ardua et confragosa montis latera equi sessore vacui vix explicabant : burdones vel asini hunc liberius permeant callem. Episcopus autem, necessitate suadente, conversus in peditem, nimio licet sudore lassesceret, spiritu tamen promptus et alacer, socios meando lassabat.

Id autem solicitius providebat, ut dormientibus tempore meridiano Fratribus ad ipsos perveniret : cavebat summopere ne suus adventus quietem illorum saltem modice infestaret. Mansit apud eos, immo inter eos, tribus continue septimanis, quasi unus ex eis : Horis maxime nocturnis, psallentium nunquam choro Fratrum absens. Nunquam dormiebat nisi in cella solitaria, et semper solus. Quo etiam tempore, quantum ibi hauserit, quantumve sparserit, ex vicaria collatione virorum sanctorum dulcedinis spiritualis, nemo a nobis expectet litteris explicari. Id namque ne verbis quidem posset effari vel ipsemet, qui rebus id ipsum meruerat experiri.

Veniebant illuc, gratia visendi eum, Episcoporum nonnulli, Clerici quoque et laici quam plurimi. Pauperes in vicina commorantes parochia, ad eum quasi ad olim conclamatum et jam redivivum Parentem proprium confluebant certatim ; quos ille non impari affectu complexus et deosculans, amicabiliter agnoscentes se recognoscebat [et factis]. Cum quibus et familiaria miscens colloquia, parvulo illi se docebat et factis et verbis consimilem, quem Magister mitis et humilis suis proposuit in Evangelio imitandum discipulis. Cumulabat vero affabilitatis gratiam manus munere non parca ; quia vigebat in eo pariter et lingua eucharis et dextera liberalis.

Mansit quoque apud inferiorem, ubi Conversi morantur, habitationem diebus aliquot ; ut ipsos etiam satiaret ab uberibus consolationis suæ, et ipse vicissim ex eorum colloquiis et moribus disciplinatis epularetur quasi ab introitu gloriæ gentium. Horum enim nonnulli a lata mundialium actionum via digressi, illamque arctam et arduam viam quæ ducit ad vitam ingressi, spe felici expectabant aditum Paradisi. His præterea diebus, certis horis, se se pauperibus ad visendum eum confluentibus exponebat ; cum quibus ita socialiter verba conserebat, ut inter eos residens solo monstraret habitu monachali, quod non esset aliud [al. alius] quam unus ex eis.

Insinuaverat ei Episcopus Gebennensis, quanto eum suus Consul præjudicio annis jam ter quaternis gravasset ; unde vinculo anathematis ipsum ab olim innodaverat. Ob cujus etiam metum propriam civitatem ingredi non audebat.

Nam, si nos memoria non fallit, asserebat tria jam effluxisse annorum lustra, ex quo sedem suæ Cathedralis ecclesiæ prohibitus est adire. Tunc fortis ille noster et fidus, ut de illo versificus quidam cecinit, *Pastorum baculus*, plurimum consolans et corroborans Fratrem afflictum et mœstum, misit quantocius Priores duos ex Ordine Cartusiensi, ut Comitem corporis diutino languore maceratum cohortarentur, quatenus Patri suo Episcopo et Ecclesiæ Matri suæ reconciliari festinaret. Posuitque verba in ore eorum, id præcipue ei dicendum inculcans, ut Patris gratiam flagellantis satageret inquirere, ne, morte citius irruente, fieret extorris a filiorum Dei hæreditate. Hos vero ille ad se loquentes aspernanter quidem præsentes audivit; sed postquam recesserunt, obtentu Viri Dei, ut ipse perhibebat, ad se reversus, ac medullitus ad vim verborum quæ illi mandaverat compunctus, Ecclesiæ quam læserat satisfecit. Sicque absolutus, primum a sententia, deinde a carnis sarcina, in pace quievit.

Post spatium autem trium hebdomadarum, Episcopus noster sciens esse scriptum, *Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ*, ad Ecclesiæ curam quam olim desponderat redire disponens, præter alia donaria, pignora inæstimabiliter pretiosa Ecclesiæ, a cujus uberibus in virum perfectum coaluerat, jam ultimum vale faciens jamque discedens, ad perpetuam sibi memoriam dereliquit. Habebat in scriniis suis capsulam argenteam, quam in Basilicarum dedicationibus circumferebat in manibus, numerosis Sanctorum Sanctarumque Reliquiis plenam. Has vel ipsemet, vel ipsorum custos scriniorum, Monachus et Capellanus ejus, plerisque in locis acquisierat. Sed Episcopus a se perquisitas viro religiosissimo, Cartusiæ Sacristæ, coram Priore et Fratribus tradidit, in loco illo conservandas; Monacho autem suo suas dimisit, ad proprium monasterium apportandas.

Verum quia de Sanctorum Reliquiis fecimus mentionem, non videtur otiosum si ad gloriam Sanctorum vel ædificationem legentium, breviter adhuc de eis aliqua referamus.

(*Quæ sequuntur, in Manuscripto Domni Le Vasseur omissa, ex aliis ejusdem Vitæ Exemplaribus exscribuntur.*)

Jusserat Episcopus annulum sibi fieri ex auro purissimo et lapidibus pretiosis, habentem in parte, quæ digitum exterius ambiebat, quasi monile quoddam concavum, quod repositorium esse voluit sanctarum Reliquiarum. Erat autem illud receptaculum ad quatuor fere digitorum mensuram undique latum. In hoc portiones congesserat sanctorum pignorum ad numerum usque tricenarium.

Cum vero ex maxima devotione solicitudinem gereret super acquisitione tam salubris thesauri, instituit magno-

pere, quatenus de corpore magni Christi Confessoris, præcipuique monachorum ducis et legislatoris Benedicti, aliquid obtineret. Super tali quoque desiderio suo litteras direxit affectuosas viris venerabilibus, Abbati et monachis cœnobii Floriacensis [Fleury], ubi sanctissima tanti Patris ossa requiescunt : scribens eis per quemdam eorum Fratrem et monachum, custodem quarumdam suarum quas secus Lincolniam obtinent possessionum, petensque obnixius quatenus sibi dignarentur aliquid impertiri de copia suarum in hac parte divitiarum. Quid multa? Rediit tandem litterarum bajulus, attulitque Viro desideriorum desiderii sui precisque effectum, unum videlicet ex dentibus Sancti, cum pallæ qua erant involuti cineres Beati non modica portione. Habuitque in manibus idem bajulus reciprocas eorum ad quos missus fuerat litteras, quibus et tanto Patri debitæ salutationis rependebant obsequium, et muneribus transmissis indubitatum ferebant testimonium.

Quibus tandem lectis et acceptis, Vir Dei miro gestiens gaudio, jussit extemplo accersiri aurificem suum, qui manebat in castro ipsius Banebiria [Banbury] nuncupato. Ad tempus vero illud, in quo hæc gesta sunt, consistebat Episcopus in manerio suo quod Dorcestria dicitur, quod distat milliaribus fere triginta a castro prænominato.

Interea, dum instruitur nuncius, qui erat aurifabrum adducturus, quatenus et instrumenta ipsum juberet secum afferre, quibus aperire convenienter potuisset iterumque recludere annulum sacramentalem Episcopi (sic enim cognominabat eum, quia in Ordinum et consecrationum celebrationibus ad devotionis incentivum illo frequentius utebatur) : ecce subito qui jubetur inquiri aurifex adest, tamque inopinatam quam exoptatam sui præsentiam gaudentibus pariter et stupentibus affert. Requisitus vero adventus sui causam, affirmabat dormienti sibi circa noctis medium quemdam astitisse, qui juberet eum mox ad Episcopum festinare, « Sunt enim, inquit, ei transmissæ Reliquiæ pretiosissimæ, quas te oportet in annulo ejus recondere. Surge ergo velociter, iterque ad Episcopum aggredere. » — « Ad hanc vocem (pergit artifex) excussus a somno, ita suspensos gerebam animos, ut nil cujusquam operis tractare possem, quousque ad vos ista dicturus, et utrum vera essent quæ audieram probaturus, venirem. Ecce igitur ego, et utensilia mea : vos utimini artificis opera sicut scitis. »

Hæc siquidem artificis revelatio atque relatio et certitudinem [al. certitudinem Reliquiarum] roboravit, et cumulavit lætitiam omnibus qui præsentes ista cognoverant. Partitus est autem quibusdam Abbatibus, et aliis qui interfuerunt viris Religiosis homo liberalissimus, portiunculas de palla quam susceperat; dentem vero suavissime sæpius deosculatum in annulo recludi fecit.

Apud Fiscamni [Fécamp] quoque in-

signe monasterium, de osse brachii beatissimæ Christi dilectricis Mariæ Magdalenæ duo mordicitus excussit frusta. Ipsum autem os nullus tunc præsentium, vel Abbas vel monachus, aliquando inspexerat tegmine nudum. Erat enim duplicibus pannis sericis et lineo simplici arctissime insutum. Cujus inspectionem dum Episcopo flagitanti exhibere nullus auderet, ille a quodam Notario suo scalpellum arripiens, fila festinanter dissecuit, atque involucrum illud dissuens, sacratissimum os ori et oculis [al. osculis]suis reverenter applicuit. A quo dum impressione digitorum nil quivisset excutere, prius incisivos, deinde molares dentes apposuit; quorum viribus duas inde citius portiones abrupit, quas dexteræ ista scribentis intulit,ita dicens : « Serva nobis hæc peroptime. »

Cernentes vero hæc Abbas et monachi, jam pridem stupentes et pavidi, nunc vero sævientes et irati,exclamant : « O! O! proh nefas! Credebamus Episcopum venerationis obtentu expetiisse hæc sacra referenda [al. reverenda] : et ecce! ritu canino hæc dentibus tradidit lanianda. » Quos talia prosequentes ille blandis sermonibus delinivit, dicens inter cætera verbum memorabile : « Si, inquit, ipsius Sancti Sanctorum paulo ante Corpus Sanctissimum digitis licet indignis contrectavimus, dentibus quoque vel labiis attrectatum ad interiora nostra transmisimus, quare non etiam Sanctorum ejus membra, ad nostri munimen et ipsorum venerationem atque memoriam nobis impensius conciliandam, fiducialiter attrectamus; et debito cum honore servanda, nobis, cum facultas datur, acquirimus? »

Alio quoque tempore, apud Burgum sancti Petri [Peterborough], de brachio gloriosi Regis et Martyris Oswaldi (quod adhuc, cum ossibus et pelle in carne cruenta, tanquam recenter de corpore vivo excisum monstratur) nervum qui prominebat, lentumque et mollem ductu se contrectanti præbebat, cultello exscidit, servandumque omni cum reverentia sibi retinuit.

Hæc itaque, cum aliis quas enumerare longum est sanctis Reliquiis, in annulo composuit sæpius memorato.

(*Hactenus omissa in Ms. V. Patris nostri. Sic vero pergit:*)

Cum autem vice quadam a partibus transmarinis venisset Lincolniam, hunc annulum more solemni in munus obtulerat super altare Beatæ Virginis, finaliter ibi conservandum. Cujus oblationis postea oblitus et immemor, ipsum quoque toties memoratum annulum Cartusiensibus cum cæteris dari Reliquiis imperavit. Cum vero ad memoriam reduxisset ei Monachus suus, ipsorum Sacrorum custos, factam ab eo pridem donationem, annulum jussit ecclesiæ Lincolniensi restitui. Capsulam vero ex auro et gemmis fabrefactam, quæ apud Lincolniam erat in scriniis ejus, eis mittendam dedit; in qua reponerentur collatæ ipsius [al. ipsis] Reli-

quiæ Sanctorum : quod, eodem Monacho satagente, post excessum Viri sancti impletum est.

Expleta vero largitione præfata, Episcopus ad inferiora Conversorum habitacula continuo descendit. Die postera, Cartusiæ Dei benedictionem imprecans et suam largiens, corporetenus discessit a loco, in quo jugiter corde permansit et animo.

Rogatus autem sæpius instantissime a viro devoto et strenuo, Priore S. Domnini et S. Maximi, quatenus Domum quam regebat præsentiæ suæ dignaretur accessu lætificare, ad ejus Cellam divertit. Qui eum, una cum Fratribus suis, suscipiens obviatione solemni velut Angelum Domini, egit cum eo diem solemnem in cordis lætitia et exultatione spirituali.

Disponebat vero Episcopus invisere quoque Villam Benedictam : sic enim vocatur Cella in qua Religionis sacræ libavit primordia. Dictante vero ratione itineris, perrexit prius ad castellum quod fuerat patris sui, in quo mansionem habebant et non modicam dominationem duo ipsius germani, Wilhelmus videlicet et Petrus. Hi semper Hugonem, utpote milites strenui, ita ad virtutis cursum incitare gaudebant, ut qui solet admisso subdere calcar equo [al. ut solet admisso subdi calcar equo]. O quoties isti, non tantum Episcopo sed et consiliariis ejus, et præsentes suggesserunt et absentes mandaverunt, ne in falsorum fratrum seu crudelium dominorum persecutionibus animo ipse lassaretur ! Asserebant quoque malle se natum ipsum non fuisse, quam eum contra natales ingenuos, ad depressionem libertatis Ecclesiasticæ, vel ad momentum animo degenerante, cessisse. Ad hos igitur hospitandi gratia veniens, non istorum solummodo, sed Nobilium, mediocrium, et infimorum, loca vicina incolentium, uniformi congratulatione suscipitur : a quibus et biduo ibidem detinetur.

Die demum tertia ad Canoniam pervenit Villæ Benedictæ, quam loci incolæ *Ville Benoist* vulgariter dicunt. Nec est dictu facile, quantum suus adventus præstitit tripudium, non solum ejusdem loci incolis, immo et omnibus circumquaque vicinis. Dedit autem ibidem [ecclesiæ illi] Bibliothecam, decem comparatam marcis argenti.

Invisit etiam Cellulam, cujus, ut supra diximus, Prioratum quondam adolescens gesserat, quæ nominatur *ad S. Maximum*. In his vero locis vallabant eum viri decrepiti et senes cano capite, anus etiam incurvæ et mulieres annis provectæ. Ab his Hugoni applaudentibus, Hugonis rudimenta inter eosdem, velut lilium quondam germinantia, miris attolluntur præconiis. Asserebant ipsa quoque illius primæ adhuc ætatis initia, quadam insitæ virtutis lingua, futuræ sanctitatis in eo prænunciasse insignia. At ille castrum repetens denuo prænominatum [de Avalon], una ibidem nocte quievit.

Inde jam festinato in Angliam tendens, ad Bellicensem altera metatione devenit urbem. Ibi cratem dimidiæ manus Præcursoris Domini, cum tribus digitis, medio scilicet et binis inferioribus, cute adhuc nitida vestitam, suscipere meruit osculandam : quam discooperire, nudamque videre, a pluribus retro annis nemo audebat. Verum pedissequus et vernula ejus Hugo, peculiari flagrans amore sui Patroni, fiduciamque erga ipsum nactus ulteriorem, hoc facere minime formidavit : congaudentibus sane Canonicis ipsius Ecclesiæ, quod Virum reperissent tantæ puritatis, qui hoc attentare dignissime potuisset. Præmissa igitur peccatorum Confessione, absolutione et oratione subjuncta, reverendum illud sanctuarium tegmine nudatum cunctis præsentibus palam inspiciendum ostenditur. Ipsos quidem articulos qui tetigerant sanctum Dei verticem, ipse digitis suis tangere osculisque lambere nequaquam verebatur : data quoque cæteris qui circumcirca proni adorabant benedictione, ipso in sublime illos porrigente, nosque desuper in Crucis modum eisdem consignante. De quodam panno purpureo atque vetustissimo, qui diutissime huic sanctuario illud tegendo inhæserat, non modicam portionem incidit : quam suo Monacho summa cum devotione amplectendam dedit.

In hoc autem itinere quatuor sui Ordinis Domos invisit et adivit : Cartusiam videlicet, Arveriam, Luvigniacum et Vallem Sancti Petri. Arveriam, quamvis esset propter loca montuosa accessu difficilis et ab itinere nostro remotior, hac specialiter de causa expetiit. Bellicensis quondam Episcopus, ex Priore ejusdem Domus assumptus ad Cathedram, onere jam curæ pastoralis abjecto, ibi denuo cellicolam se simplicem effecerat, ut cœlestibus desideriis liberius inserviret. Qui nostri Pontificis longo ex tempore exæstuans desiderio, affatu ipsius et aspectu cupiebat refoveri. Quod etiam per internuncios ei sæpius innotuerat. Processerat quidem vir ille beatus in diebus suis, et mediante jam mundanæ lucis occasu, ad interminabilis diei suspirabat ingressum. Nec dissimiles animi, quamvis in ætate dissimili, nostro Pontifici erant. Jam enim caduca omnia, quæ ab annis teneris vilipenderat, in gravi etiam ætate fastidio habebat.

Optato igitur uterque potitus colloquio, suæ singuli recessus conscientiæ ex alternæ sanctitatis fulgore, dum sua vicissim occulta pandunt, splendidiores reddunt. Qui tandem simul ad commune Fratrum omnium venere colloquium. Tunc a Lincolniensi Episcopo Dominus quondam Bellicensis formam pacis inter Reges nostros initæ sibi petiit coram Fratribus retexi : nam concordiæ illorum ipsum interfuisse cognoverat. Ad quam viri tanti petitionem ferventissimus Ordinis zelator haud modice contristatus, ita leniter et quasi jocando ait : « O, inquiens, Domine

Pater, rumores audire et referre, etsi licet Episcopis, sed monachis non licet. In cellas vel claustrum rumores ingredi non licet; urbes deserere et in solitudinem rumores afferre non licet. » Hæc dicens ad spiritualis ædificationis studium verba convertit.

CAPITULUM XV.

RELATIO INTERPOLATA VIÆ IPSIUS A BURGUNDIA USQUE LONDONIAS ; QUO TANDEM ÆGRITUDINE PRÆGRAVATUS APPULIT.

Sed ecce, dum Viri spiritualis immutabili [al. imitabili] vita, tanquam ligni frondosi atque fructiferi quod in Paradiso Ecclesiæ Deus plantaverat ubertate amœna, vehementer afficimur, extra propositæ brevitatis compendium longius evagamur. Dumque in legendis ex eo et recondendis in solatia amicorum, non solum pomis operum, sed et foliis verborum, delectabili studio insudamus, angustam cartalli exigui mensuram excedere videtur adunatæ collectionis acervus. Quod ea nobis de causa procul dubio accidit, quia salutem pariter et refectionem legentium ex his procurari in magno parvitati nostræ desiderio fuit. Confidimus namque, juxta sententiam in Apocalypsi super hujuscemodi rebus expressam, hæc, ut illa folia, ad salutem gentium profutura, si cum devotione fideli et pia sumantur. Verum hactenus in his per temporis aliquantulum nobis occupatis, messium jam et vindemiarum tempus elabitur; justumque est ut cultorem atque custodem agri vineæque Dominicæ, juxta morem (ut supra docuimus) singulis pene annis ab ipso frequentatum, suis quantocius procuratoribus et cooperatoribus restituamus. Nam et immutatæ voces gestusque subtristior alitum, nos quoque, totis pene mensibus æstivis protractam, jam mutare vel potius terminare admonent cantilenam.

Montium ergo juga, devexa collium latera, vallium tractus atque camporum, vastosque pelagi sinus, celeri nunc lapsu quasi prætervolando transimus; quæ tunc cum illo, ad suos remeante, laborioso commeatu peragrando et remigando transivimus. Exigit quoque ratio, ut qualiter ipse a mundana varietate ad Cœlestis patriæ invariabilem migraverit stationem, jam nunc succincte pandamus.

Omittimus, ut innumera taceamus quæ referre magis quam omittere studiosis expediret, quæ tamen omittimus ne fastidiosis tædium ingeramus [al. exaggeremus]; omittimus, inquam, Cluniacum, et quam devote modernarum Religionum fontem adierit, quam reverentissime a tanta illius sanctæ multitudinis frequentia exceptus sit, quanta ejusdem Congregationis instantia triduo secum morari, et vires post laborem sit compulsus resumere. Cujus loci disciplinam in choro, in claustro, in refectorio, inter eos familiariter conversans, Missam celebrans, et cum eis pariter convescens, cum plenius attendisset ac

plurimum commendasset, sic demum ait : « Vere, si locum hunc ut modo pervidissem, cum necdum Cartusiam adamassem, suum me Cluniacus monachum fecisset. »

Quiddam inter cætera ibidem speciale vidit et laudavit : quod idcirco huic paginæ vel breviter inserimus, quia a B. Benedicto institutum, ab omnibus ubique locorum monachis neglectum miramur et quasi oblivioni traditum. Agens namque de suscipiendis hospitibus in Regula sua, beatissimus Benedictus inter cætera dicit : « Legatur coram hospite Lex divina, [ut ædificetur]; deinde omnis exhibeatur ei humanitas. » Quod erga nos Cluniacenses hoc ordine compleverunt. Post susceptionem Episcopi cum processione festiva, perceptamque illius benedictionem, ipsum Domnus Prior in locutorium deduxit et cum eo sedit, assumptis pariter et senioribus de Conventu circiter duodecim. Unus vero assistentium Fratrum codicem Regulæ Pastoralis beatissimi Gregorii Papæ, quem ad hoc ipsum manibus allatum tenebat, aperuit ; procedensque in medium, capitulum unum aperte et distincte ad intelligendum percurrendo legit. Quo completo, innuente Priore, finem lectioni fecit ; et Episcopus, similiter ad nutum Prioris, dicto *Benedicite,* loquendi præsentibus licentiam dedit.

Sed et Cistercium cursim pertransimus : quo divertit, ut Missarum solemnia in præclara festivitate Assumptionis Dei Genitricis celebrare posset. Gallia namque universa, præter quædam privilegiata monasteria, ea tempestate sub Interdicto erat. Deinde, voti compos effectus, et Fratrum loci illius orationibus commendatus, Claramvallem quoque visitavit.

Miserat siquidem sanctæ recordationis Joannes, Lugdunensium quondam archiepiscopus, in occursum ejus quosdam venerabiles viros : obnixe supplicans, quatenus sibi in loco commoranti prænotato, olim desideratam præsentiæ suæ copiam exhiberet. Qui jam ævo gravis, officio curæ pastoralis renunciaverat; retentisque duntaxat, jussu Summi Pontificis, insignibus pristinis, in illo sancto cœnobio sacræ contemplationi sedulus vacabat. Sciscitanti autem Episcopo quibusnam Scripturis meditationis suæ negotia potissimum devovisset, ita respondit : « Psalmorum, inquit, meditatio, sola jam penitus totum sibi me vindicavit. Ex his quotidie recens et continue demulcens interioris hominis palatum, mihi refectio indeficiens jugiter innovatur. »

Post hæc, monasterium S. Remigii, secus Remensium civitatem situm, sanctitatis suæ magnifice lætificavit accessu. Ubi moratus per biduum, librorum antiquorum copiam ibi repositam mirabatur : modernorum desidiosam exprobrans incuriam, qui non solum Patrum studia in condendis libris atque scribendis æmulari detrectant, sed neque relegere, seu reverenter saltem

tractare a Patribus elaboratos Codices sacros student. Hic vasculum quoque, per columbam cœlitus delatum B. Remigio, miratus et veneratus est; in quo jugiter, ad unctionem Regum Francorum, sacri Chrismatis copia rediviva, exuberat.

Cum autem pervenisset ad castrum S. Audomari, quod a portu Witsandiæ [Wissant] millibus decem abjungitur, ibi parumper a fatigatione diutina, ante maris ingressum, duxit respirandum. Erat inde haud procul situm monasterium Ordinis Cisterciensis, Claramariscum ab incolis vocitatum. Instabat quoque post triduum gloriosa solemnitas Nativitatis perpetuæ Virginis, Matris Dei Mariæ. Nolebat autem Episcopus elongari a loci vicinia, in quo Divina celebrari licebat, ante Festum adeo præclarum; ne forte, aura dissentiente, in Angliam ad hoc celebrandum minus tempestive occurreret.

Ipsa autem die qua ad S. Audomarum venit, venam sibi incidi fecit, quo liberius et alacrius, post expletæ observantiæ tempus (quod in phlebotomia quies vindicare solet), celebritatem desideratam percoleret. Jam enim diebus aliquot, in membris singulis et corpore suo toto, gravedinem cum acuto [al. lento] quodam dolore senserat accrevisse. Post minutionem vero adeo incontinenti hæc ipsa molestia est augmentata, ut de mensa ad quam discubuerat, cum vix modicum quid gustasset, cæteris adhuc edentibus, abscedere et lectuli quietem adire sit compulsus. Quem mox ut cervicem reclinavit, sudor infudit affluentissimus; qui die ipsa tota, cum maxima parte noctis insecutæ, fluere non cessavit. Tantum quoque cibi fastidium mox incurrit, ut per illud triduum vix quippiam gustaverit.

Circa vespertinas autem Horas, in Vigilia Festivitatis memoratæ, profectus est ad cœnobium prænominatum; ibique, uno tantum Monacho et Converso uno ex suis secum retento, pernoctavit. Reliquos, cum equis omnibus, ad hospitium unde venerant redire jussit : satis, quoad licuit, resistentibus Abbate et Fratribus istius loci, et universum illius comitatum secum summopere detinere certantibus. Episcopus autem in Infirmaria quiescere prælegit. Deputati sunt in obsequium ejus duo Fratres, qui nimia devotione ejus famulatui insistebant : a quibus, cum nihil escæ sumere cogi potuisset, pedes sibi abluendos, et officiosissime fovendos et extergendos, compulsus est exhibere. Quorum ille benignitate satis delectatus, eis devotionis suæ vicem, Dei scilicet benedictionem et suam, gratissime rependebat. Nec multum post, alter eorum in Abbatem, alter in ejusdem loci Priorem favente Deo promotus, post mortem Præsulis Christi, nos, in exilii nostri præsentis excursu, ad eos parumper digressos humane satis recognovere. In crastino autem penultimam [al. antepenultimam] ibidem Christi Pontifex celebravit Missam. Qua de-

votissime expleta, jejunus a cibo corporali hospitium suum repetiit in villa supra dicta : ubi rem prodigiosam, quæ tunc innotuit, paucis explicamus.

Pistor quidam farinam die Dominica consperserat, triverat atque fermentaverat; unde, sequenti nocte, panes quoque venales coxerat. Quos dum mane sequentis feriæ protraheret ex clibano, panis unus in pavimento fortiter allisus fracturam fecit; unde mox sanguinis rivus, qui panem circumquaque infecit, effluxit. Quo pistor viso, tale portentum expavit vehementer. Panem denique cruentatum frustatim comminuit; et per fracturas singulas cruorem liquidum stillare vidit. Fregit et panes alios atque alios; et in omnibus cruorem fracturas implentem aspexit. Conterritus itaque tam monstroso eventu, panes per unam fere hebdomadam, ne ab aliis viderentur, occuluit; sed interim mercenarii, seu vicini ejus, id quod acciderat ad aures publicas detulerunt.

Quid plura? Res demum oppidanis cunctis innotuit. Unus etiam ex his panibus Episcopo a convicaneis exhibetur; frangebatur a nobis; sequebatur mox cruor fracturam, ac si hominis seu vivi cujuscumque animalis caro incideretur. Hujus quoque panis fragmen non modicum inde nobiscum in sinu detulimus. Erat autem panis fermentatus. Cocti pariter fuerant in clibano præfato panes azymi et fermentati. Sed azymi in sua puri qualitate ostendebantur, nihil prodigiosum habentes; fermentati omnes fundebant sanguinem, si fractionem exciperent seu sectionem.

Hinc sentiebant nonnulli, punitam fuisse tali casu hominis cupidi temeritatem, qui die Dominica præparasset, quod sequenti feria maturius distraheret : dum panis azymus, post sacræ lucis crepusculum conspersus et coctus, nil admisit horrendum, et ante vesperam contra religionis institutum in massam subactus et fermentatus panis, non quæstui profuit,* sed actorem suum fecit ostentui [al. * sed auctorem suum reum fecit constitui]. Plures siquidem ex his panibus per monasteria et Ecclesias circumquaque missi sunt, ad monimentum posteris, et præsumptuosis sacrarum solemnitatum violatoribus ad correctionis documentum, diligenter conservandi.

At vero, Matris ope misericordiæ, post celebratam, ut præfati sumus, in honorem ipsius Missam, famulus ejus et vicarius devotissimus ægritudinis levamen non modicum percepit. Exacta igitur Solemnitatis die cum lætitia et exultatione, in crastino Witsandensem portum cum suis adivit. Sequentis vero diei aurora Episcopum cum suis navim conscendere vidit. Invocata igitur Summæ Dei Genitricis Mariæ Matre, beatissima videlicet Anna, aura quæ primo remissius spiraverat, carbasa repente implevit. Solent quidem universi marium transvectores, sicut *maris Stellam* attendere Mariam ut cursum

quiæ Sanctorum : quod, eodem Monacho satagente, post excessum Viri sancti impletum est.

Expleta vero largitione præfata, Episcopus ad inferiora Conversorum habitacula continuo descendit. Die postera, Cartusiæ Dei benedictionem imprecans et suam largiens, corporetenus discessit a loco, in quo jugiter corde permansit et animo.

Rogatus autem sæpius instantissime a viro devoto et strenuo, Priore S. Domnini et S. Maximi, quatenus Domum quam regebat præsentiæ suæ dignaretur accessu lætificare, ad ejus Cellam divertit. Qui eum, una cum Fratribus suis, suscipiens obviatione solemni velut Angelum Domini, egit cum eo diem solemnem in cordis lætitia et exultatione spirituali.

Disponebat vero Episcopus invisere quoque Villam Benedictam : sic enim vocatur Cella in qua Religionis sacræ libavit primordia. Dictante vero ratione itineris, perrexit prius ad castellum quod fuerat patris sui, in quo mansionem habebant et non modicam dominationem duo ipsius germani, Wilhelmus videlicet et Petrus. Hi semper Hugonem, utpote milites strenui, ita ad virtutis cursum incitare gaudebant, ut qui solet admisso subdere calcar equo [al. ut solet admisso subdi calcar equo]. O quoties isti, non tantum Episcopo sed et consiliariis ejus, et præsentes suggesserunt et absentes mandaverunt, ne in falsorum fratrum seu crudelium dominorum persecutionibus animo ipse lassaretur ! Asserebant quoque malle se natum ipsum non fuisse, quam eum contra natales ingenuos, ad depressionem libertatis Ecclesiasticæ, vel ad momentum animo degenerante, cessisse. Ad hos igitur hospitandi gratia veniens, non istorum solummodo, sed Nobilium, mediocrium, et infimorum, loca vicina incolentium, uniformi congratulatione suscipitur : a quibus et biduo ibidem detinetur.

Die demum tertia ad Canoniam pervenit Villæ Benedictæ, quam loci incolæ *Ville Benoist* vulgariter dicunt. Nec est dictu facile, quantum suus adventus præstitit tripudium, non solum ejusdem loci incolis, immo et omnibus circumquaque vicinis. Dedit autem ibidem [ecclesiæ illi] Bibliothecam, decem comparatam marcis argenti.

Invisit etiam Cellulam, cujus, ut supra diximus, Prioratum quondam adolescens gesserat, quæ nominatur *ad S. Maximum*. In his vero locis vallabant eum viri decrepiti et senes cano capite, anus etiam incurvæ et mulieres annis provectæ. Ab his Hugoni applaudentibus, Hugonis rudimenta inter eosdem, velut lilium quondam germinantia, miris attolluntur præconiis. Asserebant ipsa quoque illius primæ adhuc ætatis initia, quadam insitæ virtutis lingua, futuræ sanctitatis in eo prænunciasse insignia. At ille castrum repetens denuo prænominatum [de Avalon], una ibidem nocte quievit.

Inde jam festinato in Angliam tendens, ad Bellicensem altera metatione devenit urbem. Ibi cratem dimidiæ manus Præcursoris Domini, cum tribus digitis, medio scilicet et binis inferioribus, cute adhuc nitida vestitam, suscipere meruit osculandam : quam discooperire, nudamque videre, a pluribus retro annis nemo audebat. Verum pedissequus et vernula ejus Hugo, peculiari flagrans amore sui Patroni, fiduciamque erga ipsum nactus ulteriorem, hoc facere minime formidavit : congaudentibus sane Canonicis ipsius Ecclesiæ, quod Virum reperissent tantæ puritatis, qui hoc attentare dignissime potuisset. Præmissa igitur peccatorum Confessione, absolutione et oratione subjuncta, reverendum illud sanctuarium tegmine nudatum cunctis præsentibus palam inspiciendum ostenditur. Ipsos quidem articulos qui tetigerant sanctum Dei verticem, ipse digitis suis tangere osculisque lambere nequaquam verebatur : data quoque cæteris qui circumcirca proni adorabant benedictione, ipso in sublime illos porrigente, nosque desuper in Crucis modum eisdem consignante. De quodam panno purpureo atque vetustissimo, qui diutissime huic sanctuario illud tegendo inhæserat, non modicam portionem incidit : quam suo Monacho summa cum devotione amplectendam dedit.

In hoc autem itinere quatuor sui Ordinis Domos invisit et adivit : Cartusiam videlicet, Arveriam, Luvigniacum et Vallem Sancti Petri. Arveriam, quamvis esset propter loca montuosa accessu difficilis et ab itinere nostro remotior, hac specialiter de causa expetiit. Bellicensis quondam Episcopus, ex Priore ejusdem Domus assumptus ad Cathedram, onere jam curæ pastoralis abjecto, ibi denuo cellicolam se simplicem effecerat, ut cœlestibus desideriis liberius inserviret. Qui nostri Pontificis longo ex tempore exæstuans desiderio, affatu ipsius et aspectu cupiebat refoveri. Quod etiam per internuncios ei sæpius innotuerat. Processerat quidem vir ille beatus in diebus suis, et mediante jam mundanæ lucis occasu, ad interminabilis diei suspirabat ingressum. Nec dissimiles animi, quamvis in ætate dissimili, nostro Pontifici erant. Jam enim caduca omnia, quæ ab annis teneris vilipenderat, in gravi etiam ætate fastidio habebat.

Optato igitur uterque potitus colloquio, suæ singuli recessus conscientiæ ex alternæ sanctitatis fulgore, dum sua vicissim occulta pandunt, splendidiores reddunt. Qui tandem simul ad commune Fratrum omnium venere colloquium. Tunc a Lincolniensi Episcopo Dominus quondam Bellicensis formam pacis inter Reges nostros initæ sibi petiit coram Fratribus retexi : nam concordiæ illorum ipsum interfuisse cognoverat. Ad quam viri tanti petitionem ferventissimus Ordinis zelator haud modice contristatus, ita leniter et quasi jocando ait : « O, inquiens, Domine

dirigat [al. dirigant], ita Mariæ Matrem precibus advocare et muneribus corrogatis ambire ut currere queant, cum subsidentium ventorum spiramina itineris commeatum negant. Huic vero semper, post ipsius Natam, familiarius Hugo et devotius impendebat venerationis obsequelam; quæ ipsi vicissim, in cunctis necessitatibus et periculis, celerem rependebat opitulationem. Tunc quoque invocanti eam festina affuit; cursuque placidissimo littori optato celeriter appulsum adeo exhilaravit, ut confestim post pressas vestigiis suis arenas ecclesiam peteret, Missarum solemnia de sacro ipsius Puerperio celebraturus.

Quo certe ex facto satis patuit, quanta fuit in eo erga Dominica Sacramenta cordis devotio; quem neque marina jactatio, nec, cum morbida valetudine, inediæ per multos jam dies protracta maceratio, a Divinorum celebratione potuerit cohibere. Astruxit plane, continuata usque in finem sacerdotalis officii executione, quonam instinctu, a primordio statim adeptæ discretionis, tanto Sacerdotii amore flagraverit, ut inquirenti (sicut in præmissis retulimus) viro cuidam sancto an vellet sacerdos fieri, voce promptissima id magnopere velle se continuo responderet. Quod sane non idcirco voluit, ut inde inter homines quovis honore proficeret; sed ob hoc tantum, ut eo magis magisque apud Deum et in Deum proficiendo, Deo tandem inseparabiliter inhæreret. Unde sicut pridem monachus, quoties de permissu Ordinis licuit, ita jam Episcopus, quoties possibilitati ratio concurrit, Missas celebrare nullo tempore prætermisit. Ex qua præcipue muneris sacri devotissima frequentissimaque perceptione, et singularem cordis munditiam, et insuperabilem constantiæ cæterarumque virtutum firmitatem, obtinere promeruit. Sed et invisibilium rerum et spiritualium mysteria secretorum, inter ipsa reverenda Canonis secreta ei divinitus patuisse, familiares ipsius non latuit.

Aliquando Capellanum suum, quem pridie minuisse sanguinem sciebat, Missam celebrare cognovit. Quem tunc blande quidem corripuit; sed hoc iterum attentantem durius increpavit, districte prohibens ne ulterius id facere præsumeret. Et pericula ex tali præsumptione non semel accidisse, sibique innotuisse memorabat.

Verum, ut cœpta procedat oratio, diem adventus sui in Angliam apud Dovuram, ubi applicuit, una cum Clericis aliisque domesticis et amicis suis, quorum ibidem turba non modica speratam et præcognitam ipsius præsentiam expectaverat, lætam lætus ipse cum lætis exegit. In crastino Doroberniam venit. Ibi Christi Basilicam, mox urbem ingressus, adivit; in qua, primo ad Salvatoris aram, deinde ad singulas Sanctorum in ea quiescentium memorias, maximeque ad gloriosi martyris Thomæ mausoleum, diutissime sed de-

votissime orans, se ipsum et suos Divino præsidio, et patrocinio Sanctorum Dei, attentius commendavit. Hinc, Priore multisque Fratrum usque ad atrium exterius ipsum cum veneratione deducentibus, ad hospitium suum divertit.

Illic Regis Justitiarii, necnon et plerique Optimates regni, quos ad locum illum nescio quis tunc casus asciverat, Episcopum sanctum certatim invisere gaudebant: adventui ejus congratulando applaudentes, sed molestiæ corporali, qua illum affectum didicerant, nimio mœrore compatientes. Quos ille magnanimi cordis orisque constantia magnopere consolari studuit; vultuque sereno, Dominica flagella servis Domini dulcia esse debere, et verbis docuit, et sui ipsius exemplo declaravit. Cæterum ille Summus Paterfamilias Deus, qui manum solverat ut eum succideret, falcem non retraxit a culmi succisione, quem ad messem album jam viderat; donec granum, Cœlestis apothecæ sinibus recondendum, ab ejus paleis funditus excussum, ad horreum ab area transferret. Quid vero necessitates corporeæ, nisi paleæ? quid culmus, nisi corpus? quidve granum, nisi spiritus justi in messe Dominica intelligitur? Cujus quoque ager, mundus est; area ejusdem, mundi pressura; horreum, cœlestis Paradisus.

Hujus sane prænuncia quædam messionis ei fuit oculorum sensim irrepens hebetudo; quæ, pulveris et caumatis continuato ingestu, memoratæ profectionis tempore, eorum aciem plurimum reverberabat. Qui, crebro suggerentibus nobis quatenus visui clarificando alicujus opem medelæ sineret adhiberi, una semper et eadem voce respondebat: « Satis, inquiens, oculi nobis isti sufficient, quamdiu fuerit usus ipsorum necessarius. » His igitur exterioribus parumper obtusis, nec tamen pristino decore exterius privatis, luminum interiorum de die in diem claritas limpidior reddebatur.

Apud Cantuariam vero, ubi solent quorumdam sæpius levari ægritudines, ipsius adeo aggravata est ægritudo, ut inde Londonias non præter molestiam, partim equitando, partim navali vehiculo deportaretur. Nihil tamen hoc suis votis adversabatur; nec precibus, quas in Christi templo devote libaverat, quod ei accidit in aliquo obviabat.

CAPITULUM XVI.

DE LANGUORE S. HUGONIS EPISCOPI APUD LONDONIAS; ET DE REGIS ET ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS VISITATIONE, QUA EPISCOPUM ÆGROTANTEM VISITARUNT; ET DE TRANSITU EJUS AD DOMINUM; ET PLURIMA DE GESTIS VERBISQUE LANGUENTIS, RECORDATIONE PERENNI DIGNISSIMA.

Nam ubi diversorium proprium, quod secus Londonias apud vetus Templum possidebat, sanctus Præsul Hugo æger ingressus est, anhelantia febribus membra quies lectuli protinus excepit. Quod amicorum ipsius plurimi intuentes, mœstitia conficiebantur; ipsoque audiente, Divinam exorabant clemen-

tiam, quatenus ipsum incolumem Ecclesiæ suæ filiis, ad ipsius jam diu reditum valde suspensis, restitui juberet. Hos ille paucis blande consolatus, ait : « Filiis nostris in Christo charissimis, sive præsens corpore sive absens, spirituali nunquam præsentia deesse valebo. Verum de valetudine sive præsentia mea corporali, immo et de me ipso toto, Patris solius qui in Cœlis est voluntas semper fiat. »

Transacta vero in eodem loco nocte una, postera die hæc ipsi qui scripsit ista locutus est : « Hi qui nos, inquit, temporaliter diligunt, immo et qui spiritualiter nos amplectuntur, vitam meam temporalem, quæ mihi revera jam pridem fastidio esse cœpit, satis cuperent prolongari. Sed nobis sententia longe distans est : qui cernimus manifeste, quam in brevi flebilis sit futurus status Ecclesiæ Anglicanæ. Melius itaque nobis est mori, quam vivere et videre Gentis hujus imminentia mala et Sanctorum. Nam, procul dubio, in posteris Henrici Regis impleri necesse est quod Scriptura prælocuta est, *Spuria vitulamina non dabunt radices altas;* et, *Ab iniquo thoro semen exterminabitur*. Sed et Rex modernus Francorum sanctum genitorem suum Ludovicum ulciscetur in sobole prævaricationis [al. prævaricatricis]; quæ thorum cum eo immaculatum repudiavit, ejusque æmulo Anglorum Regi impudica adhæsit. Quamobrem Gallicus iste Philippus Regiam Anglorum ita delebit stirpem, quemadmodum bos herbam usque ad radices solet carpere. Nam a Gallis tres ipsius nati jam abrasi sunt, Reges videlicet duo et unus Consul. Quartus, qui superest, curtam habebit pacem cum eis.

« Scis vero quia post biduum Domini mei evangelistæ et apostoli Matthæi Natale fiet. Dies illa mei quoque Episcopatus natalitius erat : in ea enim, ut scis, unctionem suscepi Pontificalem. Sæpius autem ab ineunte ætate ægrotavi ; nec illam tamen unctionem, quæ proprie dicitur Infirmorum, hactenus suscepi. Sola ex unctionibus, quæ meæ possent congruere personæ, hæc mihi nondum est collata. Hanc igitur cras, in Vigilia beati Evangelistæ, promereri exopto. Jam ergo modo faciem Domini prævenire debemus in pura et vera Confessione ; ut, ipso Domino annuente, tam venerabile Sacramentum digne pro modulo nostro, et salubriter pro dono suo, contingat nobis suscipere. »

His itaque memoratis, quidquid aliquando in se noverat accusabile, vel quidquid in quolibet gradu ætatis, ordinis, aut professionis, sibi de se poterat displicere, cœpit in conspectu Domini, sub testimonio ejusdem prius cui hæc loquebatur, Monachi et Presbyteri sui, deinde adjunctis ei tribus reverendæ honestatis sacerdotibus, solicite confiteri. Quorum primus Lincolniensis decanus fuit; secundus Præcentor, qui Cathedram ipsius post eum ascendit; tertius vero Archidiaconus Norhamto-

næ erat, vir vita utique et doctrina clarissimus.

In hac Confessione nec illa omisit, quæ innumeris pridem vicibus devotis viris compluribus fuerat confessus. Quorum quilibet fateri solebat, quod neminem eatenus vidisset, qui sicut Vir iste se ipsum nosset accusare, sic a se omissa, sic et indigne commissa, cum circumstantiis reatuum suorum, prompte, acute, et plene sciret enumerare. In confitendo istud semper replicabat : « Mala, inquiens, mea, vera et sola et pura mala sunt; bona autem, si quæ sunt, non ita sunt, sed admixtione malorum impura et malis undique concreta : et idcirco nec vera nec simpliciter sunt bona. »

Celebrata igitur per biduum hujusmodi Confessione, circa horam tertiam in Vigilia memorata, Eucharistiæ ad se delatæ obviam, nudis plantis, cilicio, tunica, et cuculla vestitus, processit a lectulo. Ante ipsum quoque tremendum Divinumque Sacramentum genua flectens et suppliciter adorans, diutius oravit : commemorans infinita beneficia Salvatoris humano impensa generi, illique gratias inde referens, ac se (ut dicebat) nimis culpabilem ejus misericordissimæ pietati commendans; ipsius denique patrocinium et auxilium usque in finem sibi adesse [al. affore], nec se unquam deserere flebiliter implorans. Refectus denique Vitæ æternæ dapibus, et Extrema Unctione in peccatorum remissionem delibutus, gratias egit Domino, dixitque nobis : « Jam medicis et morbis nostris, ut poterit, conveniat : de utrisque amodo erit in pectore nostro cura minor. Ei me commisi, illum suscepi, ipsum tenebo, ipsi adhærebo, cui adhærere bonum est, quem tenere beatum est; quem qui suscipit, cui qui se committit, validus et tutus est. »

Admonitus autem postea, dum languor ingravesceret, ut etiam testamentum de more conficeret, ait : « Tædet me sane hujus consuetudinis, jam passim in Ecclesiam traductæ. Nam, quoad animum meum, nihil omnimode aut possedi unquam vel possideo, quod censerem meum, et non potius Ecclesiæ, quam regendam suscepi, proprium. Attamen, ne fiscus solitus [al. solito] rapiat, si quid bonorum temporalium post meum obitum in Episcopatu fuerit derelictum, jam nunc universa, quæ videor possidere, indigentibus eroganda delego sub Domino Jesu Christo. » Accitis itaque Decano et duobus Ecclesiæ suæ Archidiaconis, quæcumque in possessionum suarum facultatibus reperiri poterant, eorum provisione dispertienda egenis, ipsis tradidit. Post hæc orarium suum [i. e. stolam sacerdotalem] jussit afferri : quod cervici appendens, anathematizavit omnes illos, qui de rebus suis aliquid fraudulenter supprimere, auferre violenter, liberamve facultatem exequendi quod jusserat prædictis executoribus denegare tentassent.

Post susceptum vero munus Extremæ

Unctionis, crescente in dies vi febrium, duobus continuo mensibus lectulo decubuit; * quotidiana sæpius Confessione, et quandoque sæpius repetita [al. * quotidiana pene, et quandoque sæpius in die Confessione repetita], levissimos cogitationum motus ac verborum excessus, si quando anxianti eveniret ministrantibus indignari, purgare festinans. Orationi mens ejus semper intendebat. Divinum Officium utroque tempore, noctis scilicet et diei, studiose curabat horis statutis exsolvere : quas, nec propter accessionem febrilis æstus, aut præterire patiebatur aut prævenire. Psallebat et ipse, cum vires suppetebant, cum psallentibus. Neglecte seu properanter legentes aut psallentes mox voce terribili aut sonitu castigabat. Utriusque rei summa cura ei toto semper ævo fuit præcedenti, ut distincte et debito tempore Creatori persolveret laudes constitutas.

Vicissitudinem standi et sedendi inter psallendum, quamdiu valuit, et ipse observabat, et suos observare Clericos compellebat; ut dum unus sedendo fatigata membra reficeret, alius stando et Divinæ et Angelicæ præsentiæ reverentiam exhiberet. Cum magnis interesset Nobilium conventibus, aut decidendis præesset causantium litibus, sicut aliis moris est ad formandas interlocutorias interdum secedere; ita, cum exigerent momenta progressæ litis [al. lucis], ad canendas divertebat horas consuetas. In dedicationibus ecclesiarum et in celebrationibus Ordinum mos ei [non] dissimilis fuerat.

Venit autem Rex visitare ægrotantem. Cui ille nec modice quidem visus est assurgere vel assidere; cum necdum adhuc vires deessent ei ad sedendum in stratu suo, cum alimenta percipiebat. Rex ei compatientissime loquebatur, exponens ei se ipsum et sua ad beneplacitum ipsius exequendum. Illo autem (exclusis omnibus suis) ante jacentem diutius sedente, et blandis sermonibus multa prosequente, Episcopus fere nihil deferebat auditis. Res tandem suas et testamenti sui executores, cum tota pariter Lincolniensi ecclesia, protectioni ejus commendans, ipsi valefecit. Desperaverat profecto jam de maneria illius: quamobrem pauca ei loquebatur, ne perderet pulchros sermones suos.

Metropolitanus quoque ipsius jacentem aliquoties visitans, quidquid humanitatis aut benignitatis esset, ei pro viribus se exhibiturum pollicebatur. Cui ad postremum suggerenti, ut si ipsum [al. si quem forte] verbo aut facto minus justo irritasset aut læsisset, veniam ab offensa [al. ab offenso] petere meminisset; ac demum profitenti quia suos sæpius animos acerbissime provocasset (qui tamen Pater spiritualis et Primas ejus haberetur), unde cordis pœnitudo, veniæque necessaria videretur postulatio; ita respondit :

« Sane, dum conscientiæ nostræ abdita quæque revolvo, quia vos sæpe ad iras provocaverim evidenter invenio;

quid tamen pœnitendum inde mihi sit non perpendo. Sed, quia sæpius et instantius hoc ipsum non egerim, mihi scio dolendum. Sed et crebrius solito, si diutius vobiscum vita ducenda restaret, id ipsum me facturum, sub oculis cuncta inspicientis Dei firmissime propono. Memini namque quia, ut vobis morigerarer, ea quæ vobis tacere non debuissem, quæque a vobis, si dicerentur, æquanimiter non audirentur, sæpe numero ignaviter suppressi; sicque mea culpa, vestram potius quam Patris qui in Cœlis est offensam declinavi. Ex quo accidit quod multum in Deum deliqui, unde indulgentiam supplex inquiro; in vestram autem Paternitatem vel in Primatum vestrum nec leviter nec Episcopaliter deliqui. »

Postmodum, imminente sibi jam post dies quindecim lucis hujus die suprema, Gaufrido de Nogeres [al. de Noiers], nobilis fabricæ constructori (quam cœpit a fundamentis, in renovanda Lincolniensi ecclesia, erigere Hugonis magnifica erga decorem domus Dei dilectio), talia idem est locutus : « Quoniam Dominum Regem, cum Episcopis et totius regni Primoribus, Lincolniam in proximo ad generale Colloquium conventuros accepimus, accelera et consumma quæ necessaria sunt ad decorem et ornatum circa altare Domini ac Patroni mei S. Joannis Baptistæ : quod etiam per fratrem nostrum Rolnensem [al. Rovensem] Episcopum, cum eo advenerit una cum cæteris Episcopis, volumus dedicari. Nam et nos ipsi, denunciati tempore Colloquii, illic præsentes erimus. Optabamus sane nostro illud ministerio consecrare; sed quia Dominus aliter disposuit, volumus ut priusquam illuc veniamus, excusatione [al. occasione] omni remota, consecretur. »

Hæc ipsa verba et aliis quibusdam repetiit : dans in mandatis servientibus suis cunctisque Majoribus Ecclesiæ suæ personis, ut in exeniis vel obsequiis, quantum possent, deferrent honorificentiam non solum Regi, sed et Episcopis aliisque amicis Lincolniam adventuris.

Urgere eum interea languor cœpit vehementius. Geminatis quotidie paroxysmis, in solida ejus membra febrile sæviebat incendium; vitalia et internorum medullas dysenteria exhauriebat. Diebus aliquot ante obitum suum, quæcumque circa exequias et sepulturam suam voluit expleri, nobis iterato insinuavit documento. « Cineres, inquit, solemni ritu benedictos præparate, quos in crucis modum spargetis super locum terræ nudæ : in quo ponetis me, cum instare videritis horam supremæ expirationis meæ. Cilicium enim, more quorumdam, in Ordine nostro migrantibus nequaquam substernitur: eo quippe quilibet moriens apud nos contectus esse debet [al. contentus est], quo pridem vivens usus est et indutus. »

Hæc quidem loquebatur cilicio et tunica indutus, cuculla quoque supervestitus. His involucris, potius quam

indumentis, nullo ægritudinis suæ momento caruit. Non ardor febris, non corporis tantus sudor, aliquid horum ei detraxit. Cilicium semel aut bis mutari sibi vix permisit : quod sudore ac si luto concretum, et restis more contortum, inter corpus et tunicam ejus, ex laterum frequenti mutatione [al. conversione], reperimus; quod etiam cutem ejus enormiter abrasisse, nescio quot in locis, deprehendimus. Et quia noveramus apud Cartusienses plurimum infirmis cilicia ex consuetudine tolli, dicebamus ei : « Domine, nimium lædit vos et exulcerat in continuis jacentem sudoribus hispida vestis hæc. Oportet vos illam exuere, et ea, juxta morem Ordinis, dum ægritudo infestat, penitus carere. » Ad hæc vero ille dicebat : « Nolit Deus ! absit istud ut fiat! Non enim lædit, sed lenit nos vestis hæc; nec tam exulcerat quam juvat. »

Præcepit quoque Scriptori præsentium, dicens : « Scio equidem nec Episcopum quemquam nec Abbatem in his locis reperiendum, qui debitum commendationis officium educendæ de carcere isto animæ meæ valeat impendere. Universos namque hujus terræ Prælatos edictum generale protraxit Lincolniam. Mittes ergo pueros cum equis ad Westmonasterium, qui deducant inde septem vel octo monachos, ut celebrent vobiscum exequias nostras. Ad Decanum nihilominus S. Pauli verbis meis mittens, mandabis illi, quatenus ex Clericis chorum frequentantibus copiosam huc dirigat multitudinem. Ita siquidem speciosas mihi persolvetis exequias.

« Cum vero tempus fuerit, ut corpus exanime Pontificalibus induatur ex more, sociabis tibi unum ex sacerdotibus Regularis habitus, qui tecum totum funus diligentius abluat et abstergat. In ecclesia namque Matrice Sanctæ Dei Genitricis, non procul ab altari S. Joannis Baptistæ, habeo sepeliri. Quamobrem exuvias corporis hujus mundissimas oportet exhiberi, quas sudor tantus multo jam squalore infecit. Cave ne hac in parte quævis obrepat negligentia, qua loci reverendi dehonestetur dignitas sacrosancta. Frater Petrus, Conversus noster, aquam subministret abluentibus. Præter vos, trino in numero hoc mihi munus exhibentes, nullus omnino alius ubi hæc fient intersit.

« Cum ad ecclesiam Lincolniæ perlatum fuerit corpus meum, proferetis ex scriniis nostris, quæ ibi sunt, omnia vestimenta in quibus Pontificalem suscepi consecrationem, a sandaliis usque ad mitram ; funusque sepeliendum eisdem omnibus induetis. Sunt namque plana, nec ambitiosa : quæ in usus istos hactenus conservavi. » Annulis quoque suis ei præsentatis, unum modici ponderis, aureum tamen habentemque sapphiri aquatici gemmam [viliorem], nobis tradidit, « Istum, inquiens, dum episcoparer, digitus noster excepit : istum, dum sepeliar, dextera hæc retinebit. Prospeximus nobis in hoc tunc, cum ad gradum istum accessimus, ut ordi-

natio et humatio nostra eisdem insignibus donarentur : quæ videlicet viventem eisque utentem humilitatis admonerent, et circa extinctum tandem et tumulatum, hæc fortuito reperientem quempiam ad rapiendum ea sui pretio vel specie minime provocarent. »

Eo igitur hæc prosequente, audientibus significatum est, quod post sepulturam primam corpus suum transferendum quandoque, ac proinde inspiciendum esse præviderit : quandoquidem primitus in sepulchro duplici, plumbeo scilicet et lapideo, utroque solidissime obserato recondendum, nec illud ibi videre quisquam, nec sua sibi ornamenta præripere valeret.

Ipsum vero sepulturæ suæ ita designabat locum : « Ante aram, inquit, sæpe dicti Patroni mei Præcursoris Domini, ubi congruentius videbitur spatium, secus murum aliquem ponetis me ; ne pavimentum loci tumba, ut plerisque in ecclesiis cernimus, importune occupet, vel incedentibus obstaculum præstet aut ruinam. »

Cum vero durius vexaretur doloribus immensis, hujusmodi verba sæpius orando repetebat : « O pie Deus, requiem præsta nobis ! Bone Domine, Deusque verax, dona tandem nobis requiem ! » Cui semel ita consolantis voce diximus: « Jam, Domine, quiescetis; tractus [al. tactus] nempe pulsus vestri finiri nunc innuit accessionem istam. » Ad hæc ille, « O vere, inquit, beatos illos, quos vel extremi dies Judicii requie inconcussa donabit ! » Ad quem vicissim dicentibus nobis, « Hujus diem Judicii illam, Deo volente, habebitis, qua istius carnis sarcinam deponetis ; » ille e contra, « Non, inquit, recte sentitis. Non enim judicii, sed gratiæ et misericordiæ dies erit, qua ego defungar. »

Stupori præsentibus, magnæque fuit admirationi, inter multiplices cruciatus violentissimarum ægritudinum, invicta semper animi fortitudo. Ita se in lectulo, cum vellet, in latus aliud gyrabat ; ita robuste incedens, cum secederet a lectulo quo esset necesse, ibat et redibat; ut congressum quemdam atque conflictum cum infirmitate corporis, virtus animi ejus iniisse putaretur. Et dicebant medici, hujusmodi gestus ejus intuentes : « Vere spiritus hominis istius sustentat infirmitatem ejus. Vere cum Apostolo insultare potest iste corpori mortis hujus, et dicere, *Quando infirmor tunc fortior sum et potens.* » Vox quoque ita succo plena virili ei fuit, ut licet submissior, subtilior tamen solito satis audiretur.

Lectionem post Martyrologium, de Joannis Evangelio, ipsa quoque die qua decessit, propriæ vocis sonitu ita fecit terminari, ut in crastino ibi coram funere ejus ad Missam inciperet legi Evangelium, ubi pridie nutu ejus textus Scripturæ ejusdem desiit recitari. Quod postquam advertimus, utpote eo minime procurante, accidisse, glorificavimus Deum, qui pulchro miroque ordine omnia ejus opera, vitamque totam, us-

que in finem semper dirigebat. Locus etiam Scripturæ summæ dulcedinis præsagium, ipsa rerum serie quæ gestæ fuerant, manifeste præferebat. Erat namque de familiari confabulatione Salvatoris nostri et Marthæ, ante suscitationem fratris ejus Lazari, quæ ita contexitur : *Dixit Martha ad Jesum : Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.*

Cum enim alias Canonicas Scripturas temporibus statutis, tum ad Matutinas, tum ad mensam suam annuatim relegi instituisset, quatuor Evangelistarum totidem libros, post primam diei horam, præmisso capitulo Martyrologii, quatuor anni temporibus perlegi faciebat. Has enim Lectiones, etiam cum equitando iter ageret, nullatenus omittebat. In quo religiosum Eunuchi illius studium æquiparasse, aut etiam vicisse probatur, qui sedens super currum, Isaiam legisse, Philippumque catechistam monitu Angelico promeruisse prædicatur. Quod enim ille semel egisse commendatur in curru, hoc iste innumeris vicibus equo tantum vectus continuo agebat usu.

Ut autem liquido innotesceret nulla eum animi dejectione, vel inter vitæ supremæ discrimina, solitæ magnanimitatis culmen deseruisse, hortatus est eum quidam ex amicis suis, ad explendam peccatorum, quantum sciret, sufficientem Confessionem, ita dicens : « Quia, Domine, sicut ipse melius nostis, efficacior Deoque acceptior est illa Confessio quæ specificat sigillatim omnia, quam illa quæ sub quadam generalitate includit singula ; et vos multo tempore Ordinarius, necnon et delegatus Judex plurimorum extitistis; quantum memoria recolit, satagite confiteri, quos vel quot ob privatum amorem sive odium promoveritis (ut assolet) in negotiis suis, aut depresseritis *minus juste [al. *minus videlicet utendo legitime judiciaria potestate]. » Ad hæc ille verbum protulit, quod pluribus audientium gaudio pariter et miraculo fuit, « Odio, inquit, seu amore, sed nec quidem spe vel timore, personæ aut rei cujuscumque, nunquam a veritate judicii me scienter exorbitasse memini. Si judicando deviavi a recto, hoc propriæ ignorantiæ, aut certe assidentium, crimen fuit. »

Nec prætereundum inconsulte videtur, quod Vir, totius semper vanitatis et superstitionis adversator, gustum potius carnium, in extremis hujus ægritudinis, quam esum, pro bono obedientiæ nequaquam repudiaverit. Suggerentibus namque amicis, et medicis asserentibus, quia, hyeme transacta, facilius curaretur, si esculentioribus cibis affectum jam corpus, et quartanis algoribus post alias febres congelascens, foveri permisisset; jussit Archiepiscopus, et in remissionem peccatorum injunxit ei, ut in tali quoque dieta consilio medici parere deberet. Ille vero præscriptum objiciens Ordinis Cartusiensis, quo in commune omnibus, morbidis, sanis, et

moribundis, esus carnium inhibetur, id sibi illicitum fatebatur.

Sed, ne multis immoremur, ad petitionem demum Clericorum suorum, de mandato quoque et sedula admonitione Cantuariensis Archiepiscopi, susceptis per Domnum Robertum (tunc quidem Procuratorem, ac paulo post Priorem Withamiæ) Fratrum ejusdem loci hortatoriis epistolis, ut suo Archiepiscopo incunctanter in hac ejus jussione pareret, carnes, ab adolescentia sua usque tunc nulla occasione a se prælibatas, in cibum sumpsit. Dicebat vero nobis : « Sciatis, quia nec desiderio nec remedio nobis aliquatenus esse poterit adeo suasus iste carnium esus. Verumtamen, ne tot venerabiles viros scandalizemus, immo ne ab Illius vestigiis vel in morte jam positi recedamus, qui factus est obediens usque ad mortem, dentur nobis carnes. His enim nunc demum, pro fraternæ dilectionis condimento, libenter vescemur. » Sciscitantibus autem medicis, quibusnam carnibus vesci placuisset, ita respondit : « Pedibus, si vobis videtur, suillis ; quos infirmantibus a sanctis quondam Patribus legimus fuisse concessos. » Hos igitur appositos, vixque præviis dentibus attrectatos, jussit amoveri. Similiter et de minutis volatilibus minimum quid gustavit.

Solebat, dum fuisset incolumis, quosdam viros Religiosos, maximeque Rectores cœnobiorum arguere, qui, præter consuetudinem regularem Fratrum suorum, a carnibus omnimode ducerent abstinendum. Meminimus eum cuidam Abbati abstemio talia quondam dixisse : « Tu, inquit, Frater, a quo solatium et exemplum sumere debent subjecti tui, propter abstinentiam istam extraordinariam in utroque peccabis in eos. Tu quoque ipse non delicias resecabis tibi, sed mutabis ; et in hoc quidem superstitionis crimen et vanitatis non facile evades. Tibi enim ab Officialibus aut legumina peregrina, aut pisces carnibus pretiosiores, et vice sagiminis varia condimenta, pigmentis et caris confecta rebus, parabuntur. Hoc discent exemplo subditi apposita sibi fercula rejicere, et condimentis coquorum semper novis inhiare. Qui vero nihil horum voluerit aut valuerit quærere, dum funditus appositas carnes tangere [al. apposita quæ carnes tetigere] respuit, stomacho male confortato a mensis recedet. Quod dum sæpius egerit, primo insomnietas, denuo mentis torpor, postremo totius corporis imbecillitas, jam ad omnia spiritualis vitæ exercitia invalidus permanebit [al. invalidum possidebit].

« Quale vero solatium a te suscipere illi sperabunt, qui, diutino affecti tædio, nunquam mensæ tuæ consortium quidquam sibi allaturum recreationis certissime sciunt ? Nam quod ego carnibus non utor, non tantum mei arbitrii est, quantum Ordinis decreti, cui semel cervicem subjeci. Quamobrem et in leges suas Ordo noster pauciores colligit, quia, id quod ille instituit, varie complexionata multitudo non capit. Vos e

diverso, qui multitudinem regere suscepistis, sicut moribus multorum servire juxta Legislatoris vestri sententiam debetis, sic et multiplicibus eorum infirmitatibus condescendere, et necessitatibus providere habetis. »

Et hæc quidem illi iste dicebat. Verum de his sententiam sapientis Viri, hoc loco præter historiæ cursum breviter nos tetigisse, Lectorem nostrum non pigeat; cum pariat quibusdam parum institutis non contemnendam formam necessariæ discretionis. Sed jam quæ restant de boni Doctoris nostri recessu a nobis, ut cœpimus, explicemus.

Pridie quam migravit a corpore, ut frequenter prius singulis septimanis consueverat, viaticum percepit Corporis et Sanguinis Christi. Sexto decimo Kalendas Decembris, feria quinta, jam die advesperascente, cum sentiret vires sibi magis magisque deficere, misit quosdam ex servientibus ad Priorem Westmonasterii, alios etiam ad Decanum S. Pauli; pro accersendis, sicut pridem jusserat, Clericis et monachis in obsequium funeris sui. Post hæc, imposita diutius vertici nostro dextera sua commendavit nos et universos filios suos Deo, voce sua pene suprema. Nos autem percepta benedictione illius, diximus ei tertio, antequam verbum aliquod ex ore ejus elicere possemus : « Rogate Dominum, ut Pastorem Ecclesiæ vestræ provideat ei profuturum. » Ad quod tandem ait : « Deus id faciat ! » His ab eo dictis, nudari fecimus pavimentum coram eo, et Crucis effigiem sparsis ibidem cineribus benedictis expressimus. Quam ille digitis e contra benedicens, capite demisso adorare nitebatur.

Tunc, cum ab eo satis invite tali hora secederemus, ne tamen minus plene die ultima divinum audiret servitium (cui adeo diligens studium omni pridem tempore consueverat exhibere), hymnos qui ad Completorium solent dici cœpimus decantare. Cumque ad illum locum Psalmi veniretur, ubi dicitur, *Clamabit ad me, et ego exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum,* illo ita fieri innuente, expositus est in medio et cineri impositus. Psallentibus autem nobis festinantius, ille vultu placidissimo spiritum sensim colligebat; quem tunc in manus Conditoris tradidit, cum psallentium chorus Canticum Simeonis recitare cœpit.

Sicque tam Prophetico quam Evangelico claruit testimonio, quia tam crebro, ut prædiximus, rogantem pacem sibi dari, Dominus exaudivit. Probatum quoque et illud verissime est, quod ipse prædixerat : quia dies defunctionis suæ non sibi foret dies Judicii, ipsum qualibet amaritudine percellentis, sed dies potius misericordiæ delictum omne clementer ignoscentis, et dies gratiæ leniter in pace ipsum refoventis : præstante Eo, qui misericordiam et veritatem eum diligere in veritate in omni vita sua fecit, quique ei gratiam et gloriam in vita et in morte sua dedit, Jesu

Christo Domino nostro, per quem gratia et veritas facta est, Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus, benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPITULUM XVII.

QUOD MULTA CONSIMILITER PRÆCESSERUNT ET SUBSECUTA SUNT BEATORUM EPISCOPORUM MARTINI TURONENSIS ET HUGONIS LINCOLNIENSIS TRANSITUM; ET ALIA QUÆDAM IN MODUM EPILOGI, DE REBUS VARIIS HUGONIS NOMEN CONTINGENTIBUS SCRIPTA.

Cum, duorum jam mensium spatio, Lincolniensium gloria Hugo artus febre jugiter, ut præmissum est, fatiscentes spiritui servire coegisset, Martini Turonensium gloriosi Antistitis festivitas cœperat imminere. Hujus ille in omni vita sua cultor et æmulator peculiaris extiterat. Frequenter quoque in oratione sua, et ipse Patroni sui verba usurpaverat; omniumque uni vero Deo hæc cordis labiorumque suorum vota precator supplex profuderat : « Domine, jam satis est quod huc usque certavi; et si parcis diutius anxianti, bonum est mihi. Fiat, Domine, de me voluntas tua! Cui si non resultat in hoc et voluntas mea, fiat ut sub tempore festi Domini mei S. Martini, optata post varios et immensos labores messis [al. missio] concedatur mihi. Sub istius, si placet, ducis et signiferi tui, o Rex gloriæ, festo triumphali, quo de mundi hujus Principe triumpho potitus extremo ad te pervenit, et me licet immeritum ad te jubeas accersiri. Hujus me, Domine, suffragiis commendatum, et fultum præsidiis, a castris tuis ad palatium, a spe ad speciem contuendam gloriæ tuæ, jubeas citius emigrare. »

Talia itaque non semel, audientibus nobis, Hugo nec sine multis gemitibus orando ingeminabat. Nos quoque, scientes quam devota semper æmulatione Martinum coluisset, quam alacriter in festivitatum Martini celebrationibus extitisset, quam dulce habuisset virtutes ejus referre, imitari mores et studia sectari, satis timebamus ne forte consequeretur suæ petitionis effectum, nosque desertos et desolatos morsibus exponeret rapacium luporum. Nec vero aliter quam timebamus evenit. Justus namque Dominus justitias dilexit in Justo suo; et iniquitatum nostrarum meritis æquitatem, quam eis deberi vidit vultus ejus, retribuit. Confisi tamen de pietate justi Domini et opitulatione justi servi sui, viciniora salutis demum consequi nullatenus desperavimus. Nam etsi ad momentum indignationis abjecit nos, sed non in finem affliget supplices suos, nec continebit in ira sua misericordias suas misericors et miserator Dominus.

Verum de tribulationum nostrarum præmiis, juste quidem etsi minus plene iniquitatum nostrarum meritis respondentibus, stylus interim sileat; et Hugonis potius, ut cœperat, vel balbutiendo [al. barbarizando] triumphos explicet, narret trophæa, et beati Martini virtutibus, S. Hugonis cognationis [al. ovatio-

nis] insignia memoret. Hugonem namque Martino, de quo agimus, etsi per omnia conferre fortassis pertimescimus, ipsum tamen ei, in vita et in morte, multifaria ratione comparabilem claruisse aperte videmus. Quod expressius commemorare, nobis quidem non pigrum, Lectori vero credimus fructuosum.

Igitur Martini ab infantia circa eremum aut monasteria animus semper fuit : fuit et Hugonis. Martinus in adolescentia, Hugo in pueritia, repudiatis militaribus pompis, tyro Christi efficitur. Martinus vero, ut militaret Christo, frementia militum castra deseruit : Hugo, ut expeditius adhæreret Christo, Clericorum contubernia dereliquit. Martinus signo Crucis, non clypeo protectus aut galea, hostium cuneos penetravit securus : penetravit similiter et Hugo armatorum cuneos evaginatos contra se vibrantium gladios, non quidem semel, sed vicibus multis. Martinus Pontificatus arcem invitus ac contradicentibus ascendit superbis : ascendit ordine pari et Hugo. Martinus in convivio presbyterum prætulit Regi superbo : sepulturam pauperum Regibus Regumque conviviis prætulit et Hugo. Terrenum in diebus suis non extimuit Martinus Principem : sed neque Hugo. Superstitiones ritusque sacrilegos longe lateque eliminavit ille; similiter eliminavit et iste. De quibus licet brevitatis gratia superius parce dixerimus, largius super his tractandum aliis relinquentes; Norhamtona tamen *latronis,* Wicumbia, Bertransenda [al. Bercamestuda], et alia quædam loca *fontium* culturam, Hugone acriter decertante, postposuisse noscuntur. Martinus dæmonibus imperavit : imperavit et Hugo. Ille super falsis rumoribus, et fama a dæmonibus septem conficta, veritatem ab energumeno studuit elicere : iste ne Pythonissa etiam vera divinaret studuit inhibere.

Martinus, quolibet pergens, oculos in cœlum semper figebat erectos : quod adeo mentalibus oculis agebat et Hugo, ut iter faciens ultra crinem equi cui insedisset, rem prorsus aliquam corporeis oculis fere nunquam videret. Unde constat quod Hugoni omni tempore contigerit, res quaslibet et juxta iter suum positas nulla curiositate prospexisse ; sed, quemadmodum de quodam scriptum legitur viro sancto, quia die pene tota secus ripam cujusdam stagni equitans, ipsum stagnum minime vidisset, ita et iste dum equitaret rem prorsus nullam, nisi casu demonstratam ab aliquo, oculis attendebat. Habebat jugiter ante se equitem, equum suum præcedentem, et callium diverticula quæ sequeretur meatu proprio præmonstrantem.

Contigit interdum ut inter hos, Præsulem videlicet ejusque ducem, quispiam commeantium medium se fortuito ingerens, dum ad partem alteram inflecteret vectorem suum, animal Pontificis de recto divertentem tramite per devia sequeretur. Quod ubi advertebat præ-

ambulus ejus, sæpe stomachando aiebat : « Improbe satis facit iste. En ! mihi furatus est Episcopum istum. »

Sed neque pedes vel eques, dum in villis propriis diutius quandoque perendinaret, delectandi, seu, ut assolet, uti se res quæque haberent, visendi gratia, aliquorsum pergebat ; quin potius lectioni, orationi, vel honestis colloquiis vacans, Evangelicum illud implere curabat, *In quamcumque domum ingressi fueritis, ibi manete, et inde ne exeatis.* In aula, ubi semel finito mox prandio cum bibisset, nec ad momentum ulterius die illa residebat ; sumptis vero secum viris honestioribus qui refectioni interfuissent, in cameram secedebat. Quos, dapibus ante et potibus quamlibet gratiose et splendide satiatos corporeis, splendidius tamen et gratius denuo reficiebat spiritualibus cibis, prolatis scilicet ex gestis aut dictis virorum illustrium æmulandæ probitatis atque virtutis, pro statu audientium, variis exemplorum incitamentis.

In his quidem, immo et in aliis quæ enumerare nimis longum est, fuere similes sibi in vita et conversatione Martinus et Hugo. Unde non immerito divinitus actum est, ut in morte quoque et in exequiarum decore, uterque alterutri quam simillime responderet. Martinus denique obitum suum longe ante præscivit, dixitque Fratribus dissolutionem sui corporis imminere, quia indicavit se jam resolvi : hæc quoque similiter præscire, dicere et indicare datum est et Hugoni. Instante obitu, Martinus mergulos a flumine virtute verborum potenti abegit : Hugo, magna virtute fretus meritorum, quosdam testamenti sui dilapidatores in reprobam quam meruerant mortem, præveniens eos in maledictionibus suis, dedit. Cujus rei exempla licet historia hæc præterierit, tamen pincernæ ipsius nomine Pontii exitus miserabilis, quem Andegavis languens, tertio venditus a prædonibus, demumque in doloribus nimiis expirans fecit, vera esse quæ proferimus manifeste declarat. Possemus et de aliis notissima hujus rei testimonia proferre, nisi, fastidio consulentes audientium, plurima gestorum ejus sub silentio transiremus.

Hunc autem Pontium, in principio ægritudinis illius, graviter apud S. Audomarum offendisse novimus beatum Pontificem Hugonem ; itemque Londoniis, morti jam vicinum ; tertio, Lincolniæ, inhumane satis et avare in venerabile funus jam defuncti peccavit. Londoniis autem, pro superbia ipsius et contumacia, facie in faciem maledixit ei Sanctus Dei. At sanctus Præsul, quia motum iracundiæ usque ad labia progredi permisisset, ut delinquenti ex malitia quamvis juste malediceret, statim facta Confessione pœnitentiam egit. Quam tamen ut benedictione maledictionem sanaret, induci non potuit. Unde nos contristati virum maledictionis hortari curavimus, ut veniam delicti sui petere non tardaret. Sed ille perti-

naciter salutis hortamenta deridens, suo de cætero Episcopum magis indigere servitio, quam se illius dominio asserebat. Talia isto furiose prosequente, perpendere promptum fuit, quia æquitas incommutabilis rationis linguam regeret Pontificis : qui licet se ipsum de motu, ut putabat, illicito reprehenderet, emissæ tamen maledictionis jaculum quod juste intorserat, illo perseverante in sua nequitia, revocare non valebat. Ubi et hoc mirandum fuit, quia ejus pertinaciam licet absentis, nemine indicante, per se ipsum Episcopus ipse cognovit. Hic vero ex mendico, omniumque destituto amicorum solatio, ad maximas mox creverat divitias in domo ejus; paulatimque ad majores officiorum provectus honores, ex puero servientissimo, evaserat juvenis superbissimus.

Sed quid, ad id quod ait ad mergulos S. Martinus [al. Sed quid, ais, ad mergulos Martini], istius vel aliorum testamenta diripientium mortuorum pertinet comparatio? Multum, inquam, per omnem modum; si tamen verba pensentur, quæ in avium illarum detestationem protulit Martinus. « Forma, inquit, hæc dæmonum est; insidiantur incautis, capiunt nescientes, captos devorant, exsaturarique nequeunt devoratis. »

Pernatabant [al. pervagabant] totam insulam Anglicanam mergi hujusmodi : hi scilicet insidiantes ægrotantibus, legata ante mortem quoque testatoris rapientes; sed in eo quam maxime formam sibi inducentes dæmoniacam, quod cum rapacem ingluviem assiduis urgerent capturis, captis tamen nequibant saturari. Verum Hugo beatus, horum nequitiam semper more Martini adversatus, sæpissime framea spirituali confregerat molas iniquorum, et de dentibus eorum rapuerat prædam. Summas post Regem regni Potestates ita sæpissime mulctaverat [al. arctaverat] gladio Spiritus Sancti, ut pronæ vestigiis ejus provolverentur, ea quæ legatariis abstulerant restituere festinantes. Quorum insidias a rerum, quas ipse legaverat, contrectatione funesta cupiens arcere, proprio instinctu vinculo primum anathematis, ut supra dictum est, illos innodavit, qui tale quid vi sive fraude in ipsis rebus præsumerent attentare. Obtinuit quoque tempore consequenti, ut in Concilio generali, quod eo vivente adhuc apud Westmonasterium celebratum est, innovaretur sententia solemnis anathematis, non solum in sui testamenti, immo et in cujuslibet testatoris fraudatores legitimi testamenti. Huic sententiæ Rex ipse assensum suum, Concilio cum Archiepiscopo præsidens, favorabiliter acclamando dedit.

Sed ut et cætera de Martino, et de Martini tunc famulo nunc autem socio, sermo iste percurrat, bonam virtutum suarum consummationem, redditam Ecclesiæ pacem Martinus reliquit : Hugo nihilominus non solum Cantuariensi ecclesiæ, ut præfati sumus, sed regno utrique Anglorum et Francorum, pro qua cis ultraque mare pluries desuda-

verat, redditam pacem dereliquit. Martinus hinc migraturus, prope assistenti diabolo dixit : « Nihil in me funeste reperies ; Abrahæ me sinus suscipiet. » Nec diffidentius de se, vel de suo exitu [al. receptu] Hugo sentiens, constanter loquebatur : « Non erit judicii dies qua ipse defungar, sed dies gratiæ et misericordiæ. » Ubi enim quid suum improbus ille exactor reperit, non permittitur immunis emigrare ad requiem alieni retentor debiti, citra agitationem æquioris judicii.

Ad puritatem vero et decorem funeris Martini, quibus et in morte ostensus est *Gemma sacerdotum,* id Hugoni ad funeris gloriam peculiariter actitatum [al. auctum] est, ut *vitro* sicut Martinus *purior et lacte candidior,* rosis (quod de Martino tacetur) vernantior, hominum innumeris millibus ostenderetur. Sed de hoc inferius plenius dicetur. Nam de pompa funeris quid digne dicemus ? Si de occursu monachorum et virginum referre tentemus, neuter quidem sexus vel ordo Hugoni defuit ; sed numerus forte et multitudo, ratione locorum, huic inferior vel brevior quam Martino fuit. Verum si quid in his gradibus Hugo a Martino minus habuit, id ei supernus Arbiter in dignitatibus potioribus supplevit.

Nam ut de inferioribus, quos præ multitudine dinumerare nemo poterat, taceamus, Hugonis funeri ac sepulturæ interfuere Archiepiscopi tres, Præsules quatuordecim, Abbates amplius quam centum, Comites plurimi, Reges duo. Non enim contentus fuit æternus [al. prædives] Retributor ille bonorum, militis sui insignissimi trophæum Regis solummodo Angliæ et Optimatum ejus obsequiis adornari : nam et meritis ejus hic honor impar extitisset. Qui etenim in exteris sæpe nationibus officium sepulturæ peregrinus ipse indigenis studuerat exhibere, dignum certe fuit ut ejus sepulturam non modo domestici et indigenæ, immo et externi et alienigenæ suis obsequiis perornarent. Et hoc quidem, jubente Domino, ei adimpletum est.

Verum istud etsi ad condignum videretur sufficere pro exigentia factorum ejus, sed pro voluntatis ejus devotione minus a condigno penitus extitisset, si non a plurium quam ipse unquam ingressus fuisset regionum populis illud sibi munus rependeretur. Proinde, superna disponente Clementia, præter Anglos, Normannos, Francos, Burgundiones, seu aliarum quas ipse vidisset terrarum accolas, Sclavi quoque, Scoti et Hybernienses atque Galawedi, cœlitus mandatas funeri ejus detulerunt excubias. Nam Hybernorum unus, et Sclavorum Archiepiscopus alius, cum Principe Galawediæ et Scotorum Rege, exequiis ei post agnitam ejus migrationem ex more celebratis, demum funeri ejus, in urbem Lincolniensem humeris suis, cum aliis Magnatibus, ipso quoque Rege Anglorum et Archipræsule Cantuariorum, deportando, longius extra civitatem obviam processerunt.

Ab his [al. Bis] quoque Officium, quod pro nuper defunctis exsolvi consuevit, in Matrice ecclesia ipsi, vel pro ipso, cum tanta gloria Lincolniæ celebratum est, ut, astante Clero et populo, cum Nobilium infinita multitudine, Lectiones soli Episcopi et Archiepiscopi legerent; Responsoria quoque universa, junctis sibi et aliorum graduum sublimibus personis, Antistites præcinerent, Versusque decantarent. Quod tunc primo fecerunt, quando ipsum obiisse audierunt; iterumque sub præsentia corporis ejus, ubi in Ecclesiam perlatum fuit, hoc idem facere addiderunt.

Verum hæc interim de glorificati hominis gloria, qua glorificavit eum Dominus in vita et in morte sua transitoria, breviter dicta sint : ad laudem et gloriam sempiternæ majestatis Dei et hominis Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu Sancto semper est et ubique in Sanctis suis mirabilis. Cujus præconium in conspectu omnis carnis magnifice accrescit, ex eo quod Sanctos suos, locis temporibusque plurimum distantes, fide tamen et devotione indissolubili [al. indissimili] ei famulantes, meritis et præmiis facit consimiles; cui regnum est et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

CAPITULUM XVIII.

DE TRIUM VISIONUM REVELATIONIBUS GLORIÆ S. HUGONIS ASTIPULANTIBUS.

Anno igitur gratiæ millesimo ducentesimo, beati Martini Octavarum die sexto, brevi intervallo post solis occasum, veri Solis imitator, Martini amator, Lincolniensium lucerna, Hugo, sexagenarius, annis Pontificatus sui ter quinis et quinquaginta octo diebus exactis, luci hujus sæculi valefaciens, Solem adiit qui nescit occasum. Senario quippe vitæ hujus laboriosæ viriliter exacto, requies illum æternalis Sabbati veraciter excipiebat, Octava beatæ resurrectionis feliciter numerandum [al. munerandum]. In cujus rei non incertum argumentum, præter miraculorum signa quæ obitum illius e vestigio subsecuta sunt, visionum etiam revelationes plurimæ innotuerunt : ne suo Martino vel in hac parte gloriæ Hugo videretur inferior. Quis vero non miretur ipsarum quoque visionum seu revelationum modum consimilem, ut nec discors qualitas esset in rerum signis, ubi tanta fuit parilitas in rebus ipsis ? Ne autem imperitia nostra, quæ in cæteris doctissimum Vitæ Martini Scriptorem nequit imitari, ab ejus vestigiis tamen in numero scribendarum aberret visionum, tres tantum, sicut et ille suis, ita et nos nostris Lectoribus duximus exponendas.

Harum vero prima visio, nocte illa quam ipsius transitus proxime subsecutus est, certo quodam casus imminentis præsagio, superna Clementia cuncta pie disponente, uni eorum qui secum positi erant præostensa est. Quam ille mane facto sociis manifestans, ea quæ in solemnes exequias opus erant,

die ipsa, medicis qui aderant subsannantibus et objurgantibus eum, solicitius studuit præparare. Nam Physici sanitatem ei, usque in horam vitæ ultimam, vitamque spondebant longiorem.

Erat autem hujusmodi visus. Videbat, et ecce in viridario quodam, parieti domus contiguo in qua jacebat Episcopus, se putabat constitisse. Erat loci situs hujusmodi. A parte boreali et ab occidua, domorum septis claudebatur, et ab Oriente et Austro cingebatur fossato ; cui ex parte altera pomarium, ex altera cœmeterium adjacebat. Ipsum quoque fossatum dumis et vepribus succrescentibus obsitum erat. Ab ipso igitur parietis loco, ubi caput lectuli Episcopi decumbentis erat innexum, pirus proceritatis nimiæ et pulchritudinis immensæ, longe ultra illius viridarii spatium porrecta videbatur corruisse. Cujus vastum decorem, decoramque vastitatem ille admirans vehementer, talia intra se tractando cogitabat : « Quis unquam tam pulchram conspexit pirum ? O quanta nobilis materiei jactura erit, si in hoc loco abdita putrescat speciosissima arbor ista, ex qua diptycha tot possent excidi, quot totius Angliæ vel Galliæ studiis scholasticis quivissent sufficere ! »

Dum hæc secum, sopitus corpore, sed corde solicitus ille pertractaret, supposuisse lacertos stipiti jacenti se repente videbat. Cujus dum molem leniter agitando pertentat, totum confestim lignum summa facilitate ab imo sublevatum in brachiis, quasi ponderis penitus nil haberet, huc illucque circumferri a se miratur. Interea subito ramusculi ejus ab ipso stipite deciderunt ; * ipse vero, mediis vectus in ulnis gestantis, planus et enodis permansit [al. * ipse vero medius vectis, planus et enodis, in gestantis ulnis permansit].

Cujus rei miraculo ille stupefactus pariter et jucundatus, sopore mox deposito, hujus cordi suo impressam visionis reperit conjecturam, ut etiam labiis et ore talia secum loqueretur : « Revera in brevi moriturus est homo iste. Ipsum enim demonstravit arbor hæc fructifera atque pulcherrima. Quæ merito ad Austrum collapsa jacebat, juxta illud viri Sapientis, *Lignum in quamcumque partem ceciderit, sive ad Austrum sive ad Aquilonem, ibi erit.* Sive enim ad amœnitatem Paradisi homo ducatur, cum cadit in mortem, sive rapiatur ad horrorem Tartari, ibi erit : quia inter Abrahæ sinum et Infernum *chaos magnum firmatum est,* ut alterutrum semel ingressus transire ad alterum sive transmeare ulterius non possit. Est namque inextinguibilis ignis ille, in quem mittitur arbor excisa, quæ non facit fructum bonum. Quæ vero aliquando non desinit facere fructum, transplantatur super aquas, ut æstum nesciat, ut folium non exuat, ut firmis in perpetuum radicibus subsistat. »

Et talia quidem iste de sacramento visionis suæ se ad præsens intellexisse, mane retulit quibus dignum duxit ex

sociis. Quid vero facilis illa arboris sublevatio portenderit, non prius ad liquidum agnovit, quam ista de vita illius atque virtutibus ita, minus licet accurato, facili tamen stylo digessit. Quæcumque enim Libellus præsens de verbis aut gestis ejus excerpta continet, ita pro magnitudine virtutum operumque Viri sancti æstimanda sunt, ut frondes exiguæ facileque deciduæ ad vastissimæ arboris conferri putentur robur immensum. Sed neque ad ea, quæ memoriæ ista scribentis inseparabiliter de magnalibus tanti Viri inserta, ejus quoque semper pectori cohærentia circumfert, hæc ipsa, quæ membranis tradidit, aliter valent comparari, quam si levium sarmentorum fasciculos contiguis cœlo abietibus, cedrisve sublimissimis, quis duxerit conferendos.

Hæc autem, licet peccatori hominumque indignissimo de transitu Viri justi præostensa sint, tamen quia funeris ejus obsequio præfuerat [al. profuerunt], cujus etiam rei gratia tantumdem innotuisse talia præscire non merenti noscuntur, illi de Martini obitu revelationi conferri apte merentur, qua Præsulum sanctissimus Ambrosius, ad deferendum obsequiis [al. exequiis] ipsius debitæ commendationis officium, cœlitus meruit informari. Nam et inter cætera ad similitudinem frondium quas viderat ab arbore mystica decidisse, universos pilos coronæ suæ et barbæ, ungues etiam manuum et pedum, diligenter ab eo excidi fecit et radi, postquam vespere sequenti in mortem cecidit idem dilectus Domini.

Jam vero uti Martinus, postquam Severo Sulpitio cum vitæ suæ Libro revelatus est, Cœlos continuo visus est, iter ejus prosequente discipulo Claro, penetrasse : ita viro omnifaria laude dignissimo, Richardo Norhamtonensi archidiacono, ipsa qua decessit nocte demonstratur et Hugo, per viam speciosi tramitis et ardui, ad Regale convivium properare. Qui cum miraretur in somnis, curnam tantus Pontifex contra morem iter illud solus et incomitatus iniret, vidit repente unum ex Capellanis ipsius, nomine Robertum, aliquantulum remotius vestigia ejus subsequentem. Idem autem vir, cui ostensa sunt hæc, tribus ferme dietis [al. diebus] a loco aberat, unde Episcopus ad mensæ Cœlestis convivium meruit accersiri.

Prædictus vero Robertus, cognomento de Capella, satis erat mansueti lenisque ingenii; præterque cæteros mores optimos quibus præditus fuit, quibuslibet afflictis erat compatientissimus, cunctis vero in commune affabilis et benignus ; fuerat quoque in orationibus et psalmis devotus admodum, multumque assiduus. Hic ea tempestate qua hæc gesta sunt, Lincolniæ morabatur. Qui post Domini sui et magistri Hugonis decessum (nescio quota die) acri febre correptus, ipsa die qua corpus sancti Pontificis Lincolniam (ut inferius dicetur) intravit ibidem tumulandum, et ipse corporeis nexibus absolutum

spiritum Cœlo reddidit, in convivio Regis æterni epulis immortalibus fruiturum. De quo et illud memoriale juvat referri, quia jugiter cum ad mensam resideret Episcopi, hospitum et advenarum præcipue illius animo cura fuit; quibus etiam, remotius interdum discumbentibus, fercula mittebat et vina, quæ illis credidisset [sibi appositis] gratiora. Super quo Eleemosynarius ei sæpe infestus erat, sed frequenter objurgatum nunquam vidit emendatum.

De quo sane Eleemosynario, * quia merito optime, ut credimus, præfato Roberto se objecit [al. * quia se mentio opportune, ut credimus, objecit], rem oblivioni non tradendam breviter paginæ nostræ duximus inserendam. Functus est idem vir officio Eleemosynarii in domo sancti Episcopi, omni tempore ab exordio Pontificatus ejus, usque ad unum semis annum ante Præsulis excessum. In quo strenuum satis indigentium se procuratorem ostendit : prudenter quibus et quantum erogandum esset perpendens, fideliterque ac devote quod perpendisset impendens. Qui tandem ægritudine præventus extrema, Hugonis ministerio ultima institutionis Christianæ percepit Sacramenta.

Nec multum post hæc, Episcopus consistens in quodam manerio suo quod Leyford [al. Lafford] nuncupatum est, vidit in somnis se constitisse secus castellum in quo Fratrem Morinum (hoc enim vocabulum viro fuit) reliquerat infirmantem. Qui introspiciens, columbam nive candidiorem cernit ab angulo in angulum, passimque per domum huc illucque volitantem, et quasi exitum anxie requirentem. Quod ubi aliquamdiu miratus aspexit, a somno excussus, surrexit; jussitque paratos adduci equos, ut obviam pergeret funeri Fratris mortui, quod de Stowa (ubi exanimatum fuit) ad Brueriam necesse erat transferri, ut sepeliretur. Erat enim idem Morinus de Ordine Militum Templi; eratque Brueria quædam mansio insignis illorum subjecta ditioni.

Dum igitur sternuntur equi et Episcopus primæ Horæ, cum Clericis suis quos fecerat accersiri, hymnos decantaret, adest repente nuncius, qui Eleemosynarium nocte media indicat expirasse. Tunc B. Episcopus quid vidisset, et quia ob ipsum visum suum solito maturius surrexisset, præsentibus intimavit. Distabant ab invicem Stowense municipium ubi ille obiit, et castrum Leyfordense, ubi ejus obitum Episcopus ex præmissa revelatione agnovit, fere millibus viginti. Advenit autem S. Hugo obvius funeri ad locum memoratum ; quod ibidem, pro requie Fidelium divinis ante celebratis Officiis et Hostiis immolatis, devotus hujus muneris executor sepelivit.

Et hoc quoque incidenter retulimus, præter seriem instituti tractatus quem prosequi cœperamus, in omnibus ædificationem potius Lectoris quam periti Scriptoris gloriam aucupantes : in quo tamen a materia cœptæ narrationis eo

minus recessimus, quo a funere ad funus, ad visionis revelationem a consimilibus visionibus digressi sumus. Sed jam, auxiliante Domino, ea quæ parumper omisimus celerius explicanda repetamus. Visionum igitur prædictarum conspectores, Severo Sulpitio, sanctoque Ambrosio consimilia vidisse probantur. Jam vero restat, ut revelationi, B. Severino Coloniensi archiepiscopo de Martini gloria cœlitus insinuatæ, aliquid non dissimile in medium proferatur; quo ipsius æmulus [al. sequipeda] Hugo olim præeuntis Martini vestigiis irremote doceatur, ut in via quondam laboris, ita et in tramite adeundæ jam beatitudinis adhæsisse.

Elapso siquidem post felicem ejus transitum brevi temporis spatio, hujusmodi de Hugone cuidam suorum ostensa est visio. Putabat se in quadam constitutum Basilica vastissimæ magnitudinis, cum infinita populi multitudine, prænunciato solemniter Hugonis episcopi Lincolniensis adventui suum præbuisse occursum. Qui dum repente inter eos media in ecclesia affuisset, tantæ dulcedinis cantica circa eum audiri cœperunt, ut in terris nihil unquam æque jucundum et delectabile auditum fuisse omnibus videretur. Horum vero, necnon et eorum quæ inferius dicenda sunt auditor atque narrator, ut turbam quæ confluxerat indefessis conatibus penetravit, eminus sanctum Episcopum quasi in lectica palliis holosericis mirifice adornata jacentem vidit; quæ in medio Basilicæ, substratis late per pavimentum tapetibus admirandi decoris, visa est constitisse. Sublevabat jacentis cervicem cervical amplissimum, quod ex purpura et bysso, coccoque bis tincto et hyacintho, satis operose fuerat contextum.

Qui postquam intuentem se discipulum suum, nec propius accedere præsumentem, clementi intuitu et ipse conspexit, erecto capite in ipso gestatorio visus est residere, ipsique discipulo dextræ manus indicio ut ad se veniret innuisse. Quod turba circumposita, quæ eminus constiterat, nec loco appropiare quo ille jacebat præsumebat, mox ut advertit, quasi ad salutandum eum propius irrumpere festinavit. Quorum ille velut accessum interim declinando, capite reclinato in speciem repausantis membra composuit. Tunc popularis frequentia, importunum ei suum ad præsens sentiens accessum, retrocessit, seque ut prius in loco remotiori reverenter cohibuit. Turba vero secedente, is etiam qui accersitus fuerat, dans locum quiescenti, gressum, quo ad ipsum venire cœperat, fixit. Ipse vero secessisse populum confluentem aspiciens, relicto gestatorio, in pedes se contulit; iterumque accersens quem prius, manu sua dextera lævam ipsius tenuit.

Dehinc longiuscule versus altare, quod eminus situm erat, ipsum deducens, ei talia dixit : « *Non te solicitum super statu meo gerere animum decet [al. *Novi te... gerere animum] : quam-

obrem te potissimum, ut ea quæ te movent aperires, accersivi. Tu nunc igitur quæ te solicitant incunctanter proferre non differas.» Tunc ille: « Hoc, Domine, votis omnibus antepono, hoc solum præ cæteris omnibus nosse concupisco: qualiter vobis ab hora recessus vestri a nobis actum sit, singulariter audire desidero. Demum quænam sint suavissima cantica ista, quæ tantæ dulcedinis melos auribus instillant nostris, edoceri peropto. » Erat enim sonus canentium mellifluus, voces consimiles, vocum tamen discrimina mira quadam varietate distincta. Ad hæc vero duo unicum ille dedit responsum, « Cantica, inquiens, hæc, ab hora illius quam dicis recessus mei a vobis, nunquam mihi defuerunt. » Quibus verbis ita satisfactum est inquirenti, ut de statu illius post mortem ultra nihil adesse posset tristitiæ, ubi carmina tantæ lætitiæ audiri potuerunt.

Quiddam vero ab eo sciscitari studuit, unde plurimorum sæpe inquisitionibus ipse, tanquam præ cæteris B. Episcopo familiarissimus, pulsari consueverat. Ait ergo: « Domine, a pluribus referri audio, unde et mea sæpius astipulatio flagitatur, cum ab ore vestro nil inde certum acceperim, quia videlicet vobis quodam tempore sacra Mysteria celebrantibus, Corpus Dominicum in specie visibilis infantis in manibus vestris, contuente id vobiscum Clerico quodam, monstratum sit et visum. Unde et animus meus crebra stimulatur pœnitentia, quia os vestrum super hujus rei veritatem non interrogavi, cum toties vobis adeo familiariter locutus fuerim. » His ille auditis, ita voce placida respondit: « Etsi tunc, quando dicis, et alias frequentius hoc mihi Dominus revelare dignatus est, quid inde tibi vis? »

Cum igitur ad hæc nec ille plura diceret, nec amplius super hoc sermone iste eum percontari auderet, adjecit ei confiteri cujusdam formidinis scrupulum, qui ejus animo ab annis puerilibus insederat; et dicebat: « Quia, Domine, media vita in morte sumus, dum mortis quandoque venturæ imaginem mentis conspectui sæpius repræsento, horrore quodam immenso totus perfundor. Dum enim cogito quod a rebus cognitis ad eas quas nescio rerum species subito rapiendus, per illos etiam quos ignoro a notis omnibus sum abducendus, non sinor confusionis magnæ fluctibus non involvi, et tædii cujusdam abysso funditus absorberi. Super hujus vero incommodi inordinato, ut bene jam sentire cœpi, tormento, consilii vestri ope satis indigeo. » Ad hæc ille beneficus semper interpellantium se consultor, responsione brevi amplum contulit poscenti remedium. « Tantum, inquit, solicitus sis ante mortem bene vivere, et solicitudinem eorum quæ mortem subsequentur Domino relinque. »

His dictis, qui loquebatur, cum visione memorata, repente disparuit. Qui vero hæc viderat et audierat, gaudio

plenus, de somno excitatus, super tribus articulis supra memoratis ita sibi satisfactum medullitus quodammodo sensit, ut omnem post hæc dubietatis et timoris scrupulum quoad prædicta, radicitus a suo pectore avulsum esse ipse quoque mirari consueverit; Deoque et Sancto ipsius famulo devotas gratiarum actiones pro tali consolatione studuit referre.

CAPITULUM XIX.

DE MULTIPLICI DECORE FUNERIS SANCTI EPISCOPI; ET DE CURATIONE EJUSDEM; ET DE HIS QUÆ OBITER USQUE AD LINCOLNIAM MEMORABILIA CIRCA CORPUS ACCIDERUNT; NECNON ET DE OCCURSU REGUM DUORUM, ET ALIORUM SUBLIMIUM VIRORUM INNUMERABILIUM, QUI PORTANDO FERETRO HUMEROS SUOS CERTATIM SUPPOSUERUNT.

Sed jam tempus est ut Cœlo receptum pro parte potiore Martini pedisequum, terræ quoque pro inferiore sui portione monstremus commendatum. Qui licet, hoc gemino arcente receptorio, terra videlicet et Cœlo, videri a nobis ultra non possit, nobis tamen ille non deerit (sicut ex præmissis visionum indiciis patuit), si amore sequamur quo sequendum se docuit. Sed non solum nobis quondam peculiariter suis, immo nec quibusque Fidelibus se amore sequentibus, unquam defuturum se ostendit: qui mox Cœlo receptus, terræ vero necdum commendatus, miris virtutum insigniis eis se docuit præsentem et viventem, qui mortuum eum lugebant, flebantque veluti sibi absentem. De his aliqua inferior loquetur pagina.

Igitur, prout supra docuimus, postquam, sub pacis Cantico, pacis amator et reformator Hugo, in pace in idipsum obdormivit et in Domino requievit, paucis suorum astantibus, commendationis officium ei parvitas nostra qua potuit devotione persolvit. Hinc ad lavandum, sicut ipse disposuerat, corpus ejus, manus indignas apposuimus. Quod, ubi nudatum est, supra quam credi possit mundum, multoque nitore conspicuum apparuit. Ablutum vero et diligenter extersum, Pontificalibus induimus insigniis. Interea reversi, quos ipse, ut diximus, ad celebratores exequiarum suarum accersendos destinaverat, septem vel eo plures monachos, Clericorum vero copiosam multitudinem adduxerunt. Ab his tota ipsius noctis spatia in hymnis et canticis spiritualibus expenduntur; posito in ecclesia sacro corpore, istisque per gyrum votivas excubias frequentantibus.

Celebratis in crastino Missarum solemniis, de consilio medicorum exta corporis ejus (quod longius ad sepeliendum portari debuit) auferuntur: cum id penitus fieri non oportere alii sentirent et assererent. Quæ in eadem ecclesia B. Mariæ ad Vetus Templum, in vase plumbeo recondita, et secus altaris crepidinem sub lapide marmoreo honeste reposita, gloriosum redivivi corporis sui templum expectant, sub magnæ resurrectionis tempore feliciter subeundum.

Hæc autem licet inaniter et super-

flue, quoad providentiam hominum, gesta fuisse, ipsis mox visceribus patefactis claruerit; divinitus tamen ut ita fieret dispositum extitisse, ad gloriam Dei qui semper est in Sanctis suis mirabilis, ad honorem quoque ejusdem servi sui, varia postea ratione innotuit. Et quidem tunc, ubi manu chirurgica ipsa internorum viscerum secreta patuerunt, inventa sunt nihil superfluæ collectionis, nihil prorsus concreti, ut assolet, humoris intra se retinentia; sed tali quodam purissimo nitore perlucebant, ac si plurima cujuslibet hominis diligentia essent abluta et undique purgata.

Erat profecto istud mirabile in oculis intuentium; sed apud quosdam levigabat pondus miraculi, cum abstinentia temporis tanti, vis dysenteriæ, qua diebus aliquot ante mortem vexatus, ejus impetu credebatur ita potuisse funditus exinaniri. Quod tamen qualitercumque factum sit, hoc dicere veraciter licet: quia exterius quidem *lacte candidior,* intus vero et extra *vitro purior,* corpore quoque monstratus est suo similis Martino; ut merito et ipse dici debeat, in hac etiam parte, *Gemma sacerdotum.* De cujus mirabili decore, inferius loco competenti plura dicentur.

Conditum autem multis aromatibus, a dormitionis suæ loco Lincolniam eum ad sepeliendum cœpimus transferre. Non est autem necesse, quia nec possibile nobis foret, fletus et gemitus occurrentium undique describere populorum. Civitatis Londoniensis Clerus et populus procul extra urbis mœnia, cum crucibus et cereis, feretrum prosecuti sunt. Obitum vero ejus per agros et villas cognoscentes, uterque sexus, omnis conditio, gradus et ordinis cujuscumque, in fines suos venientibus obviam confluebant sacri funeris portitoribus. Tetigisse feretrum palma suprema fuit. Quibus id negabatur præ stipantium multitudine turbarum, vel eminus adorasse et conspexisse non vile trophæum ducebatur.

In ipso itinere, per juge quatriduum, uno quotidie repetito vel potius conti nuato miraculo, Sanctum suum mirificavit Dominus. In manibus siquidem equitantium puerorum cerei quatuor jugiter ardebant: quos in morem facularum sub divum expositos, nec ventorum spiramina, nec interdum guttis densioribus rorantia nubium stillicidia, extinguere potuerunt. Pueri autem nunc ab equis descendentes, nunc cum vehementi impetu sellas vacuas reascendentes, cereos tenebant, quos ignis inter hæc non deserebat. Stupebant autem præ admiratione hæc intuentium multitudines, et in voces clamantium prorumpebant: asserentes nec inter manus clausum lumen a se teneri posse inextinctum, ubi, nullo contecti velamine, sed Dei solius virtute freti, flagrare non cessabant cerei; naturam propriam dediscente, per merita sancti Præsulis, triplicis qualitate elementi. Flatus quippe aereus, humor aquaticus et splen-

dor igneus, triumphanti Christi militi jurata impendebant obsequia.

Præter saniores vero aliorum de tantis omnipotentis Dei magnalibus sententias, hoc interim simplicium fidei commendasse sufficiat: quia non immerito ipse tam jucundo luminis honore decoratus apparuit, qui ad decus Matris veri Luminis perpetuæque Virginis, ecclesiæ suæ consueta luminaria adjectione admodum numerosa cumulavit. Lincolniensi namque thesaurariæ amplos in hoc ipsum redditus assignavit, ut ampla tantæ ædis immensitas paribus propemodum, inter nocturna Officia, cereorum micaret fulgoribus, ut interdiu radiis renitescebat solaribus.

Crepusculo diei secundæ postquam iter aggressi sumus, ad villam juris Episcopi Lincolniensis, Bilreleswalem [al. Bikeleswad] nuncupatam, devenimus. Ubi dum circa feretrum plangens accolarum se turba conglomerat, in ipso ecclesiæ introitu in qua per noctem illam venerabile corpus quiescere debuit, hominis cujusdam brachium ita fractum est, ut crepitum ossis patientis fracturam illi etiam qui remotius astiterant clarius audirent. Erat autem nomen viri Bernardus. Quem sui ab ecclesiæ foribus semianimem rapuerunt, et ad domum propriam delatum usque mane patientiæ operam dare petierunt, tunc pollicentes subveniendum ei ope medicorum. Sic ergo nec saltem colligatus, nec quovis medicamine fotus, fracturæ adeo molestæ locus plurimam noctis partem in doloribus magnis eum protrahere coegit insomnem. Qui demum, in tenuem resolutus soporem, mox vidit sanctum Episcopum Hugonem brachium suum manibus piissimis contrectantem, dataque benedictione, a se post paululum recedentem. Cæterum recessu indultæ visionis, collatæ benedictionis virtus non recessit. Evigilans namque a somno, ita penitus, omni fugato dolore, os consolidatum et brachium sanatum invenit, ut præcedentem potius fractionem, quam curationem subsequentem, per somnum se suscepisse putaret.

Quarta profectionis dieta Stamfordiam devenimus. Ibi, dum agmine denso populi frequentia stipatur circa feretrum, et hinc virginum Deo sacratarum e vicino monasterio chorus, inde circum adjacentium villarum accolæ populosis ipsius burgi turbis accrescunt, vix ante profundæ noctis tenebras vicum ipsum ingredi valuimus. Istic vero, per merita servi sui, tale Dominus miraculum patrare dignatus est, ut hoc mortuorum resuscitationi nemo jure dubitet præferendum.

Interfuit tanto occursui quidam vir innocentis vitæ, bonisque per omnia studiis deditus, arte sutoria sibi suæque familiæ victum quæritans. Hic, eminus aspecto glebæ pretiosissimæ gestatorio, cum accedere niteretur, sed præ turbarum densitate parum nitendo proficeret, multis audientibus in voces hujusmodi prorupit : « O Bone Deus ! quare non

permittor ad optimi servi tui corpus accedere, ut vel fimbriam palliorum quibus tegitur osculari merear, vel caput meum indignissimum sacris ejus supponam Reliquiis? O Scrutator renum et cordium, Jesu Salvator benignissime! in hoc solum desiderium meum adimple, ut feretrum quod conspicio corde et corpore prono valeam subire; et sic de hujus mundi colluvione animam meam tolle. »

Talia clamitans, nisibus indefessis, turbis quoque ad clamores ejus attentis [al. attonitis] paulatimque cedentibus, immersit se tandem sub feretrum. Quod postquam attigit, et capite submisso adoravit, oculis et manibus in cœlum erectis, in hunc modum orare cœpit: « Gratias tibi ago, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, quia in tantum consolatus es me, misertus mei, ut, quod in hoc mundo super omnia concupivi, corpori sanctissimo servi tui corpus meum tot peccatis obnoxium quivissem adjungere, et ei qui fideliter servivit tibi meruissem approximare. Deprecor igitur te, omnipotens Deus, ut in hac nocte animam meam cum anima istius, cujus me corpus adire fecisti, in requie perenni, ubi eam esse non dubito, jubeas collocari. »

His ita ab eo peroratis, nos cum sancto corpore ecclesiam, in qua pernoctandum fuit, ingredimur. Ille autem suos subintrat penates, una sola interjacente platea, eidem ecclesiæ pene contiguos. Nec mora: irrumpunt vicini illius in ecclesiam, presbyterum turbatis vocibus inquirunt, et repertum, ad domum viri, sumpto secum sacræ Communionis viatico, celeriter properare compellunt. Quod ille, in extremis jam positus, præmissa Confessione, percepta absolutione, testamento quoque legitime confecto, mox ut percepit, spiritum in pace emisit.

Habuerat vero sanctus Episcopus Hugo, dum adviveret, in usu familiari, ut, cum audiret quosdam intemperantius lugere quemcumque mortuum, inter alia consolationis verba eis diceret: « Et quid est istud quod agitis? Per sanctam nucem [al. micem] (sic enim vice juramenti ad confirmationem verbi interdum loquebatur), per sanctam, inquiebat, nucem, nobiscum male nimis ageretur, si mori nunquam concederetur. » Miraculosam quoque mortuorum suscitationem laudibus efferebat, sed vivorum ex hoc sæculo miraculose aliquoties factam ereptionem potius attollebat: ut Petri diaconi et notarii beati Gregorii Papæ, et cujusdam pœnitentis de quo agitur in miraculis sancti martyris et episcopi Projecti, plurimorumque monachorum, ut legitur in Vita Gemiticensium [Jumièges] abbatis Almadii [al. Althadii, *lege* Aichardi], necnon et illorum Septem Dormientium [qui fuerant consobrini sancti Martini patroni Hugonis nostri]. Istorum, seu et aliorum hujuscemodi dormitionem, quorumdam excitationi a mortuis censebat præferendam.

[In hoc igitur miraculo a Martini sui vestigiis non recessit, sed ejus potius consors et sodalis apparuit : dum ille septem, sub unius diei momento, a vita mortali ad immortalem gloriam cognatos suos accersivit;] iste Pontifex B. Hugo uni, quem fides sua et devotio dignum fecit, aditum Paradisi interventu suo clementer aperuit. Hæc quoque miracula eo stupenda, quo rariora sunt; eoque magis sunt appetenda, quo probantur utiliora. Quis enim nesciat utilius circa istum agi, qui beatæ mortis compendio miserabilem vitam mortique ancipiti semper obnoxiam evadens, ad vitam evolat mortis et miseriæ semper ignaram, quam circa quemvis alium meritis revocatum cujuscumque Sancti a tranquillitatis sinu feliciter quiescentium, ad repetendos vitæ hujus ærumnosæ labores, jamque evictæ mortis experiendos rursus agones? Talia igitur de his Vir sanctus et sapiens sentiebat; qualia et ipse modo circa devotum et veridicum perennis suæ, quam obtinuit, requiei testem et assertorem exhibuit.

Et hæc quidem omnia, sub ipso momento quo ista gesta sunt, memoriæ pariter et intelligentiæ nostræ, de dictis præteritis, gestisque præsentibus, præsentis vitæ contemptoris et futuræ amatoris Hugonis, occurebant. Sed jam, ut cætera quæ restant prosequamur, hoc in loco procuratores nostri laternas corneas emerunt, in quibus per diem candelæ jugiter circa feretrum lucerent. Cerei namque, variis motibus equitantium et impulsibus ventorum irruentium exagitati, a facie ignis devorantis nimium defluebant, manusque et indumenta gestantium continuis distillationibus molestius infundebant.

Sed quia, prætermissis duabus mansionibus, duas tantum alias, in quibus a Londoniis digressi requievimus, jam calamus expressit, cum in omnibus par nobis humanitas, summus vero sacro funeri honor delatus sit, universas nunc breviter et seriatim exprimemus, in quibus a Londoniis usque Lincolniam pernoctavimus. Prima igitur nobis cum monachis Herefordensibus mansio fuit; secunda in Bikeleswad, tertia in Borkedena [Bugdena], maneriis scilicet Episcopalibus. In his tot ejulatibus indigenarum excipiebamur et lamentis, ut meminisse sit horror, scribere vero superfluus labor sit. Metationem quartam Stamfordia, quintam mansionem nobis Anacastria præfixit. Hinc milliaria bis dena computantur usque ad civitatem in quam eramus venturi.

Ad quam sexta profectionis die jam cominus advenientes, cum ad descensum montis uno pene milliario extra urbem accederemus, obviam habuimus, cum inæstimabili multitudine Cleri et populi, Regem Angliæ et Regem Scotiæ, Archiepiscopos, Episcopos, Principes, Abbates et Proceres, quot vix unquam in Anglia pariter ante conventum illum contigit inveniri. Rex Scotiæ præ mœrore, quia nimis semper dilexerat Præsulem sanctum, in parte seorsum stans

nec propius accedere valens, lachrymis vacabat : cum sentiret magis esse gaudendum, si rationem vis doloris admitteret. Reliqui Magnatum, cum Rege Anglorum, humeros suos supponunt oneri non ignobili. Nec parum sibi successisse gaudebant, quicumque sua membra illius corpori portando aptare meruissent; cujus merita obsequentium animas et corpora sustollere ad cœlestia et ab omni clade levare potuissent.

CAPITULUM XX.

DE SCRIPTORIS INTENTIONE QUI ISTA DIGESSIT ; ET QUIA PONTIFEX SANCTUS, DELATUS CUM MAGNA GLORIA IN ECCLESIAM SUAM, IBI SUBITO FACIE IMMUTATA RUBICUNDUS APPARUIT ; ET DE QUATUOR MIRACULIS ANTEQUAM IBIDEM SEPELIRETUR PATRATIS ; ET DE LOCO SEPULTURÆ EJUS ; ET DE REGIS MITIGATIONE ERGA CISTERCIENSES OB GRATIAM SANCTI.

Internus [al. sincerus] rerum arbiter, in quo æquitas judicii viget, in litteris sacris non tam elucubrati schematis ambitum quam fructum utilitatis commendat. In causa scribentis etiam, quo affectu quove instinctu articulos direxerit, non quo atramento aut cujusmodi calamo scripturam exaraverit, diligenter examinat. Id ipsum et nos, cum diu jam vindemiando botros suavissimos vineæ Domini Sabaoth, vineæ Soreth, veluti ad extremos pervenimus annos [*lege* antes], magnopere exoratum esse te præoptamus, quicumque libanda duxeris ea quæ præsenti Libello, ac si fructum saluberrimum vili insertum cartallo, tibi præsentamus. Nec modo qualiter sermonem dispositum, sensumve digestum repererit, prudens et benevolus Lector attendat; sed potius quid utilitatis, ex his quæ imperite digessimus, eum reperire desideremus perpendat. Noverit nos in primis Christi amore impulsos, ut scriberemus. Meminerit subinde nos Domini nostri [al. famuli sui] honori, Patrum venerabilium jussioni deferendo, et Fratrum plurimorum piis petitionibus annuendo, arduo nos scribendi periculo commisisse.

Nec tanti nobis constat hic jam consummati (authore Deo) laboris nostri proventus, quo diutius hic insudavimus, ut in isto quo hæc digesta a nobis sunt schemate optemus permanere. Quin potius, sicut de innumerabilium Passionibus gestisque Sanctorum olim factum gaudemus, ut ea quæ prisca simplicium ruditas illepide conscripsit, novorum eruditio elegantiori stylo illustravit, ita et de præsenti opusculo quantocius fieri in summis desideriis habemus. Tunc primum votis successisse nostris ad plenum merebimur gloriari, cum ad Dei gloriam, et laudem servi sui, ea venustate qui lecturus accesserit hæc edita susceperit, ut rebus revera gloriosis ignobilis character et inglorius minime obsistat, quominus in Illum qui in Sanctis suis gloriosus est, devotione cordis et imitatione operis feliciter proficiat. Licet vero et alia suppetant innumera de Viro beato, cujus omnia verba et opera in cognoscentibus

et observantibus ea semper prosperabuntur, quæ Fidelibus innotescere beneficio litterarum operæ pretium constaret; nostræ potissimum curæ fuit ea quæ nobis, gratia familiaritatis ulterioris præ cunctis quos jam superesse novimus, de illo comperta sunt et liquidius intimata, in unum velut aggerem, necessariam comportando materiam, futuris impendia quodammodo præparasse; non autem constructionem ipsius fabricæ (insigniori opifici merito reservandam) nobis usurpasse.

Igitur, sicut dicere cœperamus, dum portando funeri tot se Magnatum virorum certatim submitterent humeri, ut nullius personæ in globo tantæ multitudinis delectus esse potuisset, Rex tandem et Archiepiscopi et Episcopi, ante urbis ingressum, pretiosam quam ferre susceperant, aliis quodammodo violenter diripientibus eam portandam cesserunt margaritam. Ita quibus virium præstantior magnitudo feretrum subeundi copiam paravisset, nunc scapulis nunc manibus illud contingentes, gaudio pleni incedebant. Nec diutius tamen tripudio tali potiebantur; repente enim ab aliis explosi, prædam suam novis raptoribus cedere cogebantur. Toto quoque itinere illo usque ad ecclesiam (quod non brevi spatio tenditur), per singula fere momenta novi novis succedebant bajuli bajulis; nec numero pari, sed tot erant portitores, quot machina grabati admittere poterat accedentes. Sed nec alii quam sublimes viri et præeminentes istis se conflictibus inserere præsumebant. Ita per plateas, ex hyemalium proluvio aquarum luto altissimo plenas, incedebant : frequenter suras, sæpe etiam genua, cœno immergentes.

Qui autem accedere cominus non valebant, nummos superjaciebant arcæ quæ corpus incluserat; protensisque manibus eminus adorantes, Sancto se se devotius commendabant. Judæi quoque lugentes et plangentes, ac verum magni Dei famulum eum extitisse conclamantes, occursu pariter et fletu obsequium quod poterant ei impendentes, illam circa Virum Dei impletam esse sententiam nos advertere compellebant, qua dicitur : *Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus.*

Sonantibus itaque per universas totius urbis ecclesias classicis, cum hymnis et canticis spiritualibus, suæ tandem gremio infertur ecclesiæ. Hinc, post modicum, in secretiorem transfertur exedram, ipsis vestimentorum insigniis parvitatis nostræ obsequio induendus, in quibus olim Pontificalem susceperat consecrationem. Erat vero tunc ibi videre miraculum. Caro namque ejus ita niveo quodam et uniformi candore nitescebat, ut quoddam resurrectionis decus jam tot diebus extincta manifeste præferret. Nihil in ea lividum, pallidum, aut submarcidum, nihil fuscum : nihil non lacteum, aut potius quoque liliosum renitebat. Manus ejus et digiti, brachia quoque et lacerti, non aliter quam pridem in vivo, nunc in defuncto plicatiles,

molles et tractabiles erant. Balsamo sola ejus facies, et manus ejus dextera, fuerat delibuta. De aliorum autem statu membrorum nil investigavimus: digito enim annulum, chirothecas virgamque pastoralem manibus ejus et brachiis inserentes, de his solummodo ea quæ diximus ita se habere deprehendimus.

Omnibus itaque Pontificalibus rite insignitus, nudata facie, soporati magis quam exanimati speciem prætendebat; et ita a glorificantibus Deum defertur denuo in chorum. Accurrunt undique turbæ inspectantium, cereos ardentes manibus præferentium, pedes ejus et manus osculantium, aurum et argentum lapidesque pretiosos offerentium.

Interea, dum paululum remotius cum viro venerabili ipsius ecclesiæ Decano consedissemus, invicem de his quæ circa Christum Domini mirabiliter acciderant conferentes, adsunt quidam stupentes et attoniti, talia nobis dicentes: « Vidistisne et attendistis, quanto decore vernare jam cœpit facies Episcopi, ut rosis rubentibus genas similes prætendat; ut dormientis, non defuncti, nuperque de balneis egressi hilaritatem præferat? » Ad hæc Decano admirante, hæc nunciantibus respondimus: « Fallimini procul dubio, fratres charissimi. Revera enim candore mirabili nitet vultus ejus, rubei vero coloris nullum in eo vestigium elucet; satis, paulo ante, diligenter notavimus omnem ejus speciem atque decorem. » Tunc illi nos quodammodo reluctantes rapuerunt, et cominus adducentes, ostendebant fide oculata, verissima se fuisse prosecutos de gratia ruboris quo micabat facies ejus.

Quod intuentes, nec ulterius veritati perspectæ contraire valentes, illud in Threnis de Nazaræis canticum Jeremiæ in eo non immerito etiam corporaliter notavimus adimpletum: *Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores*. Permansit autem verus idem Sponsi Cœlestis amicus ita candidus et rubicundus, quamdiu mansit in Sponsæ sibi commissæ aspectibus super terram manifestus. Utrum vero in sepulti corpore decor ille permanserit, an non, scire nostrum non est modo; scietur autem postea. Qui si forte evanuit, et cum Moyse evacuata est gloria vultus ejus, non erit unde scandalizentur quibus id forte scire donabitur; cum sit jugiter conspicabilis et interminabilis [al. inexterminabilis] species ejus in nubibus Cœli: unde non solum datur pacis formositas, sed et debilitatis sospitas fluere in ævum non desistit.

His ea quæ sequuntur jucundo satis auspicio astipulari noscuntur. Nam regressis nobis ad locum sessionis memoratæ, veniunt celeriter ad Decanum plures, qui dicerent mulierem quamdam, lumine annis multis privatam, primo corporis sancti attactu visum recepisse. Suggerunt itaque ut classicum pulsari, ac *Te Deum laudamus* vocibus altisonis dominus Decanus jubeat decantari. Verum illud nos fieri dissuasimus vehe-

menter, quia ignota fuit eis ipsa mulier; ne forte conficta cæcitate, lumen se mentiretur de novo recepisse, quo jam annosa nullo tempore caruisset. Sed veritatem super hoc, et super aliis quæ procul dubio audiri contingeret signis, diligentissime semper inquirendam primitus, et non nisi certissime probata quolibet modo propalanda et publice prædicanda nonuimus.

Dum igitur super his disceptatio aliquantula inter nos et Clericos haberetur, accurrunt et alii, de muliere altera indubitatum referentes miraculum. Dum enim matrona quædam devota, oblatione facta, juxta corpus insisteret piis precibus, crumenam sibi a zona dependentem et solidos aliquot argenteos continentem, fur clandestinus incidit. Qui mox, nullo adhuc mortalium præter ipsum, quod fecerat, furtum agnoscente, percutitur subita cæcitate. Hinc quo se ferret, quo gressum verteret, prorsus nesciebat. Qui nimio actus timore, cum aliquamdiu huc illucque, tanquam ebrius et crapulatus a vino, nutabundus abire tentaret, nec posset; cum jam oculos in se plurimorum his gestibus converteret, et quidnam sibi esset quod ita gesticularetur in loco tali inquirerent circumstantes; manum cum bursa nihil dicendo tetendit in altum, quid egisset rebus ipsis manifestans, et quid statim pertulisset voce lugubri subinferens. Inspicit et agnoscit loculum suum mulier in manu sacrilegi incisoris; cui ille restituit quod abstulit, et lumen mox recepit quod amisit. Recepit et illa pecuniam quam perdiderat, et immensis attollit præconiis Patroni clementiam, quem mente devota adivit.

De præcedenti quoque muliere, quod revera diu cæca fuerit, et amissum lumen ibidem receperit, in brevi post hæc certius innotuit.

Miles itidem quidam, Canonicis Lincolniensibus et aliis comprovincialibus notissimus, cujus brachium cancer ita corroserat ut jam os appareret, idem brachium suum super corpus sancti Episcopi nondum humati posuit, et faciem ejus (quæ, ut mos est Regibus et Episcopis defunctis in feretro jacentibus, discooperta jacuit) curationis gratia frequenter non sine lachrymis tangebat; statimque a Domino meritis Sancti sui restituta est (mirabile dictu !) tam caro quam cutis brachii ejus. Unde idem miles gaudens, et Deo et sancto Pontifici gratias agens, se sanum Decano ejusdem ecclesiæ, commendabilis vitæ et conversationis viro, aliisque viris fide dignis sæpius præsentavit, ostendens locum pristini morbi plene et integerrime sanatum.

Tantus interea fiebat concursus populorum, ut infra modicum tempus quadraginta marcarum summam oblationum quantitas excederet. Jacentem autem in medio Filium lucis die ac nocte ambiebant viri et fœminæ, tenentes in manibus cereos ardentes, et in modum coronæ gloria et honore coronatum a Domino circumcingentes. Tunc

Magister Joannes [Leicestrensis] vir litteratus et industrius, hujusmodi distichon ad pedes ejus posuit, in quo multiplices virtutum ejus prærogativas breviter expressit dicens :

Pontificum baculus, monachorum norma, Scholarum
Consultor, Regum malleus Hugo fuit.

De his singulis, baculo scilicet et norma, Consultore et malleo, etsi plurima quæ dici possent occurrant, tamen quia finiri longe prolixior quam sperabamus Libellus expectat, hæc latius ab aliis tractanda relinquimus supersedentes ; et Lectorem interim præsentium, ut ex minimis majora conjiciat hortamur, ac ad ea quæ jam superius dicta sunt animo retractanda destinamus.

Die autem postera, dum portaretur ad tumulum, mutilatur hinc inde scissione crebra sacrarum quibus induebatur vestium. [Sacrari admodum se credebat, quisquis tale sacrilegium committere valuisset, ut in sacro sacrum de sacro aliquid rapuisset.] Sepultus est, sicut ipse nobis præceperat, secus parietem, non procul ab altari S. Joannis Baptistæ, et sicut visum est propter accessum confluentis populi magis congruere, a boreali ipsius ædis regione.

Rex ipse, ex ipsis quæ divinitus fiebant gloriose, erga Dei hominem compunctus, tunc primum sibi certius compertum esse perhibuit, quanti penes Deum Ordo monasticus loci et meriti fuerit, in quo ad tantam ipsius gratiam Vir iste succreverit. Flexus itaque ad insperatam clementiam, Abbatibus Cisterciensis Ordinis (quorum multitudo, quæ numerum quinquagesimum excederet, eo dicebatur convenisse) exactionem pecuniariam, quam ab eis durius [al. diutius] elaboraverat extorquere, prorsus ad honorem Sancti ipsis remisit. Monasterium præterea insigne se constructurum promisit, ad laudem et gloriam Dei : qui vivit et gloriatur super omnia, Deus benedictus in sæcula. Amen.

APPENDIX.

Hactenus author Vitæ S. Hugonis. Subticemus hic brevitatis studiosi nonnulla miracula, quæ extant in Volumine nostro Provinciæ Angliæ, ad quod remittimus Lectorem. Silentio etiam prætermittimus ejusdem Sancti Præsulis canonizationem et translationem. [*Quæ omnia videre est in Annalibus Ordinis Cartusiensis V. P. Domni Le Couteulx, ad annos 1201, 1220 et 1280.*]

Porro perhonorifice scripserunt de sancto Hugone Rogerius de Hoveden, Radulphus de Diceto decanus Londoniensis, Gervasius monachus Dorobernensis, Matthæus Paris monachus Cluniacensis, Joannes Brompton abbas Jornallensis, Matthæus monachus Westmonasteriensis, Henricus de Knygthon canonicus Leicestrensis, Polydorus Vergilius, Urbinas, Laurentius Justinianus patriarcha Venetus, Nicolaus Harpsfeldius, Cæsar Baronius Cardinalis, Lau-

rentius Surius, Sutor, Dorlandus, et multi alii Scriptores tum Catholici tum Heterodoxi.

Henricus de Knygthon, in Libro 4 de Eventibus Angliæ, subsequens miraculum circa caput S. Hugonis anno 1364 patratum narrat his verbis : « Diximus supra caput S. Patris Hugonis, a corpore separatum, in pretiosa quadam lipsanotheca inclusum fuisse. Cum autem anno 1364 invaluissent fures et latrones in Angliæ regno et spoliarent ecclesias, feretra Sanctorum et Reliquias etiam asportabant. Venientes autem Lincolniam, caput quoque S. Hugonis furati sunt, et, captis argento et auro lapidibusque pretiosis, caput projecerunt in quodam campo ; et, quod mirum est dictu, quidam corvus, prout fama laboravit, custodivit illud, donec cognitum esset per eosdem latrones, et Lincolniam deportatum. Latrones prædicti abierunt Londonias ad vendendum sua prædicta latrocinia, et vendiderunt, ut dicebatur, pro 20 marcis ; et redeuntes in patriam suam, spoliati sunt de dicta pecunia. Postea, de dicto scelere prodientes se ipsos, capti sunt et apud Lincolniam suspensi. »

Fuse etiam S. Hugonis meminerunt Abraham Bzovius in Annalibus ecclesiasticis et Raynaldus, Baronii continuatores ; Benedictus Gononus ; Antonius de Balinghem ; Martyrologia, Romanum, Anglicanum Joannis Wilsoni, et Andreæ Saussayi Gallicanum ; Ribadeneira, et alii recentiores.

SIMON DE HAMBURG

PRIOR ARGENTINÆ

Huic monasterio præfuit ab anno 1374 usque ad annum 1379. De quo quidam monachus Montis Dei synchronus scribit his verbis : « D. Simon de Hamburg, monachus et sacerdos Montis Dei, patria Germanus, obiit anno 1394, die 17 Novembris, sub primo pulsu ad Matutinas ; habens in professione ultra 40 annos. Is, juxta consilium Propheticum, obliviscens populum suum et domum patris sui, non tantum patriam suam Alemaniam reliquit, sed et celebres et novas in ea enatas Cartusiani Instituti Domos præteriens, ad Montem hunc Dei sicut passer migravit ; in quo laudabiliter et simpliciter conversatus sine querela, se non inutilem præbuit ibidem, tum vitæ exemplis, tum variorum descriptione librorum, etc. »

PAYUS DE RIBERA

PRIOR DE PAULARI

Ex nobilissima stirpe Marchionum de Tarifa, cujus avus alter extitit Fundator Domus de Covis. Professus fuit Payus ejusdem Cartusiæ de Covis, unde ad regimen Domus de Miraflores assumitur circa annum 1470. Sub annum autem 1477, Prior institutus de Paulari, cum

utiliter simul et religiosissime præfuisset, pie obiit anno 1482, die 17 Novembris.

Hic, tempore Novitiatus, facinus patravit præstantius quam Banaias filius Joiadæ vir fortissimus, quem Sacræ Paginæ mirum in modum extollunt. Nam cum Payus noster probationis annum decurreret, omnes fratres illius e vivis excesserunt, ut refert D. Petrus de Wal Bruxellensis Cartusianus; sive melius, mortuo Martino altero fratrum, et Petro Afan de Ribera dicto Juniore adhuc in priori matrimonio sine liberis existente, cum ad dimittendum habitum Novitius a suis sollicitaretur, ut generis successionem propagaret, in manu fortiter Crucifixum arripiens, respondit se consecratum esse illi Domino, qui pro ejus amore sanguinem et vitam in Cruce profuderat. Sicque postea successionem obtinuerunt neptes illius, quas Petrus Afan ex altera conjuge suscepit.

Catalogus Priorum de Miraflores et Mss. Cartusiæ Bruxellensis.

PETRUS ROBERTI

RECTOR CURERIÆ

Brevi hoc elogio cohonestatur in Charta Capituli generalis anni 1512 : « Obiit D. Petrus Roberti, Rector Cureriæ, professus Cartusiæ; qui 58 annis laudabiliter stetit in Ordine, et 47 annis strenue rexit Domum illam Cureriæ; habens Anniversarium sub die obitus sui, qui fuit 17 Novembris. »

JOANNES DE SALAZAR

PRIOR DE PAULARI

Professus, Vicarius et Prior de Paulari, et Rector quondam Granatæ; vir inculpatæ vitæ et conversationis, cujus virtus cum in camino gravissimæ persecutionis probata fuisset, descendit justificatus in domum suam, pie moriens anno 1530, die 17 Novembris.

Fuse de eo egimus in Catalogo Priorum de Paulari.

VOLPARDUS HENRICI

PRIOR ULTRAJECTI

De quo Chronicon Ultrajecti agit his verbis : « D. Volpardus Henrici de Gravia habitum suscepit anno 1502, 7 Novembris; et anno 1508 institutus est Sacrista; et 1512, Procurator. Anno vero 1525, post decessum D. Gerardi, electus est Prior Domus Campensis, quam quindecim annis, septem mensibus et duabus hebdomadibus rexit : et ibidem multa construxit. Deinde anno 1540, post mortem D. Petri Zas, electus est in Priorem hujus Domus, quam etiam quinque annis, hebdomadibus quatuor, sollicite et studiose tam in

temporalibus quam in spiritualibus gubernavit. Obiit in festo S. Hugonis, anno 1545. Vixit in Ordine 43 annos. Multum commendatus fuit ob mores religiosos ac exemplares. »

JOANNES ARIAS

PROCURATOR DE PAULARI

Ipsamet verba cujusdam Manuscripti hujus Cartusiæ refero :

« Vir iste, natus urbe Civitatensi, ad nos venit, Cœlestem lucraturus ; quam avide avens, ad metam certissimam sibi statuit viam, obedientiam et orationem, per quam illam rapuit. Sacristæ munus novem annis implevit continuis : mira devotione et lætitia Divinis rebus deditus, loco sibi concesso utens opportuniore orationi. Postea Procuratoris officium exercens, absque dubio excelluit inter alios : temperans necessarias animi distractiones antiqua oratione, rara humilitate et religiosa charitate. Perduxit illum ad mortem longa ægritudo, in qua non minimum patientiæ aliarumque virtutum specimen exhibuit.

« Cumque, biduo ante mortem, coquinæ præfectus et infirmarius Frater illi adstarent, rogavit utrumque an boni aliquid haberent cibi. Hi autumantes eum appetere aliquam rem, non deesse necessaria responderunt. Rogantibus vero quid appeteret, subjunxit ille : « Non mei sum sollicitus, sed Conventus. Optarem namque pro Fratrum levamine boni aliquid parari ad diem S. Hugonis Lincolniensis; ea enim die, hora quinta matutina, exspirabo. » Cujus prophetia impleta est hora et die ab eo prædictis, non sine Nostrum consolatione : ex anteactæ vitæ laude et illa mortis cognitione conjectantes, Dominum servo suo fideli felicitatis perpetuæ præmium præstitisse, post vigesimum professionis annum, anno autem Christi 1563. »

PETRUS D'AST

MONACHUS CARTUSIÆ

Andegavensis ; professus Cartusiæ, anno 1584, die 17 Januarii ; vir non contemnendæ eruditionis et pietatis, qui aliquas Meditationes de Passione Christi, Ciceronianam eloquentiam et Bernardinam devotionem redolentes, luculenter scripsit : alias quoque Gallico idiomate in Quadragesimam et Resurrectionem composuit pias et doctas. Tandem Siligniacum missus cum valetudine sexagenaria, formicatione, asthmate, cardialgia, jecoris ac splenis obstructione, dysenteria hepatica, cachexia et calculo, cum lenta febre, trituratus et viribus exhaustus, sanctis munitus Sacramentis, patientiæ mercedem adepturus fatis concessit, anno 1622, die 17 Novembris.

Ex Schedis D. Hugonis Buat ad nos transmissis.

Fuerat Petrus d'Ast ad Ordinem nostrum receptus a R. P. D. Bernardo Carasse, Cartusiæ Priore.

GABRIEL SORNI

MONACHUS VALLIS CHRISTI

Patria Valentinus; anno 1640, die 20 Decembris, inter Novitios Vallis Christi adscriptus, omni genere virtutum effulsit. Deditus enim fuit admodum orationi, carnis suæ macerationi, jejuniis, abstinentiis et aliis austeritatibus, quibus illibatum virginitatis florem servavit usque ad mortem; quæ contigit die 17 Novembris, anno 1648, dum ipse salutabat Beatissimam Virginem, cui fuerat devotissimus, his verbis: « Ave Filia Dei Patris, Ave Mater Dei Filii, Ave Sponsa Spiritus Sancti. »

Annales Vallis Christi.

XVIII DIE NOVEMBRIS

CLEMENS

MONACHUS SELLIONIS

Primum Vitam monasticam apud Ambroniacum divi Benedicti cœnobium professus, tantam suæ virtutis sparsit fragrantiam, ut Prioratui Broviensi præfectus fuerit. Quem cum utiliter in utroque statu per plures annos administrasset, arctioris magisque solitariæ Vitæ desiderio incensus, Cartusiense Institutum in hac Sellionis eremo sectatus est, anno 1187, cujus unus fuit e primis Fundatoribus. Ibi divinarum rerum contemplationi addictus, meritis dives, obdormivit in Domino.

Ex Monumentis hujus Cartusiæ.

JOANNA DE BELLOJOCO

PRIORISSA DE POLETENS

Nobili orta stemmate; filia quippe erat Ludovici comitis de Forest et Eleonoræ a Sabaudia. Spreto generis splendore, se se famulatui Divino mancipans, ob exemplarem vitam ad parthenii hujus regimen assumitur. Quod cum rexisset singulari cum prudentia et sanctitate per quadriennium, anno 1314 ad Christum Sponsum suum feliciter migravit.

Ex Catalogo Priorissarum hujus monasterii.

ERASMUS DE WERTHEIM

PRIOR DE GRUNAW

Ex illustri Comitum a Wertheim, Domus Grunacensis Fundatorum, prosapia natus, anno 1431. Cum esset Canonicus ecclesiæ Metropolitanæ Coloniensis et Sancti Gereonis, adolescentulus sexdecim tantum natus annos, calcatis sæculi honoribus et divitiis non sine admiratione plurimorum, Coloniensibus Cartusianis nomen suum dedit, anno 1446, die 7 Septembris. Deinde ob laudatissimos mores Grunacensis Prior, anno 1469, die 13 Octobris, institutus, ibidem pie fatis fungitur, anno 1474, 18 Novembris, relicta sanctitatis opinione.

Petræus noster emendandus est in sua Bibliotheca Cartusiensi, qui refert Erasmi obitum ad annum 1452; nam signatur in Charta Capituli generalis ad annum 1475.

MARTINUS TORALDUS

PRIOR CLARIMONTIS

Filius perillustris Baronis Toraldi; in utroque Jure eruditissimus. Contempto generis splendore, Christum pauperem sectatus est, anno 1500, in Cartusia Neapolitana; ubi bonus odor Christi factus, spargens suæ sanctitatis fragrantiam, præfectus est Domibus Clarimontis et Padulæ. His in muniis humilitate, mansuetudine, patientia regularisque observantiæ zelo præcellens, cum se ob ætatem jam administrationis oneri imparem crederet, ad suam exauctoratus instantiam, reversus ad suæ professionis Domum, præstolans in spe et silentio salutare Dei, ibidem naturæ debitum persolvit, anno 1541, die 18 Novembris, nonagenarius.

Ex Mss. Cartusiæ Capri.

XIX DIE NOVEMBRIS

HUMBERTUS

ARCHIEPISCOPUS VIENNENSIS

Sellionis monachus; ex qua eremo evectus ad Sedem Viennensem, cum Pastor bonus virtutum suarum exemplis commisso sibi gregi præluxisset, ad cœlestem patriam evolavit, anno 1215, die 19 Novembris. Sepultus jacet Viennæ in ecclesia S. Mauritii, sub tumba marmorea, ubi tale legitur Epitaphium:

Hic corpus petra tegitur, sed spiritus æthra
Præsulis Umberti petiit, qui munere certi
Pro quo certavit vivens, dum se maceravit,
Cartusiæ morem sectans, cellæque rigorem.

Ad nos translatus, sic curam Pontificatus
Gessit, Pastoris stimulum, votique prioris
Formam ut servaret, nec in alterutro titubaret,
Mundum suppeditans, mundi contagia vitans,
Ecclesiam rebus ditans, opibusque, diebus
Per quos hic degit, patriam sub pace redegit
Milleno bis centeno, quintoque ter anno,
Luce duodena nos deserit ante Decembrem.

Humberti mentio habetur in Historia Antonianorum sub annis 1208 et 1214, et in Gallia Christiana.

PETRUS DUNCARD

PRIOR S. AUDOMARI

Alumnus Vallis S. Petri; quem, ob spectatæ pietatis industriam, beatæ memoriæ Boso Prior Cartusiæ instituit Priorem primum Cartusiæ Cameracensis inde translatæ Valentianas. Cumque dignus inventus fuisset super multa constitui, ad inchoationem quoque Domus Aldegundianæ S. Audomari transmissus est primus Moderator. Quibus omnibus probe functus, repositam a Domino percepturus lauream, quievit in pace. Florebat anno 1299. Ejus meminit Ganneronius noster in suo Martyrologio ad diem 19 Novembris.

CHRISTIANA PAELDYCHS

PRIORISSA BRUGIS

Anno 1358 præerat parthenio Gosnay; postea Priorissam egit Brugis, anno scilicet 1362. Verum post biennium regiminis, ab officio exonerata, eo quod laboraret articulari morbo, rediens ad Domum Gosnay, ibidem bonorum operum et meritorum plena decessit, die 19 Novembris.

Ex Catalogo Priorissarum.

JOANNES NUÑEZ

MONACHUS DE PAULARI

Nobili ortus familia in Burgensi tractu, Vitam monasticam profitetur apud Cartusienses de Paulari, anno 1591, die Augusti sexta. Ubi primum Novitii vestem suscepit, vir a natura proclivis ad iram, ita veterem cum suis actibus exuit hominem, ita sibi, mundo, inanique gloriæ mortuus est, ut illas Apostoli voces sibi posset vindicare : *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Quæ sursum sunt solummodo sapiens, et oblitus quæ retro sunt, ad cœlestia anhelabat; satagebat discurrere perfectionis religiosæ palæstram. In arrepto igitur proposito sic perseveravit, ut post ejus obitum Vicarius, Joannis encomiastes, inter cæteras defuncti laudes dixerit, ipsum fuisse virum simplicem et rectum, recedentem a malo, et adhuc retinentem innocentiam. Cartusiæ Granatensis Prior, Joanni justa persolvens, in oratione funebri hæc Hymni Confessorum verba eidem adscripsit : *Qui pius, prudens, humilis, pudicus, sobrius, castus fuit et quietus.*

Supradictus Vicarius, qui cum Joan-

ne per viginti octo annos convixerat, eidem aliunde admodum familiaris, testatus est se nunquam in amico suo deprehendisse aliquid non solum levis noxæ, vel etiam imperfectionis; adjiciebatque Joannem semper in omnibus suis operibus intendisse perfectius, et quod Deo magis gratum existimabat. Idem perhibuere testimonium ejus convictores : adeo ut in Visitationibus singuli plena manu in illum, utpote spectatæ probatæque virtutis virum, laudes congererent. Nec immerito : custos siquidem fuit accuratissimus Ordinis observantiarum, a quibus ne latum unguem unquam recedebat. Aliquando monachos deducebat ad Spatiamentum, per id temporis ipse hujus turbæ antiquior. Cadente nimio imbre, monachi Joannem rogaverunt, ut secederent in domum viciniorem donec pluvia intermitteretur. Verum Statutorum tenax, causatus id vetitum, ad eorum preces obsurduit.

Nec minus fuit religiosus circa silentii custodiam, cum nec verbum unquam protulerit sine Superioris licentia, quamvis interdum necessitate cogente loqui potuisset sine conscientiæ stimulo. Vocem supplebat aliquod signum : timens ipse ne, si linguam prolabi sineret ad necessaria, deinde se effunderet in superflua. In statis animi relaxationibus ita refrænabat linguam, ut vix os suum aperiret, nisi audiret monachos de inutilibus confabulantes; tunc etenim solerter de rebus spiritualibus sermones miscere solitus erat. Sin autem, apparebat Areopagita taciturnior, ab omni verbo plerumque se abstinens, ni interrogatus respondere cogeretur : quod quidem agebat laconice, quamvis facunde admodum et cum omnium admiratione de Dei bonitate ac beatitudine Cœlesti dissereret. Hæc colloquia ipsi gratissima, malebat tamen audire quam loqui. Perquam etiam fuit accuratus in choro frequentando, quamvis adversa admodum affectus valetudine; ibi nusquam fuit desideratus, neque in cæteris Conventualibus muniis.

Cibi parcissimus, sæpissime victitabat sola juris scutella; delitiarumque alienus, deterioribus escis utebatur; modiceque adeo comedebat, ut diceres eum quotidie jejunare. Unde apparebat macilenta admodum facie; confectusque abstinentiis, multis gravibusque laborabat morbis, quos sustinebat cum incredibili patientia.

Præcelluit in Joanne obedientiæ virtus. Quod cum sat Superioribus innotesceret, virum ætate provectum tanquam Novitium exercebant : modo jubebant e cellula in aliam minus commodam migrare, modo a libellorum devotionis lectione abstinere; modo hanc, modo aliam injungebant Obedientiam; modo imperabant Coquinario modicam Joanni subministrare pitantiam, modo nihil in ejus fenestella apponere. Cumque modis omnibus militem emeritum probarent, semper ille se demonstrabat promptum ad omnia,

et sine mora, sine tædio, sine murmuratione, ad mandata Superiorum paratissimum : summa pace, perpetuaque animi tranquillitate, præbens aliis perfectissimæ exemplum obedientiæ.

Tot virtutibus accedebat haud vulgaris paupertatis amor. Rerum etenim omnium penuria divitem, unica vestis multis præsegminibus interpola (quam ipse lavabat), cella rebus omnibus vacua (præter ligneam crucem, duas imagines papyraceas, libellos detritos pessimique characteris, vilemque supellectilem), et animus ab omni rerum cupiditate alienus, testabantur. Elucebat in ipsius vultu angelica quædam pudicitia et modestia virginalis, quæ tanta erat, ut sæculares interdum ex necessitate alloqui coactus, verecundo perfunderetur rubore. Per spatium 22 annorum, quo Granatæ hospitatus est, nullam cum extraneis unquam contraxit amicitiam aut familiaritatem. Imo ita carni et sanguini vixit mortuus, ut Vicarius, qui summatim descripsit ejus virtutes, referat quod Joannem argueret nimiæ erga suam matrem duritiei, cujus inopiæ ipse conscius, minime curabat eidem succurrere patienti necessitatem. Verum respondebat, se hujus rei sollicitudinem projicere in Deum; paucaque matri suæ, ab incunabulis pauperrimæ, suffectura.

Hujus religiosissimi Patris elogio coronidem imponens, supra memoratus Scriptor subjicit ipsum fuisse singulari præditum pietate, charitate, humilitate cordis; neminem Fratrum suorum judicasse unquam, nisi juxta innatæ bonitatis legem : qua, rerum omnium benignus interpres, de nullo cogitans malum, aliorum facta excusabat.

Vir tot gratiæ ornatus donis, ditatus etiam fuit charismatibus melioribus ; quæ, sollicitus ne sacramentum Regis propalaret, omnia cipario silentii occultavit. Interdum tamen Divini amoris, quo flagrabat, scintillæ erumpentes sat indicabant ipsum semper ambulare coram Deo, ipsius saginari præsentia, menteque cum Cœlestibus conversari. Unde ex assidua et indefessa rerum supernarum contemplatione et a terrenis abstractione, is, cujus omnis sermo de Deo erat, et qui mira dexteritate huc omnes aliorum convertebat sermones, ineptus omnino apparebat ad loquendum de temporalibus, adeo ut puerum credidisses videre nondum rationis compotem.

Ob crebras illius infirmitates, ex mandato Superioris, Joannem invisebat Novitius Donatus ; qui post ejus mortem testatus est, quoties ejus cellulam ingrediebatur, toties se vidisse hunc orationi vacantem, sæpeque sæpius eam sensisse fragrantiam, qua mirifice consolatus recedebat. Eumdem odorem spirabant sacella ubi servus Dei sacra peregerat Mysteria : quæ quidem suaveolentia plane cœlestis per aliquot horas perseverans, tenerrimos devotionis et pietatis affectus excitabat in cordibus circumstantium. Hoc etiam odore manus Joannis perfundebantur, uti experti fuere

qui, juxta Hispanæ gentis morem, illas post Missam osculati sunt. Emanabat singularis hæc fragrantia ex fervore quo incruentum hoc offerebat Sacrificium. Per horam ipsam, astabat altari totus in hoc Mysterio absorptus, nihilque de prolixitate remittebat. Quamvis, plerumque adversa admodum effectus valetudine, lectulo affigeretur, reptabat se se ad ecclesiam, ni, prævalente interdum morborum vi, cogeretur remanere.

Intererat etiam divinis Officiis ea cum reverentia, ut dixisses Joannem Angelis psallentibus conjunctum. Canonicis sic intentus Horis, nihil tamen in choro prætermittebat emendandum; unde si vel minimus error ibi irreperet, ipse statim hunc corrigebat. Summo compassionis sensu ferebatur erga defunctorum animas, quibus succurrebat per augustissimum Missæ Sacrificium. Idem charitatis officium præstabat vivis, qui ejus suffragia deposcebant; nullusque erat, qui Joannem suis precibus propitium non experiretur.

Cœlo jamdudum maturus cupiebat dissolvi et esse cum Christo. Cujus votis Deo annuente, confectus diuturna molestissimaque infirmitate (quam patientissime toleravit), devotissime Sacramentis instructus, summa cum animi tranquillitate expiravit, anno 1618, die 19 Novembris, anno ætatis suæ 54. Ad funus multi accurrere sæculares : applicata passim tum a monachis tum ab extraneis cadaveri rosaria, imposita mortui pedibus oscula, postulata ad venerationem lipsana, decerptæque ab omnibus obsoletæ defuncti vestes, direptaque cellulæ ejus vilis supellex ob ejus sanctimoniæ opinionem. Post multos annos, cum in communi monachorum cœmeterio terra effoderetur, ejus corpus integrum atque incorruptum apparuit.

BARTHOLOMÆUS OLAYE

DONATUS BRUXELLENSIS

De quo Chronicon hujus Domus agit his verbis : « Die 24 Augusti, Frater Bartholomæus Olaye, Huerensis antiquæ prope Lovanium, promissionem fecit in manibus Notarii. Quem cum alba cuculla Prior induisset, post factam promissionem adjecit : « Hæc cuculla dabit tibi Cœlum, quia bonus es filius; quod et speramus. » Hæc verba brevi post vera extiterunt, ut pie credendum est. Die enim 19 Novembris ejusdem anni 1630, ex pustulis obiit, magno sui relicto desiderio, quod valde religiosus, nitidus, fidelis et humilis esset. Quatuor annis ante Donationem suam cum omnium satisfactione huic Domui inservierat. Nec unquam Lovanium ire voluit, ut parentes inviseret. Sed nec ad civitatem ibat, Supplicationes spectandi causa; dicebat enim sibi nostras sufficere. Aliorum vices libenter supplebat, suas autem sibi subripere quamvis viles non permittebat. »

BERNARDUS SEDGRAVIUS

MONACHUS NEAPOLIS

Anglus, ex Lancastria; relicto natali solo, petiit Romam sacris imbuendus litteris, quibus instructus Anglicanam hæresim oppugnaret. In suæ igitur gentis Collegio studiis operam navans, peracto eorum cursu, cum adolescente quodam ejusdem cum ipso patriæ ejusdemque ætatis, quem sibi paternam domum relinquenti socium itineris adsciverat, remeavit in Angliam. Ardebant ambo zelo suæ genti Evangelium prædicandi. Cui operi cum instarent, Bernardi socius obtinuit martyrii palmam. Ipse vero trepidus ad mortis spectaculum, Romam revertitur.

Alii rem aliter referunt. Etenim narrant Bernardi convictorem repedasse in Angliam, ibique prædicantem Fidem orthodoxam martyrii corona fuisse redimitum; Bernardum vero, abeunte socio, in Urbe remansisse. Ut ut sit, multoties ingemiscebat, quod sua pusillanimitate martyrium declinasset. Sed factum est Divino nutu, ut ad diuturnius martyrii genus Bernardus noster reservaretur, qui per mortificationem suæ carnis iter ad Cœlum in silentio et solitudine sibi paraturus erat.

Post condiscipuli sui discessum, serio de ineundo Vitæ monasticæ genere cogitans, inter cæteros Ordines religiosos, Institutum Cartusiense selegit : suapte siquidem natura ferebatur in solitudinis quietem. Igitur Romanam adiens Cartusiam, aperit suam mentem hujus eremi Moderatori; a quo excitatus ad perseverantiam, a D. Severo Turbulo Neapolitanæ Cartusiæ cœnobiarcha ducitur Neapolim, habitu monastico ibidem donandus.

Expleto tyrocinii tempore, vota monastica nuncupavit anno 1592, in ipsa Beatissimæ Virginis Mariæ Conceptionis solemnitate, annum tunc agens ætatis suæ vigesimum quintum. Post solemnia suæ professionis sciens se arctioribus ad acquirendam perfectionem vinculis constringi, quæ retro erant oblitus, ne ineptus regno Dei haberetur, ad anteriora extendit se se. Diu noctuque strenuus divinis intererat Officiis. Cellæ custos assiduus, cum Magdalena sedens ad pedes Domini, cupiebat audire illius verbum, et in silentio salutare Dei præstolabatur.

Non multo post, Domno Joanni Angelo de Spenis, S. Martini professo, regimen Romanæ Cartusiæ et Procuratoris totius Ordinis in Urbe officium demandantur. Hic Bernardum, cujus virtutes probe noverat, secum deducens Romam, præposuit sanctuarii custodiæ. Domum postea suæ professionis reversus, omnibus apparebat vivum observantiæ regularis simulachrum; silentio, orationi, meditationi vacans jugiter, currebat viam mandatorum Dei. Sub hæc tempora Cartusiæ Neapolitanæ Sacrista institutus (aliud præter hoc officium admisit nunquam), munium hoc

obivit admodum diligenter. Omnia per se agere, mundare omnia, ipse scopis verrere pavimentum, arundine operam omnem aranearum perdere, earumque dejicere telas. Inter verrendum, ne suo mens careret cibo, de opere D. Bernardi, quod eapropter alæ suppositum gestabat, legebat aliquid ruminabatque.

Verum quam vere dictum, *Omnes qui volunt in Christo pie vivere persecutionem patientur!* Cum enim quidam scripturam illi, nescio quam, cui nomen suum apponeret, attulisset, eamque renuisset subscribere, ille repulsam non ferens, amenti similis factus, maledictis multis affecit Dei servum ; ac demum, « Hæretice, inquit, canis! hoc inultum abire non patiar. » Vir mitissimus, tanta accepta contumelia, nec verbum, nec ullum commoti animi signum dedit.

Hospitatus est postea primum in Domo SS. Stephani et Brunonis, deinde Trisulti, ubi per decennium moratus, rediit Neapolim. Iterumque venit Trisultum, attractus forsan hujus solitudinis amœnitate, ubi, quantum in se erat, decreverat absolvere vitæ suæ cursum. Solitudinis etenim erat studiosissimus; quapropter e cella pedem efferebat nunquam, nisi perrecturus ad ecclesiam, vel aliquid acturus duce obedientia. Concessis per Statuta recreationibus abstinebat. At Dominus servum suum ita facientem aliquando sic mirificavit.

Impedito Vicario, Prioris jussu Bernardus juniores monachos deducebat ad Spatiamenta non procul a monasterio; quantocius poterat, remeabat ad Cartusiam. Vice quadam, solito maturius reditum adornans, dixit Domno Brunoni Pavonio tum Novitio : « Revertamur oportet, fili, nam expector in cella ; habeto patientiam. » Novitius admiratione perculsus, oculos in Bernardi cellulam conjiciens, miræ pulchritudinis juvenem videt ad fenestram, quasi senis adventum præstolantem. Et quia sciebat servum Dei cum nemine prorsus quicquam habere commercii, nullumque tunc esse hospitem in monasterio, rem aliis propalavit, qui pro certo habuerunt Dei Angelum ad pium Patrem divertisse.

Silentii cultor quantus fuerit, ex eo liceat conjicere, quod per octodecim annos, quibus Trisultanam incoluit Cartusiam, et in aliis monasteriis, illud nisi summa necessitate coactus nunquam fregerit. Quod si fortuito superveniens (nam eo præsente tale aliquid perpetrare audebat nemo), quemquam silentii leges violantem reperisset, statim vultu ad severitatem composito, aut nutibus illum admonebat, aut indice ad os apposito imperabat silentium. Et hoc transgressoribus quavis, ut ita dixerim, morte gravius erat. Tanti namque faciebant Bernardum, ut si quid ab illis actum fuisset perperam, unum modo senem lateret, mallent cæteris omnibus palam fieri.

Egressus e sua cellula præfatus Bruno Pavonius, cum cæteris ascetis perrecturus ad Spatiamenta, iter suum

prosequens per peristylium venit ad ostium senis; audiensque intus clamores, mirari primo, subsistere, inde rem exploraturus aurem apponere, demum etiam (erat enim subapertum ostium) immisso paululum capite, quicquid poterat oculis lustrare. Quid? Credes fortasse rixantium illic clamores aut tumultuantium fieri? Nequaquam : pacata ibi omnia. Sed voces illæ, voces erant animarum in Purgatorio detentarum; nam seni, flexis ante oratorium genibus, Mortuorum preces (quas vulgato apud nos nomine *Agendam* vocamus) recitanti succlamabant : « Pater Domne Bernarde, orate pro nobis. » Quanti ergo ponderis apud Dominum ejus orationes fuisse credemus, dum defunctorum animæ illis adjuvari efflagitabant!

Verum enimvero institutum semel de silentio sermonem mihi prosequi liceat. Factum narro. Neapoli cum degeret apud Confratres suos, eorum unus tantam illius in silentii servo tenacitatem admiratus, multoties periculum fecerat, utrum sibi verbum aliquod loqueretur; sed irrito semper conatu. Quare pene adactus ad insaniam, « Extorquebo, inquit, ex hoc Harpocrate verbulum saltem. » Et quia cella ipsius erat adnexa cellæ viri Dei, statuit aliquando quasi per errorem illam ingredi. It itaque haustum aquam. Plena situla, redit gravior; cellam viri consulto ingreditur. Eo viso, senex, perinde ingentem vidisset draconem, expallescit, pavet, contremiscit; mox resumpto veluti spiritu, admoto ad os sinistræ digito, dextera, viam, qua egrediatur, indigitat. Ille regreditur : sicque delusa fraus tentantis est.

Cæteris etiam virtutibus ita excultus fuit, ut vix ullam in eo desiderares. Quanta, bone Deus, illi modestia! Sensuum refrænatio, sui abnegatio quanta! Quantus mundanorum omnium contemptus!

Quantus denique paupertatis amor! Quæ illi virtus adeo cordi fuit, ut vicibus singulis uno fuerit libro contentus; quo mox evoluto, ac Bibliothecario reddito, vicarium ab illo recipiebat. In ejus cellæ parietibus nullæ, præter unam in sacello, nullæ, inquam, imagines affixæ conspiciebantur. A Trisultana Cartusia cum recessit, vestibus exceptis quibus erat indutus, omnino nihil detulit secum Neapolim. Cui paupertati scilicet, munditiem tam arcte sociavit, ut alteram sejungi ab altera passus sit nunquam. Et hic vir tantus de se demisse admodum sentiebat, se pro nihilo reputans : memor utique sententiæ, qua dicuntur *beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum.* Hinc est quod ex tam profunda humilitate ipsi viventi adhuc, pleno quasi ex fonte, vera atque perfecta animi tranquillitas emanavit. Interrogatus etenim aliquando, num perturbationibus, ægritudinibus aut tentationibus unquam affligeretur? respondit interroganti : « Cœlum serenum »; significans videlicet animi sui serenitatem nullis molestiarum nubilis obfuscari.

Postremo, expletis octo integris annis aliis, quibus Trisulto secundo est hospitatus, præter decem supra relatos sui primi incolatus, Neapolim se recepit,virtutum suarum exemplo Patribus illis et magno sui desiderio relictis. Reversionis autem suæ causa talis fuit. Præerat per id temporis Domui Neapolitanæ Petrus Odorisius, hujus etiam Provinciæ Convisitator. Hic, perspectam habens Bernardi probitatem, summopere cupiebat illius frui præsentia : quæ sibi solatio, cæteris autem, præsertim juventuti, ad virtutem esset incitamento. Scripsit eapropter Andreæ Cancellerio, Neapolis professo, tunc ibi Vicario, ut, ea qua pollebat dexteritate et prudentia, regressum homini suaderet.

His interim ita constitutis, accidit (nec inopportune) ut inter preces Matutinas semel atque iterum animi deliquium senex pateretur ac caderet. Verum quia non subito, nec impetu quopiam, sed sensim deficiebat ; statim quoque resumptis viribus, læta facie, absque læsione vel aliquo infirmitatis indicio, ad se ipsum revertebatur. Quidam, non deliquia, sed vehementiores in Deum mentis elevationes, hujuscemodi defectus fuisse existimaverunt. Ut ut sit, ipse vel occultandi sui gratia, vel quod revera ita esset, lactucis, quas ut somnum conciliaret vespere comederat, adscribebat causam deliquiorum.

Qua sibi data ansa, D. Cancellerius hortari hominem, ut reverteretur tandem Neapolim, ubi Domus illius placidissimi nec non saluberrimi aeris frueretur amœnitate ; quæ suæ potius conveniret afflictæ valetudini, quam frigidum Trisulti cœlum, cujus rigori causam deliquiorum non lactucis adscribendam asserebat. Medicorum quoque addebat sententias, Convisitatoris desiderium, urbis denique tam insignis propinquitatem, qua posset sibi et sanitati suæ, si quid mali accidisset denuo, facile prospici.

Quid plura ? Suasor evicit. Senex itineri se committit, venit Neapolim, recta tendit ad monasterium. Adventanti Prior (tantum illi deferebat) ad portam usque fit obvius; salvum venisse gratulatur. Introducitur; accurrunt universi, faustum illi reditum deprecantes. Paratur interim cœna, qua nitide splendideque excipiatur. Adest cœnandi tempus; advocatur senex; pergit. Mensæ accumbunt omnes; epulantur. At ille præter acetarium ex oleo, sale et aceto, aliud nihil comedit. Nec potuit persuaderi ut aliquid alterius ferculi degustaret. Quid mirum si hoc non impetraverint ipsi, quando nec peracti itineris incommoda, nec annosæ jamque ipsius labefactatæ vires, lassitudinis licet lingua quererentur, suadere potuerint quin eadem ipsa nocte sacris interesset laudibus ?

Ad hæc, nihil habuit antiquius quam, ut claustralem sibi cellam assignaret Prior, ab eo quamprimum expetere; assignatam mox etiam ingredi, morem

quoque suum in omnibus tenere, ad regularis observantiam disciplinæ atque virtutum omnium profectum cæteris facem præferre : ut nullus ambigendi relictus fuerit locus, completam in illo fuisse Gregorii sententiam, qua dixit, « Olerum plantas transponi, ut proficiant. » Trisulti namque sata perfectionis semina huc transposita ita diligenter, ita excoluit accurate, ut germinarint in multam segetem, atque omnium in se oculos studiaque converterint. Et quia non ignorabat, quotidianam propositi renovationem non solum acquisitarum virtutum conservandarum medium esse peridoneum, verum etiam validissimum esse ad eas acquirendas : multo instantius atque ferventius, quam alibi antea, cœpit hic ad perfectionem monasticam incumbere, et quasi inchoans diceret « Nunc cœpi », solitudinis, silentii, humilitatis, modestiæ, obedientiæ, sobrietatis et paupertatis regulas tam examussim (ut dicitur) servare, ut non sine miraculo ita se geri posset contenderes.

Hinc est ut, quanto studiosius se occultabat, eo evaderet clarior; quove fieri studebat ignotior, eo magis innotesceret. Nam non diu adeo intra unius claustri angulum tanti viri fama delituit, quin brevi non solum Neapolim, sed per totius fere regni provincias evolavit, ac Dynastas multos perduxit ad illum invisendum.

Die quodam duo Proceres eum allocuturi venerunt, Dux videlicet Salsæ ac Fuscaldi Marchio; qui, a D. Andrea Cancellerio Vicario ad eum perducti, petebant ab eo ut documenti aliquid ipsis diceret ad ædificationem. Verum quia tacebat, et renuentis animi signa vultus pallore haud obscura dabat, quod illi precibus non obtinuerunt Vicarii excussit authoritas; a quo tantis Magnatibus morem ut gereret adhortatus, ut obedientissimus erat, brachiis ad pectus in crucis modum adactis, conjectisque oculis in cœlum, post pauxillum temporis, conversus ad Marchionem demissa voce ait : « Esto humilis, humilis, humilis. »

Quibus auditis, quia viderunt hominem ad scopum, ut dicitur, collimasse, flentes ubertim ambo procubuerunt in genua. Clarius nempe luce noverant, non sine illapsu cœlitus misso talia senem protulisse. Erat enim Marchio fastu tumidus, et ob prosapiam et censum supramodum elatus. Postquam itaque lachrymis datum est satis, et erectus Marchio constitit in pedes suos, statuit coram illo filium suum parvulum, obnixe flagitans ut ipsi benedictionem elargiretur; quem ægre tandem, eodem Vicario adhortante, donatum benedictione dimisit. Tanta deinceps apparuit in Marchione conversio morum, ut quotquot antea illum noverant, raperentur in admirationem.

Humilitatis sectator egregius, nunquam permisit sibi aliquem dari, qui ei licet septuagenario inserviret; imo sibi ipse aquam haustum ibat. Et quando

ætate gravatus et destitutus viribus id per se agere non valebat, haustrum deferebat ante cisternam, ut juniorum ad extrahendam aquam pro se ipsis venientium aliquis vas senis impleret; quod ipse postmodum reportabat. Aliqua detentus infirmitate, ad medici vel Superioris persuasum, qui sibi assisteret admittebat; et quicquid tunc ipse agere posset, non demandabat astanti : per omnia Domino suo similis fieri volens, qui venerat non ministrari sed ministrare.

Cellam, quæ illi tempore probationis obtigerat, semper incoluit : commodiores, quæ annorum processu vacaverant, cedens junioribus. Sub vitæ illius occasum, vix persuasum est illi ut, antiquo relicto domicilio, in locum transmigraret salubriorem ; ubi et decessit.

Quam vero vixerit temperanter, videre est ex mox dicendis. Æstivo tempore, qui Neapoli degunt, tam nimio æstu affliguntur ac pene torrentur, ut vitam se nullo posse pacto tutari sine gelido haustu contendant. Num sobrium non dicemus hominem, qui nusquam usum nivati potus adhibuit, ne tunc quidem cum, calenti alioqui soli accessu caniculæ duplicato igne, mortalium corpora solvuntur ac languent? cuncta maxime ad id necessaria suppeditante religione. Hoc tamen, ut de re minus necessaria, dictum sit per transennam. Ad magis necessaria transeamus.

Non diu post ab suo in Religionem ingressu, sive naturaliter ob capitis calorem, sive ob continuam mentis exercitationem, raro admodum nec sine pugna somnum capiebat : quocum morbi genere toto est vitæ tempore conflictatus. Quamobrem, de medicorum sententia, vesperi acetarium ex lactucis vel intubis ad nocturnam quietem conciliandam comedebat, vel potius mandebat; etenim succum eliciens, ejiciebat mansum. Procedente longius ætate, cum hoc parum vel nihil afferret opis, a medicis lactucarum thyrsi saccharo conditi existimati sunt morbo convenire : addito frigidæ poculo ante somnum.

Igitur emuntur hujusmodi remedia, quibus magnam inesse vim somniferam experitur. Sciscitatur ab Infirmario, quanti illos emisset. Qui, subodoratus quo pergeret senis interrogatio, « Vili admodum, inquit, pretio. Comedito libenter; vix enim triobolo comparavi libram. » At cum non verisimile ipsi videretur tam vili pecunia rem ita caram vendi, paucis inde diebus iterum ab altero suæ curæ deputato quærit, num vere triobolo thyrsorum libra veneat ? Qui, « Hem, inquit, Pater mi, ut tibi data sunt verba! non triobolo, sed tribus Juliis libra venundatur. » Tum demum intelligens quod erat, tacuit, ac deinceps, ne dicam emendis, ne emptis quidem voluit uti : in defuncti nempe arcula parum imminuti sunt reperti.

Non dissimile est quod narratur accidisse de potione illa, quam Nostrates *birram*, alii *cervisiam* vocant. Aliquando Procurator illi misit hujus potionis

œnophorum, ratus fore, ut certe fuit, pergratum seni. Cui cum probari audiisset Œconomus, paciscitur cum navarcho quodam, quantum *birræ* sibi misisset, tantumdem *lachrymæ* (est optimi vini genus) illi se remissurum. Itaque juxta condictum subministratur a navarcho *birræ* cadus, quem *lachryma* plenum refundit Procurator. Datur seni. Degustat, probat, Procuratori gratias agit. Interrogat : « Quanti? » Respondet : « Vili admodum. » Credit ille. At audiens postea cadum pro cado fuisse permutatum, noluit posthac bibere *birram*. Cæterum, in quotidiani victus ratione, per omnia sequebatur Conventum. Legumina, pastillos et id genus alia, ne illi essent impedimento quo minus libere meditaretur cœlestia, relinquebat. Sæpius autem piscibus relictis, jus illorum sibi retinebat, quo panem suum intingeret.

A cella sua, mere necessariis contentus utensilibus, procul eliminaverat superflua. Attamen quia legerat, *speciei domus dividere spolia,* pauca quæ habebat, et illa pene consumpta vetustate, ita expoliebat disponebatque, ut summam munditiem in summa paupertate redolerent. Mantilia, mappas et hujusmodi linteamenta, nec non lodices, cervicalia, nisi aliquo trita usu, haud recipiebat. Die quodam cum essent oppido consumpta quæ habebat, illa petiit a Patre Vicario, qui nova illi curavit afferri. Quæ, ut nova esse conspexit, remisit cum actione gratiarum dicens : « In charitate, non nova, non ; sed afferte vetera, vetera. »

Non mirum, si vir tot exornatus virtutibus etiam miraculis effulserit ; ex quibus nonnulla hic subjicio.

Ab ipso prorsus hujus Cartusiæ S. Martini fundationis initio, Neapoli comparatum est usu, cum media nocte Religiosorum Familiæ ad confitendum Domino excitantur, ut Cartusiensium campana omnium prima, cæterarum velut excitatrix, pulsetur. Hinc civium alii actionum suarum terminum hujusmodi pulsum ponunt; alii tum somnum incipiunt, alii tum terminant; non pauci etiam, quo hauriant clarius dulcissimum (nocturno præsertim tempore) sonum illum ab editiori et viciniori urbis loco editum, echo respondente ac omnia loca circumcomplente, e lectulo surgunt. Ne itaque, in pulsando solito tardius aut citius, aliquando peccetur, uni mandantur excubiæ ad tempus usque debitum protrahendæ.

At quæ Palamedis etiam avis inveniri possit, cui non aliquando dormitanti cadat lapillus indiligentiæ redargutor ? Si ergo is, ad quem spectabat (ut ad virum redeamus) pulsare, somno arcte oppressus, statuto tempore non pulsasset ; statim vir zelotes, ne aliqua desidiæ nota monasterium hoc inureretur, vel Vicarium vel Sacristam adiens, tempus pulsandi præteriisse indicabat. Unde factum est sæpius, ut, clausis etiam claustri januis, ad excitandum eum qui pulsare debuerat, subtilitatis dono, extra

claustrum exierit, ac recta tetenderit in illius cellam. Hoc quia in plurium personis accidit, libenter subtexerem singulorum narrationem ad majus confirmationis robur, nisi eorum aliquis excessisset. Unius igitur relatione, qua factum abunde declaratur fideliter, contenti simus. Dicentem audiamus.

« Ego, Frater Dominicus Madrigalis, Neapolitanus Conversus, professus Cartusiæ S. Martini, fidem facio, prævio juramento, qualiter, cum adhuc essem Novitius, mihique, utpote sacrarii servitiis deputato, pulsandi opportuno tempore ad Matutinas cura mandata esset, ipsa nocte sanctissimæ Solemnitatis festi Corporis Christi, ob labores præcedentis diei oppido lassus, somno taliter gravatus fui, ut debito non potuerim tempore pulsare ad Matutinas. Dumque dormirem, adhuc innixus fenestræ cellulæ nostræ, mihi audire visum fuit dictæ cellæ januam ab aliquo aperiri; ac strepente cardine experrectus, timens quod erat, tempus videlicet jam præteriisse, vidi Patrem D. Bernardum Sedgravium stare præ foribus. Qui mihi dixit : « Leonarde (tali tunc appellabar nomine), eia, quam pudendum est! eia cito! Num non audis Neapoli ut campanæ insonant universæ ? » Ad quem aio : « Mox, Pater, mox vadam. » Inde exiens, vidi clare, absque ulla dubitatione, illum esse, ut dixi, Patrem D. Bernardum, qui erat parva tantum indutus cuculla.

« Similiter alias, et præcise ipsa prima nocte Quadragesimalium jejuniorum, somno etiam prægravatus, statuto tempore non pulsavi. Qua de re iterum veniens ad me idem qui supra, Pater D. Bernardus, dicensque verba jam dicta, excitavit; inde recessit. Quem indutum cuculla parva vidi hac etiam vice. Descendensque, ut viderem quomodo exiisset e claustro, inveni januas illius valde bene clausas : claves etenim erant penes Patrem Visitatorem. Itaque non aliter, quod bina vice evenisse narravi, quam miraculose accidere potuisse judicavi. Et in fidem subscripsi. Et quod magis mireris, est quod recta in nostram cellam venerit, cum antea illam scierit nunquam ; et maxime cum, secunda hac vice, alteram a priore cellam inhabitarem. »

Contigit hoc idem pluries in persona Conversi, qui jam obiit. Fama tamen facti adhuc manet.

Gratia curationum haud illi defuit, ut multis patet exemplis. Et primus se se omnium offert, in ea re monstranda, V. P. Andreas Cancellerius, Prior Domus S. Martini et Visitator, tunc Procurator. Cui ab infirmitate convalescere contigit, quacum multo tempore conflictabatur, eaque a medicis vocatur *meliceris :* qua dextrum genu in tumorem versum a chirurgo non imperito fuit aperiendum.

Verum curatio cum in longum produceretur, crebris illuc pituitæ affluxibus decidentibus, Pater D. Bernardus (cui Pater Cancellerius a Confessionibus

erat) misit ad eum qui diceret, se pro ipsius salute bis in hebdomada sacras Deo offerre Hostias : proinde, si nondum eum visitasset, haberet se excusatum, quia, ut eum non latebat, nullam ob causam e claustro dudum egredi consueverat. Orabat eum præterea, ut sudariolum sibi novum mitteret, quo indigebat, proque eo suum illi substituebat usu detritum. Qui, admiratus non parum rei novitatem, misit illi novum quod petebat, retento apud se altero, in sui locum suffecto. Inde... linamentorum rasilium, videns senis sudariolum ei aptum usui, sectum illud in frusta plagæ imposuit. Tum pituita sistere, morbi vis decrescere, plaga demum obduci, tam prospero successu, quo medicus, rei prorsus ignarus, persancte affirmaret id non sine miraculo fieri. Tamdiu autem linamenta illa rasilia perdurarunt, quamdiu cicatrix omnino obduceretur.

D. Dionysius Coccia, Prior Cartusiæ Caprearum, professus S. Martini, tunc Sacrista ejusdem Domus, eodem quo Pater Cancellerius morbo afficiebatur. Qui videlicet morbus dextrum genu ita inflaverat, ut a medico, chirurgorum vertice, judicatum fuerit non aliter posse illud curari, quam ferri prævia incisione. Secatur itaque; nec, ut videbatur, incassum : etenim plagæ obductio brevi secuta est. Mense tamen circiter evoluto, inflatur denuo pars affecta : quæ ferro aperienda iterato adjudicatur. Iterum aperitur. At per incisionis portam, qua morbus exire debuerat, is auctus viribus vi tanta ingreditur, ut plaga recrudescendo rebellaret. Consultant medici, et contra impetum rebellantis, medicaminum copiis decernunt eundum; collectoque milite, ab Æsculapii castris itur obviam venienti. Qui, e contrario, ita strenue se defendere, ita pertinaciter se tutari, ut e loco, quem semel occupaverat, arte nulla, nulla vi deturbari potuerit. Quo fiebat, ut non pauci eum sine aliqua læsione convaliturum desperarent.

Interim, die quadam venit ad eum D. Bernardus, et qui valeat, interrogat. Quo respondente « Male », post verba consolatoria adjecit et consilium, dicens : « Missa fac, Pater mi, medicamina cum medicis, a Deo curam tui deinceps committe : cui soli subest, cum voluerit, posse te pristinæ sanitati restituere. » His dictis, plagam ut sibi ostenderet petiit. Quam, resolutis fasciolis, ut vidit, a sede prosiliens, eam lambere non dubitavit; nec lambendi finis, nisi lambentis perseverantiam retardasset infirmus, qui, ad rei novitatem stupore perculsus, rem, ut ipse loquitur, tacitus considerabat. Inde ad pristina mentis officia revocatus, manus benefactoris sui (quandoquidem jacens lectulo non posset pedes) exosculari non distulit. Qui exosculantis capiti manus imponens, « Vide, inquit, ne cui hoc dixeris: tamen spera in Domino, et æquo animo esto. » Quo valere jusso, in cellam suam repedavit. Non diu inde post, cœ-

pit melius sibi esse, ac arridente Numine, demum pristinam adeptus est valetudinem.

Spiritu etiam prophetiæ fuit illustratus Bernardus noster, sicuti sequentia comprobant.

Perillustris D. Thomas Imparatus, episcopus Vici Equensis, antequam Pontificia dignitate decoraretur, patrocinabatur causis nostræ Cartusiæ, quæ in foro ecclesiastico agitabantur, ardenti adeo studio, ut Patres æque summo eum prosequerentur affectu. Is aliquando invisens Bernardum, post multa ultro citroque spiritualia dicta, obnixe efflagitavit ab eo, quo eum suis in precibus ad Deum cujusdam sui negotii meminisse non pigeret. Senex promisit sequenti proxime die se pro illo, quod meditabatur, negotio, Sacrum Deo facturum. Promissi postero die non immemor, Sacrum peragit. Quo completo, actisque Gratiis, Patrem D. Augustinum Puarnerium Procuratorem accitum mittit. Ille continue properat, quidve sit rei postulat. Cui noster senex, « Exscribito, ait, D. Thomæ Imparato; meisque dicito verbis, Dominum promisisse jam impleturum se desiderium ipsius circa Canonicatum, pro quo obtinendo angitur animo. Proinde de ista re, in utramque dormiat aurem : etenim fidelis est Dominus, quodque promisit, brevi etiam perficiet. » His Procurator acceptis, datis ad illum litteris, de iis, quæ senex dixerat, certiorem reddidit.

Quibus ille auditis, admiratione corripitur. Ad monasterium advolat; rem cunctis palam facit. Pro qua merito obstupuerat : nam secretum suum, quod hominum nulli unquam aperuerat, senem jam tenere dicebat, cui bene recordabatur nihil omnino de Canonicatu significasse, tantumque illi suum quoddam negotium commendasse. Quare virum illum Sanctum ac prophetiæ Spiritu ornatum prædicabat. Paucis inde diebus vera senem dixisse rei probavit eventus ; etenim ille inter Canonicos fuit adscriptus.

Anno 1642, Bartholomæus Speranza, Novitius Conversus, tunc Frater Dionysius vocatus, ægrotanti Bernardo inserviebat. Qui, inter cætera benevolentiæ signa quibus illum, utpote virum simplicitatis eximiæ, prosequebatur, sæpius illi prædixit eum sacerdotio initiandum. Respondentique istud nunquam fieri posse, ut qui esset homo rudis et litteris nullis instructus, respondebat id a Deo factum iri ; sursumque erectis oculis, dicebat, ut pro se oraret. Tandem Novitius antequam profiteretur, habitum Religionis dimittens, rediit ad sæculum; ubi divi Petri vestem induens, inopinato ad sacerdotium promotus fuit.

Die quodam, ante Completorium, cum esset in ecclesia, ductus ab Infirmario prope majus altare, interrogatur: « Ecquid, Pater senior, tibi videtur de hac nostra ecclesia ? Papæ est pulchra! ut picturis ornata ! ut parastaticis columnis affabre extructa ! » Ille, conjectis in testudinem oculis, stetit aliquantu-

lum tanquam meditabundus. Sibi restitutus, « Postmodum, inquit, proh misera Domus, quot tibi imminent mala ! » Quæ audiens Infirmarius indicat Patri Visitatori, qui, quia tanquam Prophetam eum habebat, continuo remisit ad illum, ut diceret, quæ illa mala et quando? Sciscitanti ait : « Quis te misit? num Prior? » Quo respondente « Ita », subjunxit : « Multa equidem impendent mala huic nostræ Domui ; verum neque me neque Priore superstitibus. »

Quod ita obtigit. Nam ipse paulo post obiit; quem, spatio integri anni ac mensium novem interjecto, secutus est Prior. Mox oborti populares tumultus sunt Neapoli, anno 1647. A quibus non est dictu facile quot apprehenderint mala miseram hanc Domum; quæ suis ipsa, ut ita dixerim, oculis proprios excedere filios, seque pene orbatam vidit, inque magno positam periculo suæ a fundamentis destructionis, temporalium jacturam, et cætera, quæ nunquam aut vix quantumvis perfectus ratiocinator revocaret ad calculum. Tria igitur in hoc facto prædixit : mortem suam ante obitum Patris Pisantii, ac utriusque excessum ante seditiones populares, necnon mala huic monasterio eventura.

Alias etiam prævidit jam dicta incommoda, atque prænunciavit. Etenim intuens aliquando arcem S. Erasmi (vulgo S. Elmi) nostræ imminentem Cartusiæ, ait : « Castellum ! Castellum ! » Interrogatus quid sibi vellent verba illa, respondit : « Multa evenient incommoda e Castello huic Domui. »

Franciscus Liottus protomedicus civitatis et regni Neapolitani, ordinarius per id temporis nostræ Cartusiæ medicus, habebat, in Regio collaterali consilio, cum quodam suo adversario litem non parvi momenti. Tandem, quia sequenti proxime die Jovis, ut sperabat, Judicum suffragia ferenda erant, venit ad nostrum senem; cui exaggerans in quanto rei familiaris periculo versaretur, si cecidisset causa, obnixe bonum litis exitum Patris orationibus commendavit. Die autem sequente, aliis negotiis distentis Judicibus, causa proponi non potuit : quæ propositio ad octavum usque mensem fuit protracta. Demum causa proponitur, ipsique Liotto adjudicatur. Qui lætitia gestiens pergit ad senem, acturus illi gratias; clausum pulsat ostium. Quo non reserato, senex, nec videns a quo vel quam ob causam pulsaretur, « Deo, inquit, omnium datori gratias age, non mihi, qui in vestra causa nihil operatus sum. » Liottus eo accepto responso discessit ; ac admirans valde, propalavit quod acciderat.

Altera quoque vice senex Liotto suæ orationis suffragium pro ipsa eadem lite, quæ nondum erat absoluta, postulanti prædixit singula quæque liti eventura, usque ad illius consummationem. Quæ Liottus, ut fuerant a sene præindicata evenisse, de rei veritate interrogatus, affirmavit.

Postremo, 13 Kalendas Decembris,

anno 1643, ætatis suæ septuagesimo septimo, ab ingressu ipsius in Religionem quinquagesimo primo, cum peregisset augustissimum Missæ Sacrificium, quod solito plus protraxit, præsertim in susceptione Corporis et Sanguinis Dei sui se detinens, committit Infirmario, ut medicum ad se venire curet quantocius. Popularis suus, qui dum valeat sciscitatur. Respondit se nimio satis incommodo, flaccescente stomacho, teneri; si quod proinde utile inventum fuerit unquam a Chirone pharmacum, imperet afferri. Imperatis, quæ conductura morbo videbantur, medicus it conventum Patrem Visitatorem, cui, ut se habeat senex, aperit: quare provideat de viro, qui ei adsistat. « Num est quid, ait, periculi? » — « Nequaquam, ut est quidem nunc morbus, inquit medicus; attamen ne quid, utpote capulari, illi eveniat inopinato, aliquem arbitror ad eum mittendum. » Nulla igitur mora mittitur e Conversis unus, cui diligentia circa ægrotum omnimoda commendatur.

Die demum evoluto, atque ad undecimam circiter noctis ut ventum est horam, senex compositas antea et bene plicatas vestes includit in arcula, sub cervicali clave reposita. Inde in lectulo se collocat, « Et adferto, ait adstanti, huc ad me ex armario librum. » Ille Breviarium defert. Cui, « Alterum mihi posco, atque hoc ubi erat reponito. » Jussa ille complens, opus D. Bernardi seni tradidit. Qui, lectis paucis admodum versibus ex Cantico Canticorum, clausum librum deportari fecit eo unde deprompserat; et ait Converso: « Abi dormitum, nam et ipse obdormiam. » Semi hora inde elapsa, pulsatur ad Matutinas. Dumque Conversus alius it excitatum Patres, ingreditur cellam senis et ab adstante Converso postulat, quomodo Pater valeat. Ille nescire se respondit; sed illum dixisse, ait, aliquantulum velle dormire; « At, quæso te, videamus quid agat; semi nempe abhinc hora eum non audio. » Apertoque leviter ostio ingrediuntur. Vocant eum ex nomine, perstrepunt, accedunt illi propius, ac demum advertunt jam animam exhalasse.

De transitu viri Dei a Conversis monitus Prior accurrit ocius, atque cadentibus ubertim lachrymis amplectitur ac deosculatur cadaver: gloriosam cymbam, quæ, jactata diu fluctibus vitæ hujus, vectorem tandem suum in portum reduxit incolumem.

Morte senis divulgata, fit ingens ad eum concursus. Dixisses, emotam ab sua sede, Domum totam processisse ad venerandum omni honore dignum corpus, quod dudum vivens cunctis fuerat exemplo; quodque mortuum jam, jamque efferendum, esset ad bene ac juxta virtutis regulas vivendum incitamento: cum cernerent quantis cuncti dignarentur honoribus post mortem eos, qui, vitæ præsentis in arena positi, viriliter fortiterque cum vitiis confligentes, illa prostraverint. Igitur tanti viri memoria ne interiret, quicquid illi rerum reper-

tum fuit, distribuere in singulos. Alius scipionem, iste tibialia, ille crepidas, alter calceos, quidam udones, sudariola et id genus cætera, tanta devotione asportarunt, ut non potuerit majori. Quæ postmodum Reliquiarum loco habita mira patrarunt. Opportuno deinde tempore terræ mandatur sacrum depositum; quod Prior, honoris gratia, condi voluit loco Prioribus sepeliendis assignato.

Mensibus, ut diximus, a nostri senis obitu evolutis viginti uno circiter, fato fungitur æterna dignus memoria Joannes Baptista Pisantius, Prior Domus S. Martini et Provinciæ Visitator. Cujus cum justa funeri solverentur, fossores ligonibus excavantes sepulchrum, atque ad consuetam fossæ altitudinem venientes, venerandi senis cadaver nulla tabe, ne minimo quidem livore corruptum repererunt. Et quod non parum augeat devotionem et admirationem, est, quod nostra cœmeteria sunt terrea, constituta sub dio pluviisque decidentibus exposita, ideo semper cœnosa.

Quidam Conversus, viso miraculo, emortuum invasit guttur, ut inde aliquid præcisum devotionis gratia asservaret. Sed novo territus miraculo, ab incœpto destitit; nam gutturi admotis unguibus, statim e vivo velut corpore sanguis defluxit. Igitur, ne omnino infecto illinc negotio emergeret, præcidit illi auricularem digitulum, ac parva ossicula extraxit : quæ, viva adhuc hærente carne, cernuntur. Igitur, obruto rursus terra corpore, alium pro sepeliendo Patre Pisantio locum effodere.

Mulier quædam toto biduo partus dolore laboraverat tam vehementi, ut jam ipsius salus a medicis, ni quantocius pareret, esset proclamata. Quod audiens Dominicus Gargiulus, misit puerperæ illi frustum tunicelli nostri senis, desumptum a sepulchro tunc cum adapertum fuit pro tumulando Patre Pisantio; dixitque adstantibus ut puerperæ uterum panno illo tangerent confidenter. Sperabat enim interventu servi Dei, qui illo dum viveret usus fuerat, laborantem cito parituram. Quod illis facientibus, statim fœtum emisit, cunctis admirantibus; atque cessante dolore, periculo simul fuit liberata.

D. Matthæus Meus misit Capuam suæ parenti senis tibiale : quod illa chare admodum et perhonorifice suscepit. At sæpius experta est, quoties infirmus aliquis illud tangit, statim insolita quadam affici consolatione; dolores, si qui sunt, remitti; ac non raro salutem etiam restaurari. Unde vicinia tota, propinqui ac necessarii omnes, suis in ægrotationibus, illud exposcunt, ac levamen non modicum experiuntur.

D. Dominicus Salzanus, Religiosus noster, bis ab imminenti mortis periculo senis intercessione se dixit liberatum. Eapropter loquentem audiamus.

« Quandoquidem, ait, Archangeli Raphaelis monitu, opera Dei revelare et confiteri honorificum est, et gratitudinis quædam est species beneficii me-

minisse; ut pessimum ingratitudinis vitium devitem, impleamque quod cœlestis Nuncius monet ad futuram rei memoriam, notumque omnibus fiat quam mirabilis sit Deus in Sanctis suis: maximum beneficium, quod V. Patris nostri D. Bernardi Sedgravii intercessione a Deo consecutus sum, narrare decrevi. Anno enim 1656, mense Aprili, ego, Dominicus Salzanus, Cartusiæ S. Martini Neapolis professus, cum vita periclitarer ob flatus melancholicos, sive, ut medici vocant, hypochondriacos (quibus oppressus, spiritum ducere non valebam), et jam morti proximus propterea essem : adstantium unus recordatus penes se esse precarium sertum hominis Dei, cujus mirabilia eum non latebant, maxima fide implorato Divino auxilio, dictum precarium sertum (quo, dum viveret, utebatur dictus D. Bernardus) supra pectus meum imposuit; ac repente, ut ita dicam, revixi.

« Insuper paucorum intervallo dierum, in eodem denuo periculo cum versarer, nec adesse quempiam qui adjuvaret advertens, nimio licet timore pressus, dictum D. Bernardum qua potui fide invocavi. Cumque pergerem, ut pristino precarii serti auxilio uterer, protinus ab imminente jam improvisæ mortis periculo liber evasi, ac brevi omnino convalui : Dei Optimi Maximi gratia, qui facit mirabilia magna solus, quique est mirabilis in Sanctis suis. Ipsi laus, honor et gloria. Amen. »

Hanc Vitam iisdem fere verbis dedimus, quibus descripta est in Mss.

XX DIE NOVEMBRIS

NICOLAUS KEMPF

PRIOR GEMNICENSIS

Vir in Ordine nostro celebris ob eximiam eruditionem, miram devotionem, et singularem prudentiam. Unde diversarum Domorum regimini admotus, cum se strenuum et vigilantem Pastorem exhibuisset, relictis suæ doctrinæ multis monumentis, pie decessit anno 1498, die 20 Novembris.

Ex Catalogo Priorum Domus in Gemnico.

PETRUS EECHAERT

MONACHUS BRUXELLENSIS

Vitam monasticam professus in hac eremo, die septima Februarii, anno 1492, omnis virtutis simulachrum apparuit, quamdiu apud nos vixit : imprimis addictus interioris simul et exterioris hominis mortificationi. Sicque, collectis bonorum operum manipulis, ad beatam immortalitatem feliciter migrat, anno 1507, die 20 Novembris.

Ex Chronico Cartusiæ Bruxellensis.

MICHAELA DE LEMPS

PRIORISSA SALETARUM

Dicta de la Blache. Spreto generis splendore, cum primum juventutis suæ florem in monasterio quodam divi Benedicti Deo consecrasset, majoris perfectionis incensa desiderio, transiit ad moniales Saletarum; ubi omni virtutum odore fragrans, quasi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii composita, ad hujus parthenii moderamen assumitur. Sororibus præluxit singulari Statutorum observantia, in divinis Officiis diu noctuque frequentandis assiduitate, perfecta carnis suæ mortificatione, orationis studio, amore paupertatis, summaque inter crebras infirmitates patientia. His odoribus ad virtutis amorem matronam quamdam Nobilem, sæculi vanitatibus deditam, attraxit; et duas moniales cujusdam Ordinis, minus quam par erat suæ vacantes perfectioni, revocavit ad meliorem frugem.

Demum cum sibi commissum gregem deduxisset, se se præbens exemplar bonorum operum, per sanctitatis semitas, annis et morbis attrita, regimen excussit; ut imposterum, in rerum Divinarum contemplatione quiescens, in silentio et spe Dei salutare præstolaretur. Eadem, qua vixerat, sanctimonia vitæ cursum absolvit, 20 Novembris, 1623, cum paulo ante obitum suum Completorium recitasset.

Ex Manuscripto hujus monasterii.

THOMAS DE NAVARRO

PROCURATOR DE PAULARI

Tarraconensis; vota monastica nuncupat in hac eremo, anno 1603, die Maii octava. Diu Procuratorem egit, deinde Vicarium, defunctus tandem in officio Procuratoris. Per totum vitæ suæ spatium, omnigenis floruit virtutibus. Præcelluit imprimis humilitate, modestia, cibi potusque parcitate, ac disciplinæ regularis observantia. Quodque magis occurrit in eo mirandum, fuit indefessus ille orationis amor, quo, intentus temporalium administrationi, ac negotiorum oneratus sarcina, ita Mariam cum Martha copulaverat, ut sollicitudines rerum terrenarum nunquam in eo extinguerent spiritum devotionis. Medias inter occupationes ambulabat coram Deo, menteque cum Cœlestibus habitabat. In omni consummatus perfectione religiosæ Vitæ, cursum feliciter absolvit, die 20 Novembris, anno 1625, ætatis 45, mira apud omnes relicta virtutum suarum fragrantia.

Quid autem contigit post tranquillissimam et pretiosam in conspectu Domini mortem, mox dicemus in Vita Joannis de Polanco, ad diem 30 Novembris.

XXI DIE NOVEMBRIS

REGINALDUS CAILLONET

PRIOR VALLIS S. GEORGII

Patria Bellovacensis, Cartusiæ Parisiensis alumnus; qui datus in Priorem Domorum Vallis profundæ, Bassævillæ et Vallis S. Georgii, cum multos labores sustinuisset pro Ordinis nostri negotiis, de ipso bene meritus, percepturus a Domino mercedem, e vita mortali transiit ad immortalem, die 21 Novembris, anno 1393.

Ex Catalogo monachorum Domus Parisiensis.

JOANNES AB ALDENARDO

VICARIUS CAPELLÆ

Receptus est in monachum in hac Domo circa annum 1441. Postea Sacrista fere fuit per 36 annos; ab eo absolutus officio ob infirmitatem. Qua sanatus, paulo post institutus est Vicarius : quod munium per sexdecim tantum menses exercuit, ad suam importunam instantiam a Visitatoribus exauctoratus. Remansit Antiquior, et decessit anno 1491, die 21 Novembris. De eo meminerunt Dorlandus (lib. 7, cap. 34), et ex eo Raissius in suo Auctuario. Et nos eadem verba Dorlandi subjicimus :

« Hic dum ex utero matris proditurus esset, contigit matrem in partu intolerabili laborare dolore. Unde patri suasum fuit, ut fructum, qui esset nasciturus, Divino offerret famulatui. Quod dum ille fecisset, mulier statim puerum peperit elegantem, et quasi sine dolore. Idcirco parentes ab annis teneris hunc viris tradiderunt religiosis imbuendum ; quibus scientias disceret et virtutes. Cujus tam simplex, innocens, pudica, morigera sobriaque scribitur pueritia extitisse, ut quasi alter Samuel parvulus videretur. Post acceptam in scripturis notitiam, parentes voti memores, in grandem quamdam divitemque Abbatiam, quæ in Flandria est, impetrato loco, juvenem recondunt.

« Monachi statim huic opes monasterii enarrant, Abbatis gloriam, amplissima prædia, pingues et multiplices portiones, læta et exquisita convivia, nocturnas crapulas, vina Falerna. Verum istius generis delitiis pius adolescens nequaquam aures admovebat. Sed considerans monachos libenter bibere, rarius psallere, crebros in popina, tardos in ecclesia, mensas colere, animas

deserere, quærere quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, clam fugit; et ductus Divino Spiritu hanc Domum Capellæ expetiit et accepit : a D. Laurentio Muscheselio sacro habitu insignitus, nec minus spiritali virtutum veste interius adornatus. Omni namque tempore vitæ suæ vestimenta sua candida custodivit, puram ac simplicem innocentiam servans.

« Quem Fratres cum vividum cernerent et magnæ agilitatis gratia præditum, Sacristam instituunt; atque officium istud annis quinque et triginta et amplius ita moderatus est, ut sine cujusquam querela (quod raro evenit) tali se opere dignum demonstrarit. Nam cum esset vir bonus et optimæ conversationis et vitæ, humilis pariter et devotus, fieri non poterat, quin et coleretur ab omnibus et amaretur. Amator quippe Fratrum cum esset præcipuus, facile affectum omnium provocabat.

« De hoc scribitur, quod voluntariam paupertatem usque adeo amplexatus sit, ut vix corporis necessaria dignaretur admittere, nec quicquam in cella conspiceretur habere. Si quid illic forte invenisses, ita vile et abjectum erat, ut Christi Jesu in præsepe constituti esse arbitrareris. Hunc asserunt ab infantia virginea semper puritate floruisse, ita ut Agnum sequeretur quocumque diverteret, eo quod virgo esset et integerrimus. Primam post acceptum habitum facturus Priori suo Confessionem, ignorabat, tanquam nihil sibi conscius, quid deberet confiteri : sic semper a Spiritu Sancto custoditus, ut mortali nunquam putetur peccato contaminatus. Ante assumptum Ordinem, et post, sic timorate se semper gessit, ut cum simplicitate columbæ serpentis astutiam possideret.

« Hunc cum Dominus vellet a Sacristæ officio removeri, et a labore requiescentem sibimet vivere, gravissimam illi immisit infirmitatem. Qua pene usque ad agonem vigente, Prior Arnoldus (licet invitus) eum absolvit. Abdicatus [al. absolutus] statim convaluit; ac tunc maxime sibi redditus, sedebat solitarius et tacebat, et levabat se supra se. Decem annis quibus supervixit, durus sui corporis ac rigidus castigator, exterioris hominis fatigationem in tranquillæ mentis pace traduxit. Incredibile est, quam amplos magnorum meritorum thesauros iis in annis congesserit, orando, psallendo, contemplando. Non secus quam avarus quispiam, aurum sitiens, opes innumeras et congerit et concupiscit: sic vir ille sanctus, nimium avidus multa bona colligere, nullam die ac nocte sibi passus est carnis requiem impertiri.

« Cumque super hoc ab amicis Fratribus leniter corriperetur, respondebat dicens : « *Dum tempus habemus, bonum operemur,* omne quod possumus; veniet enim et jam prope est tempus, quando nemo quicquam poterit operari. Operemur igitur, quia non est apud inferos invenire cibum. Ego jam de propinquo præstolor adventum Domini. »

Hæc dicens atque assidua mente revolvens, oblitus quæ retro sunt, in anteriora se extendebat ad bravium supernæ vocationis. Hinc etiam fidelibus oculis in remunerationem aspiciens, patientissime corporis duras (quas quotidie patiebatur) molestias tolerabat, ut ascenderet ad populum accinctum nostrum. Tam crebris carnis quatiebatur angustiis, ut merito in sanctorum Martyrum posset numero recenseri.

« Erat igitur hic Dei Sanctus speculum virtutis et gratiæ in sanctimonia, in tolerantia, in humilitate, in frugalitate et in ardenti ad omnes charitate. Cujus devotionem, hilaritatem, et Divini in eo Spiritus fervorem nemo satis potuit admirari, minus vero æmulari. Sic latitabat lucerna ardens sub modio, paucis interea Fratribus lucens, donec illum Dominus supernis luminaribus et lapidibus ignitis inseruit. Duos dies ante festum Præsentationis Virginis Matris, miti febre correptus, in ipsa Solemnitate inter brachia intactæ Virginis impollutum spiritum reddidit. Ordinem namque inviolabiliter tenuit annos 50 ; obiitque anno 1491. »

JOANNES DE BONNA

PRIOR COLONIÆ

Qua pietate in Deum et religione, qua dexteritate et prudentia in rebus agendis maxime conspicuus ; atque in re domestica administranda, tam domi quam foris, inter prædecessores suos facile primus. Demum cum per triginta annos hujus eremi moderamen habuisset, dierum et bonorum operum plenus, ad cœlestem patriam evolavit, anno 1507, die 21 Novembris.

Multum ejus memoria celebratur in Chronico Cartusiæ Coloniensis.

JACOBUS RUOFF

RECTOR CURERIÆ

De hujus religiosissimi Patris sancta admodum conversatione, venerabilis Pater D. Urbanus Malarcher, Proscriba Cartusiæ Majoris, quem amoris ergo nomino, fuse post ejus obitum scripsit. Hujus verba de Gallico in Latinum sermonem damus.

Experientia constat, plus homines oculis quam auribus credere; breviusque iter et efficacius esse ad virtutem per facta quam per præcepta. Pudet enim pectus generosum non posse, quod multi alii potuerunt. Unde Summus rerum humanarum Moderator identidem viros præstantes suscitat, qui senescentem Religiosarum Familiarum rigorem renovent exemplis potius quam verbis.

Inter hos homines nominatissimos jure merito recensendus est Jacobus; in quo primæva Patrum nostrorum revixit austeritas. Is est quem venerandæ memoriæ V. P. Joannes Chauvet, Scri-

ba Capituli generalis, solebat appellare Cartusianum ex antiqua illa rupe, e qua prisci Fundatores nostri prodierunt, excisum. Is natus est in exemplum, in quod respicere debent primigenii spiritus studiosi. In deserto videbunt hominem miræ simplicitatis et innocentiæ; nihil de carnis prudentia, nihil de sæculo et iis quæ sæculum sapiunt retinentem; nesciri cupidum, ut Deo fieret notior; nihil de se, nihil de iis, quæ circa se erant, sollicitum; corporeum denique Angelum, corpore quidem terræ adhærentem, spiritu vero jugiter conversantem in Cœlis.

Patria Germanus erat, ex Hegeneansi urbe in Alsatia, parentibus honestis oriundus. Jam tum a puero futuræ sanctitatis indicia dedit non exigua. Etenim abhorrebat ab iis vitiis, quæ plerumque lubricam sequuntur adolescentum ætatem : studiose declinans æquo liberiorum cœtus, pravasque consuetudines, ne a recto virtutis deflecteret tramite. Cum primam ætatis partem in innocentia decurrisset, se se servans a sæculo immaculatum, ut ipse suo cuidam amico fassus est, ineundæ Vitæ religiosæ cepit consilium. Dumque dubius hæreret quodnam Institutum sectaretur, ipsi Dei voluntas innotuit miro quodam Providentiæ arcano.

Incidit in ejus manus forte fortuna Majoris Cartusiæ descriptio; quam statim avide legens, hujus asceterii videndi exarsit desiderio. Nec mora : pedes aggreditur iter, peregrini vestem superinduens. Pulsat ad monasterii fores, cui per id temporis, anno videlicet 1616, præerat D. Bruno d'Affringues; petit ut sibi liceat alloqui Cœnobiarcham. Hunc Janitor paulo durius excipiens, ipsi negat aditum ad cellulam Reverendi Patris, in quam, ut aiebat, plebeii homines et infimæ sortis non ingrediuntur. Ille pertinaciter ostiarium rogans, obtestatur se inde non discessurum, donec cum Superiore sermonem aliquem contulerit.

Jacobi precibus fatigatus Janitor, monuit Reverendum Patrem ad fores Domus importunum stare peregrinum, qui petit instantissime conspectu et affatu ipsius frui; alioquin, jurat se ad januam asceterii remansurum quoadusque voti fiat compos. Hæc audiens summus Ordinis Præses, jubet sibi hominem hunc adduci. Audiensque quod tam longum difficileque iter suscepisset, ea tantum mente ut inter Cartusianos adscriberetur; tacitusque considerans optimam, quæ in peregrini vultu lucebat, indolem, candorem animi et præclaras naturæ illius dotes, annuit lubens ipsius votis.

Tunc ille in gratiarum actiones effusus, rogavit Reverendum Patrem, ut cum bona ipsius venia liceret sibi remeare in patriam suam, quo suis rebus consuleret. Ejus petitioni acquiescens Cartusiæ Prior, subjunxit : « Moram concedo : ea tamen lege, ut eos [non] imitaberis, qui diem ad patrios lares revertendi postulantes, nunquam postea

in hac eremo amplius comparent. » Ad hæc verba bonus vir, innata Germanis ingenuitate, admota ad pectus manu, respondit : « Mea quidem, Reverende Pater, fide promitto me condicto tempore rediturum. »

Stetit promissis; brevique interjecto dierum spatio, longe melius quam antea instructus, se sistit Domno Brunoni d'Affringues, cui et Ordini Jacobus nomen dedit. Adjecit numerata pecunia summam quindecim millium librarum. Verum obmutuit semper, cum interrogabatur ab aliquo, quidnam donasset Majori Cartusiæ, ne de his inaniter gloriari videretur.

Vix vota professionis emiserat, cum a R. Patre electus est ad Novitiorum educationem : quippe qui jam omni genere virtutum instructus, et regularis observantiæ tenax. Hos ducens ad præstantiora, excellentiorem illis viam, qua ad Deum pergerent, aperiebat. Dum tyronibus anteibat suarum luce virtutum, exactis in hoc ministerio annis..., mittitur Friburgum, Coadjutoris officium obiturus. Ibi diu vixit, imo languit. Cum enim mos irreligiosus invaluerit apud Germanos, se largis poculis, causa cohonestandi hospites, ingurgitare (a qua etiam perversa consuetudine monachi non sunt immunes); molestissime ferens ad patrios, a quibus jamdudum recesserat, mores revertere cogi, etiam atque etiam Cartusiensis cœtus Moderatorem rogavit, ut alio cum ipsius licentia migraret.

Exauditus est pro reverentia a summo Ordinis Præfecto : qui, cum exploratam haberet viri probitatem et castigatam vitam, ipsum instituit in Molshemii Vicarium. Verum, cum inter suos gentiles ibi degeret, nihilque haberet antiquius, quam procul a patria suam operari salutem, ita opportune importune egit apud Brunonem d'Affringues, ut ad Siligniacum secesserit, admotus officio Procuratoris. Vix quatuor aut quinque menses in hoc munere transegerat, cum, pertæsus rerum temporalium administratione, ad solitudinis quietem anhelans, se abdicavit officio, missus hospes ad Sellionis Cartusiam.

Nec hic subticendum existimo in Jacobi nostri summæ mortificationis argumentum, quod cella, quam ibidem incolebat, tam humida et insalubris erat, ut sæpe sæpius totum cubiculi interioris pavimentum aquis operiretur; adeo ut tabulam in ponticuli modum sternere cogeretur, per quam e foco ad lectum siccis pedibus posset pergere. Sat habuit de hoc semel tantum Priorem Sellionis monuisse. Verum cum Superior, sive oblivione sive negligentia, medelam huic incommodo non attulisset, religiosus Pater in hac aquosa mansione stetit, ne verbulo quidem, quod malum hoc indicaret, prolato; donec, contracta ex loci inclementia ischiade, jam factus membrorum impos, alaribus furculis niti ad ambulandum coactus sit. Quam ob causam demigravit in Cureriam;

ubi cum aliquamdiu hac infirmitate laborasset, tandem ab ea convaluit.

Incompertum nobis hactenus fuit temporis spatium, quo remansit Jacobus noster in eremo Cureriæ ; an interpolata fuerit ibidem ejus commoratio, nos latet. Constat saltem illum semper abhorruisse ab officiis, dignitatesque utpote periculosas declinasse. Quapropter oblatum sibi Cartusiæ Waldicensis Prioratum a R. P. Leone Tixier constanter recusavit : non modo honorem spernens, sed, vir vere humilis, metuens honorari. Unde summus Ordinis Præses sciens illum a prælatione gerenda prorsus esse alienum, noluit Dei virum contristari, neque ipsum admovere muneribus Prioris et Visitatoris. Venerandus hic et religiosus Pater dicere solebat, monachum Ordinis dignitates ambientem nullos unquam in Religione progressus facturum, nihilque boni ab eo penitus expectandum esse ; aiebatque sæpe sæpius, ab ipsis suæ conversionis crepundiis, combibisse illum prælationis horrorem et timorem.

Toto illo tempore quo Cureriam incoluit, se vivum Cartusiani numeris omnibus absoluti præbuit exemplar. Vir erat candidissimus, sincerus, sine fastu, sine fuco, effusæ in omnes charitatis ; tanta in omnes affabilitate, humanitate et misericordia præditus, ut in hoc uno peccasse videretur, quod nimiæ esset bonitatis. Ipse ad vilia quæque munia demittebat : omnia charitatis officia infirmis exhibens, non solum autem monachis, sed etiam domesticis, adeo ut potum cibumque eis ministraret cum affectu plane paterno.

Tam rigidæ paupertatis fuit sectator, ut canteriis focariis ad ligna in camino instruenda nunquam sit usus, nec multis abhinc annis candelam aut lucernam in cella per noctem accenderit : multa lectione per diem se muniens, qua mentem suam in tenebris reficeret. Omnia cellulæ ipsius utensilia clamabant paupertatem. Nullas, præter a Statuto concessas, vestes habebat, easque detritas et viliores ; quas quidem nunquam permittebat ablui, neque etiam suos udones, veritus ne frequentiori lixivio detererentur.

Porro tamdiu gestabat tunicellas, ut contracta ex immunditie fœda pedum examina vivum exederent ; ideoque nunquam mutabat vestes, quo molestum hoc supplicii genus sibi conciliaret. Unde cum R. P. Joannes Pegon, tribus aut quatuor ante Jacobi mortem annis, audiisset ipsum a pediculis confici, misit chirurgum et pharmacopolam Cartusiæ, ut senem venerabilem emundarent. Unus eorum testatus est Jacobi tunicellam tot his fœdis vermibus fuisse refertam, ut ne vel minimus locus ab iis vacuus appareret. Interim ægre admodum sordidam dimisit vestem, et nisi fuisset interpositum R. Patris mandatum, nunquam Fratribus acquievisset. Verum nihil de solita paupertate detrahens, paulo post statim hoc spurco vermium genere sicuti antea confectus est.

Quamvis autem diu noctuque Jacobus cruciaretur in hunc quem sibi Lector potest fingere modum, semper tamen serenus apparebat et secundum Sanctorum faciem; benignus erat aliis et affabilis, dum sibi soli durus et immitis suo patiendi desiderio faciebat satis, prolixo hocce martyrio sine intermissione vexatus.

Hoc asperioris vitæ studio, ciborum cupedias omnes rejiciens, agrestiores escas et acerbiores appetebat. Die quadam V. P. D. Thomas Boulley, Ordinis Scriba, in ejus cubiculo aderat dum ei prandium ministrabatur. Vidit quod appositum vinum recens in lagenam, ubi potus sui residua colligebat, infunderet. Stupentem Thomam ad insolitum potionis insuavis genus (ipso enim aceto erat acerbior) invitavit ad bibendum. Rei facturus experimentum, Scriba scyphum accepit; quem, ob fœtorem nimium, ne primoribus quidem labris valuit attingere.

Oleribus imprimis victitabat, utebaturque ad delicias. Cumque aliquando fuisset relatum, medicum dixisse hujusmodi escas noxias esse ac insalubres effœto seni, respondit : « Ego autem certum habeo, has mihi esse admodum salutares. » Quamvis esset ætatis multum provectæ, innumerisque gravaretur morbis, præscripta nihilominus ab Ordine jejunia servabat religiosissime; nunquamque adigi potuit, ut ova feriis sextis statisque temporibus, quibus his abstinemus, comederet.

Cavebat imprimis, ne quod aliis denegabatur, sibi arrogaret; attendens ad hæc Ecclesiastici verba : *Rectorem te posuerunt? noli extolli : esto in illis quasi unus ex ipsis.* Unde abhorrebat a singularitate, studens in iis, quæ circa se erant, cæteris assimilari.

Moleste tulit quod cujusdam monachi cellula de novo restauraretur. Cupiebat namque, ut primæva paupertas in tescis Cureriæ et asperitas reluceret : quæ etiamnum illic adhuc viget, et conspicitur non sine intuentium admiratione.

Habebat quidem famulum, qui illi ministraret; verum in nullo ejus opera utebatur, nisi ad hortuli sui cultum, et ad olera quibus vitam tolerabat conserenda. Nunquam autem permisit, ut puer ille lectum componeret, bajulusque suæ fieret pitantiæ : hanc etenim Jacobus noster, sicut et cæteri, per claustri fenestellam recipiebat. Osor erat maximus morum rituumque sæcularium; adeo ut, si quis cum illo ageret nimium officiose, his verbis increpare soleret : « Ad quid ergo monachum induimus, exuimusque sæculum, si nugis hisce ac ineptiis occupamur? » Dum iter faceret, volebat ut famulus suus, una secum eidem mensæ assidens, iisdem etiam vesceretur escis.

Multa alia ejusmodi faciebat pius Pater, non ex animi stoliditate, sed ingenti sui ipsius despicientiæ studio. Præclarissimis etenim erat naturæ donis instructus, et natus ad maxima quæque Or-

dinis obeunda munia, ni præ incredibili humilitate se peripsema omnium existimasset. Acri et fœcundo erat ingenio, maturo admodum judicio pollebat, tenacis vir erat memoriæ, multis instructus litteris; adeo ut V. D. Joannes Chauvet, Scriba Ordinis, luculentum de Jacobi eloquentia testimonium perhibens, diceret se novisse neminem apud nos qui comptiori elegantiorique stylo scriberet. Insuper erat in rerum spiritualium cognitione versatissimus; verborum suorum suavitate omnium sibi devinciebat animos, singulosque provocabat ad gradiendum per sanctioris vitæ vias.

Colebat potissimum solitudinem. Unde monachus Cureriæ antiquior, qui diu Jacobi Confessiones excepit, per litteras nostras impulsus ut aliquas virtutum illius notitias suggereret, nihil aliud scriptis mandare potuit, nisi quod Jacobus de se humiliter admodum et abjecte sentiens, nunquam verbum protulit quod in suam redundaret laudem, sollicitusque esset circa linguæ suæ custodiam, ne Divina charismata quibus exornabatur propalaret. Subjungebatque quod, propter immensum illius vitæ solitariæ amorem, difficile multum esset quicquam de Jacobi moribus deprehendere, præter id quod ex usitato aliorum more agebat. Se se semper ad commune nostrum accommodabat institutum; quamvisque in specie nihil in actibus ejus appareret singulare, sed commune, vitam tamen suam traduxisset in haud vulgari morum innocentia.

Cum autem ita diligeret solitudinem, difficulter admodum pergebat ad Ordinis nostri Comitia; quibus nunquam intererat, nisi prius a R. Patre accerseretur. Conquerebatur de lautioribus cibis exquisitoque apparatu, quo Priores in Capitulo generali excipiuntur. «Quorsum, aiebat, tot tamque varia fercula, cum unicum naturæ necessitati posset facere satis? » Dolebat, redux in Domum, quod iter hoc non fieret sine animi collectionis detrimento; mentemque suam rebus spiritualibus minus intentam multo post sensu capiebat.

Obedientia ita Jacobi affecerat animum, ut nihil magis quam suis Præpositis parere ac morem gerere optaret. Cumque ipsi volupe erat inhabitare Cureriam, asseverabat nihilominus se, ad vel minimum voluntatis R. Patris signum, præsto fore pergere quocumque juberet obedientia, sibique baculum cum Breviario suffecturum pro itineris sui apparatu. Si quem monachum e Cartusia ad aliam Domum invitum migrasse audiebat, id vituperabat tanquam obedientiæ religiosæ contrarium.

Nihil illi divino Officio charius erat, nihil erat illi suavius in terris. Nullus erat locus, ubi tot experiretur delicias: quandoquidem, per totum illud temporis spatium quo Cureriam incoluit, nunquam desideratus est in choro, ni forte a R. Patre impeditus. Ad primum Officii pulsum, mox incredibili celeritate properabat ad ecclesiam; nulla societate, nullo cujusvis ponderis negotio

poterat unquam retardari. Cumque gravi adeo hernia laboraret, ut tota ejus prociderent ilia, supinus jacens Dei servus, erectis contra cellæ parietem pedibus, ea in suum cogebat locum. Quod si interdum huic malo remedium afferre non valeret, reptabat se se ad ecclesiam, suum sustinens ventrem utraque manu. His autem et aliis affectus morbis, non sibi tamen nec voci indulgebat: tanto cum spiritus fervore Officii divini pensum persolvens, ut nullam prætermitteret cantus syllabam. Desæviebat etiam in corpus suum asperrimis disciplinis, inediis conficiebat, extenuebatque vigiliis.

Tanta vitæ asperitate, tantoque omnigenarum virtutum studio, Jacobus noster promerebatur inter Dei filios reputari. Cumque Deus castiget quos diligit, illum diutissime probavit in camino tribulationis. Quis valeat enarrare, quæ venerandus hic senex in diebus suæ carnis pertulerit? Acutissimos capitis dolores sustinuit per quinquaginta quatuor annos, sine ulla intermissione; adeo ut privatum Officium non continenter sed divisim recitare cogeretur. His adde molestissimam ilium procidentiam, vehementes affectus cœliacos, multasque alias ægritudines; quibus plerumque afflictus, dicere solebat, a planta pedis usque ad verticem nullam esse in se sanitatem.

Sed quod miraberis : vir tot attritus morbis, infracto animo medicorum operam constantissime respuebat et remedia; quibus nisi in extremis utebatur. Cuidam amico suo rationem subjecit, fiducialiter ei dicens : « Cur ad homines confugiam, qui quoties opem inclamavi Divinam, toties Deum beneficum expertus fui Medicum ? » Cumque medicaminibus uti sollicitaretur, respondebat : « Quid mihi hæc proderunt, cum nobis, velimus nolimus, moriendum sit? »

Is porro (quæ priscorum etiam Patrum consuetudo fuit) tam arctum cum oratione inierat fœdus, ut in ea, quamvis, ut diximus, capitis dolore torqueretur, per quatuor horas fixus permaneret. Hanc sibi ubique adhibebat comitem. Neque enim id mirum : tanta enim in ea inebriabatur spiritus voluptate, ut jam esset in Cœlis ipsius conversatio. Quapropter, ut omnium oculos effugeret orationique vacaret liberius, peractis Vesperis, ne a quoquam interpellaretur, solebat deintus claudere cubiculum. Præsertim autem tribus postremis vitæ suæ annis, cum jam oculis esset orbatus, intra cellulæ septa remanebat absconditus in abscondito faciei Dei; nec ex ea efferebat pedem, nisi percurrus ad Canonicas Horas, quæ in ecclesia persolvuntur : a quibus nullo unquam tempore, nisi quatuor tantum ante mortem suam diebus, abfuit.

Post oculorum jacturam, non tristior aut aliis molestus nusquam apparuit; sed æquam in hoc adverso casu servans mentem, factus perspicacior in rerum cœlestium contemplatione, suavibus Sponsi amplexibus fruebatur; semo-

tusque a conturbatione hominum, tanquam cygnus in morte canorus, hymnis sacrisque canticis animum suum relaxabat. Rogatus aliquando, dum jam ejus oculi caligarent, an multo teneretur desiderio vitæ præsentis, respondit : « Nec magno, nec modico. »

Quando litabat, ea erat amoris Divini vis, ut præ lachrymarum copia, quibus perfundebatur, Sacrificium peragere nequiret. Illud vero semper obtulit Christi Passionis memoriale, donec ejus oculorum acies penitus hebetaretur. Cumque ideo D. Scriba nomine R. Patris, qui pium senem metuebat contristare, rogavit ut imposterum abstineret a celebratione, vir obediens statim acquievit; interrogavitque, num etiam a Rectoris officio esset exauctorandus? testans ad omnia esse paratissimum. Cui D. Scriba respondit se id mandati a R. Patre non accepisse.

Supramemoratis gratiæ donis possumus adjicere, quod quoties quidam ejus amicorum ex hac vita migrabant, Jacobo valedicentes, eidem obitum suum signo aliquo prænuntiarent. Ipse etiam suæ mortis diei præscius, cum, viribus naturæ deficientibus, in ipsa S. Hugonis solemnitate decubuisset, perceptis devotissime Sacramentis, plane sui compos ad extremum usque spiritum, dum psalmos mussitat et Dei laudes in ore versat, inter has felicem effudit animam, die 21 Novembris, anno 1673, ætatis 80, Religionis 58, relicta ingenti sanctitatis opinione.

[*In margine nostri Manuscripti sequentes adduntur Notæ*] :

Cum ultimum decubuisset, affirmavit se eo quo laborabat morbo moriturum. Cum enim nocte quadam cellæ ostium valide invisibili manu clausum fuisset, non vano argumento hoc obitus sui præsagium esse credidit : quod paulo post comprobavit eventus.

Dum, in extremis positus, Sacro Oleo inungeretur ab Antiquiore Cureriæ, ita semper fuit sui compos, ut ipsum in aliquibus ceremoniis errantem emendaverit.

Per viginti tres annos rexit Cureriam : identidem petens in Ordinem redigi, solumque Sacristæ officium ambiens.

XXII DIE NOVEMBRIS

ANDREAS DE BERGAMO

CONVERSUS MEDIOLANI

Vir eximiæ sanctitatis, professus Domus Mediolani. Qui cum ob laudatissimos mores missus fuisset ad Domum Montelli, aliquandiu ibi religiosissime hospitatus, secessit postea ad Cartusiam Bononiensem ; ubi vitæ cursum absolvit feliciter, circa annum 1360.

LUDOVICUS EXEA

MONACHUS PORTÆ CŒLI

Hujus Elogium extat in Chronico Portæ Cœli, cap. 17. Describitur autem in hunc modum :

« D. Ludovicus Exea, Valentinus, qui circa annum Domini 1467 habitum sanctæ Religionis suscepit, cum adhuc esset juvenis in Ordine, graviter infirmatus est. Unde sumpto Viatico, paulo post raptus est extra se, ita ut nullius sensus remaneret actio; et quamvis ad aurem fortiter vociferaretur, nihil tamen sentiebat; sed tremens ac pavens sudabat toto corpore, factus in agonia, faciesque ejus veluti mortui pallida apparebat. Unde Religiosi circumstantes jam eum moriturum putantes, affectuose frequentabant preces, Litanias et Passiones, ad subveniendum ejus exitui.

« Sed postquam in hoc conflictu aliquantulum stetisset, ad se reversus, dixit : « Gratias ago vobis, o Patres mei, quia mihi in tanta necessitate constituto subvenistis vestris devotis orationibus, quæ pro magno mihi solatio fuerunt. Nam cum quædam terribilis dæmonum caterva advenisset, manus pedesque meos ligaret, secum me ad Tartara ducere conabatur. Sed supervenere B. Virgo Maria et S. Onuphrius, quibus ex intimis præcordiis in tam extremo periculo constitutum me commendaveram; et ipsi dæmoni præceperunt, ut me solverent, et illæsum abire permitterent. Et hoc modo nunc ad me reversus sum per Dei bonitatem et clementiam, quia est adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. » Post hæc, convaluit ex sua infirmitate ; et aliquot annis religiosissime quidem vixit, perseverans in continuis obsequiis præstandis ipsi Beatissimæ Virgini Mariæ et B. Onuphrio, a quibus se tam misericorditer adjutum recordabatur. Obiit anno 1474. »

PETRUS DE AREVALO

PRIOR DE PAULARI

Professus de Paulari, ubi et Priorem egit ac Domus de Caçalla ; vir observantiæ regularis amator et zelator, cujus vita mera fuit oratio et sui corporis afflictatio. Tanta autem humilitate præcelluit, ut, cum monachum aliquem vel Conversum paulo asperius se reprehendisse crederet, ad ejus genua provolutus, veniam peteret de nimia correctione. Transactis in Ordine 50 annis, plenus dierum et bonorum operum, e vivis excessit, anno 1564, die 22 Novembris.

Ex Manuscriptis.

XXIII DIE NOVEMBRIS

FERDINANDUS DE GETINO

PRIOR DE PAULARI

Vir in sæculo dives, Canonicus Legionensis; spretis sæculi delitiis, pauperem Christum secutus est in Cartusia de Miraflores. Singulari enituit humilitate. Summe affectus erga egenos, ipsis larga manu succurrebat. Cumque fames per regionem invalesceret, tempore quo tenebat clavum de Miraflores, multas mendicis eleemosynas erogavit. Quamvis autem singulis diebus multi panes copiose ad monasterii januam distribuerentur, non tamen defuit farina, nec horrea imminuta fuerunt. Priorem etiam egit Ferdinandus in Cartusiis de Aniago et de Paulari. Ad cujus regimen capessendum cum pergeret, quod ipsi contigit excerpimus ex quodam Manuscripto Cartusiæ de Miraflores, ubi hæc leguntur :

« Hic igitur Pater cum ita erga pauperes beneficus esset, multo majori liberalitate Religiosis Mendicantibus, maxime vero Minoribus, eleemosynas largiebatur; ita ut aliquando, nihil præ manibus habens quod cuidam Minori stipem poscenti tribueret, Janitoris cellam subito ingressus, tunicellam parvam, qua se exuerat, prædicto Fratri donaverit. Sed quia egerat misericorditer, misericordiam est consecutus.

« Anno enim sequenti (videlicet 1483) præfatus Pater pergens ad Domum de Paulari, tanta mox ventorum nivisque tempestate afflictus est, ut vix jumenta famulique ulterius possent progredi, nec se ipsos præ nivis densitate respicere valerent, nec rectam tenere viam. Ad has redactus angustias, omnem in Deo spem collocat : cum ecce subito occurrit eis, velut ovibus circumquaque errantibus, quidam Frater Ordinis Minorum, pedester, accinctus ad ambulandum ; quibus gratiose admodum locutus est : « Nolite timere. Ego bene novi viam ; tantummodo mea sequamini vestigia. » Hunc igitur secuti, pervenerunt usque ad oppidum de Locoia.

« Tumque Pater Prior dictum Fratrem Minorem Converso socio commendavit, ut curam illius haberet ; sed qui misericordiam egerat, statim evanuit ab eorum oculis. Quem postea sollicite et ostiatim in dicto oppido de Locoia etiam noctu inquirentes, nusquam invenire potuerunt. Nec dubium quin Angelus Dei fuerit, qui in tanto periculo laborantibus adfuerat, ob merita venerandi Prioris, et S. Francisci intercessionem,

cujus Ordinem tanto amore prosequebatur. Pervenit tandem ad Domum de Paulari; in cujus regimine triennio vix elapso, ad cœlestem patriam evolavit, anno 1486. »

MAMERTUS ROCHETI

PRIOR VALLIS SANCTÆ

Alias Ruscheti; professus primo Repausatorii, deinde Vallis sanctæ, cujus, dum esset Procurator, anno 1535 a Capitulo generali Prior instituitur. Hujus religiosi Patris humilitas admiranda fuit et ineffabilis charitas. Solebat enim vir pius, cum e Viviaco famuli redirent, clanculum noctu calceos eorum lutosos mundare, ungereque mundatos, caligas etiam abluere et reficere. Cum autem serpentes armenta boum infestarent, eorum ubera sugentes ac morsibus inficientes venenosis, eos omnes exceptis cæciliis mero imperio a limitibus territorii Vallis sanctæ perpetuo abegit. Tandem post diuturnos labores in exercitio virtutis et infirmitatis strenue ac patienter exantlatos, fœlicem animam Creatori reddidit, die 23 Novembris, anno 1545.

Cujus mortem pretiosam campanum sponte sonans denuntiavit. Instrumenta insuper vespillonum sine humano tactu moveri visa sunt. Quod constat ex Instrumento judiciali quod hic inserimus.

« A l'instance et postulation de Reverend, docte et devot F. Nicolas Raphael Guillaume tres digne S. Prieur de la venerable maison Claustrale de la Val S^te^ fondèe au Vaux de Charmey terres et mandement de Corbieres dependante de nos Sauveraines S^tes^ et Superieures de la ville de Fribourg en Suisse, les tesmoings apres nommés sont estè ouys et examinés en presence d'honorable Francois Burquenod Limtenant de la dite Val S^te^ le 10 d'Octobre 1615 par moy Notaire jurè subsignè.

« Et premierem^t^ honorable Jean Capy de la dite paroisse de Charmey, eagè de quatre vingt et deux ans a declarè, testifiè et dict en bonne foy et parolle de veritè, qu'il a estè officier de la dite bonne maison l'espace de quarente ans, et avant, en son jeune eage a veu en propre personne, et cogneu un Prieur de la dite maison nommè D. N. Rochet, et apres sa mort a ouy dire (et de fait dit qu'il est asseurè) que la cloche de la dite Val S^te^ a sonnè seulette, sans qu'aucun homme y aie mis la main.

« Honorable homme Amè Bugniard dudit lieu aussy eagè de 70 ans et davantage a deposè en bonne conscience vray estre, que par plusieurs fois a ouy dire a Maistre Jacob Martin charpentier et couvreur, qu'iceluy estant jeune travailloit pour la dite maison et singulierement estoit au service, lhorsque le dit D. Rochet trespassa le jour mesme on ouyt bruict dans l'eglise, aussy les pales et piches avec lesquelles l'on ensevelit

les corps humains se remuer et incontinent apres sonner la cloche seulette, ce qu'entendant ceux de la maison y accoururent, et ayants visitè l'eglise ne trouvarent personne, aultre chose n'en scait.

« Honorable Henry Bugniard du dit Vaux de Charmey eagè de quatre vingt dix ans a testifiè en bonne foy avoir ouy dire au susdit Jacob Martin, ce que le dit Amè Bugniard a cy dessus par sa deposition declarè et aultre chose n'en scait.

Francois Burquenod. »

Sepultus est in cœmeterio ante fenestram intermediam, quæ est a tergo majoris altaris : mihi de his testimonium perhibente venerabile Patre D. Hugone Buat Majoris Cartusiæ professo et in rebus nostris versatissimo. Ex cujus litteris hoc Elogium collegi. In quibus, de Mamerti humilitate mentionem faciens, adjicit : « Hoc percepi a quatuor ex ipsis (videlicet famulis quorum calceos mundabat), scilicet Mistrali Capi, Joanne et Petro Bergier, et Francisco Cedo. Hi quatuor viri tunc annorum centum viginti quinque erant, vegeto robustoque corpore affecti. »

Hæc nobis scripsit præfatus D. Hugo Buat.

XXIV DIE NOVEMBRIS

ANDREAS ET GUARINUS

CONVERSI MAJORIS CARTUSIÆ

Discipuli sancti Patris nostri Brunonis; qui, licet laici et idiotæ, jugum Domini intrepida cervice subierunt, et inter primas stellas quas in firmamento Cartusiensi vidit S. Hugo, meruerunt annumerari. Quorum (et aliorum Laicorum in Cartusia tunc temporis degentium) pietatem, humilitatem et obedientiam idem S. Bruno multum collaudat in Epistola scripta ad Fratres Cartusiæ, dicens :

« Magnificat anima mea Dominum, quia magnificentiam misericordiæ super vos intueor, secundum intimationem Prioris vestri et Patris amantissimi, qui multum gloriatur pro vobis et gaudet. Gaudeamus et nos, quia cum scientiæ litterarum expertes sitis, potens Deus digito suo inscripsit in cordibus vestris non solum amorem, sed et notitiam sanctæ Legis suæ. Opere enim ostenditis quid amatis, quidve nostis. Nam cum obedientiam veram cum omni cautela et studio observatis (quæ est executio mandatorum Dei et clavis et signaculum totius spiritualis disciplinæ, quæ nunquam est sine multa humilitate et egregia patientia, quam semper comitatur

castus timor Domini et vera charitas), manifestum est vos sapienter legere ipsum fructum suavissimum et vitalem [al. utilem] Divinæ Scripturæ. »

Obierunt circa annum 1102. Dies obitus eorum signatur in primo Cartusiæ Kalendario : Andreæ videlicet ad 8 Kalendas Decembris, Guarini vero ad 3 Kalendas Januarii.

De Andrea et Guarino meminerunt rerum Cartusiensium Scriptores, et Franciscus Ganneron in suo Martyrologio Cartusiensi ad diem 6 Julii.

JOANNES DE MONTEGNIIS

PRIOR CAPELLÆ

De quo Chronicon Capellæ agit his verbis :

« Anno 1430, post obitum D. Joannis de Attrebato, elegerunt Patres nostri in Priorem hujus Domus D. Joannem de Montegniis, professum Domus Diestensis; qui fuit nobilis miles in Hannonia ante ingressum Ordinis. Et cum esset hic Prior, tantæ humilitatis fuit, ut recusaret aliquid æreum portare, ne videretur aurum portare. Sed cum circiter quatuor annis hanc Domum rexisset, ad magnam suam instantiam absolutus est et ad Domum suæ professionis regressus. Hic fertur Domino Nicolao Cardinali nostri Ordinis occurrisse, cum venisset ad faciendam pacem inter regem Franciæ et Philippum ducem Burgundiæ. »

Hactenus Chronicon, in quo dicitur etiam absolutus circa annum 1434. Quod fieri non potest, si Cardinali occurrerit venienti ad pacem ineundam inter præfatos Principes; nam Cardinalis in has regiones venit anno 1438.

Decessit Joannes anno 1447, in die S. Gregorii, vel melius juxta alios, in die S. Chrysogoni.

JOSEPH VARANO

PROCURATOR MONTIS HILARIS

Patria Ferrariensis, nobili ortus prosapia ; insignis pietatis vir, et monachus omnibus numeris absolutus. Hic cum in Curia Regis Hispaniarum degeret, pertæsus rebus terrenis, inter aulæ delicias sibi solitudinem ædificaverat, ubi audiebat quid in se Dominus loqueretur : cujus irradiatus lumine, assiduo orationis studio et pœnitentiæ præstolabatur salutare Dei.

Per id temporis afflatus Sancto Spiritu, cum bona Regis (cui acceptissimus erat) venia, mundo valedicit; se seque recipiens ad eremum Montis hilaris, habitu Religionis donatur, ad Episcopi Barcinonensis instantiam. Cum enim annum ætatis quadragesimum decurreret, infirma affectus valetudine (surditate enim laborabat), tali mediatore indiguit, sine quo a monachis minime fuisset receptus. Ingenti cum animi gaudio suscepit monasticam vestem. Tanta autem humilitate præcelluit, ut

cum Superiores illum officiis minoribus occupare recusarent ob illius infirmitates, ita Josephus, suas adimplendi partes cupidus, apud eosdem egit, ut obierit Sacristæ munia. Procuratoris officio deinde admotus, ad alias Ordinis dignitates assumptus fuisset ob præclaras animi sui dotes, ni, surditate præpeditus, maluisset redire ad desideratam cellulæ quietem.

Demum cum Cartusiam Montis hilaris præclaris virtutum suarum exemplis illustrasset, multisque adauxisset bonis et beneficiis, meritorum plenus et dierum, post exactos in Ordine nostro summa cum pietate viginti duos annos, ex hac vita mortali feliciter migravit ad immortalem, anno 1611, die 24 Novembris.

Ex Mss. hujus Domus.

XXV DIE NOVEMBRIS

BEATRIX D'ORNACIEUX

MONIALIS DE EMOSCO

Hujus inclytæ Virginis meminerunt Dorlandus, lib. 5, cap. 4; Martyrologium Canisii, ad diem 13 Februarii; Martyrologium Gallicanum. Decessit circa finem sæculi tertii decimi Beatrix, die 25 Novembris : ut videre est in ejus Vita, quam ex Gallico sermone de verbo ad verbum transtulimus.

Ad honorem Dei, ad majorem ejus gloriam et in memoriam beneficiorum bonitatis ipsius, ad excitandas mentes nostras in obsequium Domini nostri Jesu Christi, Sanctæque Genitricis ejus gloriosæ semper Virginis Mariæ; in omni humilitate et sinceritate, pro majori ædificatione nostra, describam et exponam partem aliquam honestæ, sanctæ et gravitate morum conspicuæ hujus Sponsæ divini Sponsi Jesu Christi inter Sorores conversationis, ab anno ætatis suæ tertio decimo et deinceps.

Ab initio piæ conversationis suæ, ex intimo cordis affectu, propter eum quem unice diligebat Jesum Christum, statim rebus omnibus sæcularibus et superfluis valedixit : quod propositum mira animi magnitudine, fidelitate et constantia ad exitum usque prosecuta est. Cordis non tantum, sed externæ etiam humilitatis præ se ferebat specimen : viscera gerens plena misericordiæ et charitatis, omnibus Sororibus suis absque ullo respectu in rebus vilioribus ancillans, uniuscujusque necessitatibus providens sicut poterat. Quod vero spectat ad Ordinis jejunia et abstinentias, quantum licebat per ejus debile temperamentum, illas observabat severissime simul et religiosissime. Colebat imprimis obedien-

tiæ virtutem, in qua quidem excellebat; cui accedebat assiduum orationis devotissimæ studium. Tanta devotionis teneritudine, tanto fervoris sensu afficiebatur, ut de oculorum usu periclitaretur præ continuo profluvio lachrymarum. Colloquia ejus dulcedine mellis, urbanitatisque suavitate condita erant. Porro nihil nisi sui despicientiam et abjectionem spirabat; et in verbis et in actibus suis perfectum se se exhibebat perfectionis religiosæ simulachrum. Denique id unum intendebat nervis omnibus : nihil eorum prætermittere, quæ ad suam et cæterorum utilitatem et sanctificationem conferre arbitrabatur.

Dum his pietatis Christianæ exercitiis sollicite vacaret, plurima beneficia ab immensa Dei bonitate accepit. Sub initia, diu singulis diebus, imo omnibus horis, ubicumque versaretur, gratia Divina in illa abunde adeo exuberabat, ut Jesum Christum provideret in conspectu suo semper, sub visibili forma sibi a dextris assistentem. Inde Deus ita Sponsam suam prævenit in benedictionibus dulcedinis, ut sæpissime, quocumque se reciperet, pinguedine et adipe amoris Divini saginata, tantis facibus impar, pene amore languescens deficeret, vixque Divinos illos impulsus se posse sustinere confiteretur. Iis igitur cœlestibus blanditiis dignata, Jesu Christi Salvatoris nostri suavissimo conspectu, et osculo oris ejus exhilarabatur atque confortabatur : inter quos amplexus, Divinorum patiens rapiebatur extra se.

Pergens iter Angelicæ hujus vitæ strenue susceptum, et non solum viam mandatorum Dei sed etiam Evangelicæ perfectionis currens, multas ab humani generis hoste tribulationes et contradictiones sustinuit; qui, cum illam a studio virtutis avocare conaretur, illam interdum a terriculamentis et aliis hujusmodi molestiis oppetere solebat. Huic maligno Spiritui, haud aliorum armorum genere, præterquam invicto tolerantiæ clypeo ac ferventioris orationis gladio, restitit; ac de eo gloriose triumphavit, induta justitiæ loricam, munitaque austeræ pœnitentiæ propugnaculo. Interim non modicum timens, ne forte a diabolo (se in Angelum lucis transfigurante) deciperetur, ultra modum in se ipsam desæviebat; adeo ut sæpissime, præ fervoris æstu, prætergredi videretur limites discretionis. Verum hæc omnia ex timore Domini et ardentissimo sanctimoniæ zelo cum procederent ac emanarent, Domino nostro Jesu Christo sic disponente, cooperabantur in bonum et in Beatricis nostræ sanctificationem.

Ad Infirmariæ et Coquinariæ officium assumpta, cum incredibili charitate suum implevit ministerium, in omnes se vertens formas. Dum pararet obsonium, ita igni faciem admovebat, hoc tormento suam afflictura carnem, ut ex ardore nimio suum cerebrum quasi ebullire sentiret. Inauditum prorsus mortificationis genus! Prunas ardentes in manibus gestabat; et quamvis ignis

ardore comburerentur illius palmæ, præ Divini amoris facibus quibus æstuabat, nullo plerumque sensu doloris afficiebatur. His accessit altera tenelli sui corporis maceratio, qua, nullis tametsi improbis laboribus cedens, nocturnis vigiliis, cruentis sanguinolentisque disciplinis, non secus ac si hostem quæsisset ad internecionem, corpus persequi solebat, ne spiritum ad Cœlestia tendentem retardaret.

Christi Domini Passionem tenerrima semper veneratione et assidua cogitatione recoluit, cujus tristis imago ante mentis oculos continuo aderat; tamque vehementi doloris simul et compassionis affectu excruciabatur, ut in se pro modulo exprimeret Sponsi sanguinum imaginem, stigmataque ejus in corpore suo portaret. Transfodiebat manuum suarum volas acuto clavo, cutem suam penetrante. Quoties autem id tormenti genus Beatricem in Christum veluti transformabat, ex vulneribus aqua limpidissima, nulla unquam admixta cruore, diffluebat. Statimque, novo prodigio, cicatricibus obductis, nullum remanebat in manibus vel minimum scissuræ vestigium. Mortificationis Beatrix studiosissima, frigidissima anni tempestate nudipes incedebat super nives et glacies.

Interim domesticus hostis sic eam armis pœnitentiæ spiritualibus instructam et munitam conspiciens, imbellesque suos conatus, quibus eam per diem oppugnabat, esse irritos, illam per noctis quietem aggreditur modis omnibus; ita ut nihil eorum prætermitteret, quibus tum corpori tum animæ ejus posset inferre nocumentum, ejusque candorem ac puritatem contaminaret, sicque Virgo beata decideret ab amore Dei et gratia. Ideo cacodæmon lascivis imaginibus et spectris impuris fœtidisque mentis ejus oculos fatigabat. Nullumque esse arbitror, qui audeat enarrare immunditias et abominanda spectacula aliasque ejusmodi molestias, quæ ab hoste maligno perpessa est. Sed hæc omnia impura et mortifera inimici tela in illibatum virginitatis illius florem intorta, minime integritatem ipsius labefactare potuerunt : quibus non modo assensum non præbebat, verum etiam abhorrebat ab iis omnibus.

Porro diabolus cum eam frustra variis fraudibus et persecutionibus exagitasset, illam saxis et ardentibus sagittis aggressus est [al. oppetere cogitavit]. Hæc immaculata Christi Sponsa animam suam his ingentibus lapidum acervis (* quibus peccati gravitas significabatur [al. * quibus plurima gravia peccata significabantur]) ex omni parte concuti sensit, absque tamen ullo sui detrimento.

Hæc dilecta Christi Sponsa intelligens quod in dies augerentur dæmonis in se ipsam sævitia et certamina, majori cœpit timore metuque percelli. In hoc miserando statu, cum per noctem quiesceret lectulo, inter mentis suæ angustias Beatissimam Virginem Deiparam,

cui semper a teneris annis addicta fuerat, exoravit : summa cum fiducia postulans, ut esset sibi turris fortitudinis a facie inimici. Vix finierat orationem, et ecce protinus Beata Dei Genitrix apparet solis luce circumfusa, tantaque elegantia formæ, ut lingua dicere aut calamus illam describere non valeat. Quæ Beatricem suaviter amabiliterque intuens, blando mellifluoque sermone sic est allocuta :

« Eia, charissima filia, sic oculis dilectissimi Filii mei placuit te tamdiu a dæmonibus impugnari, quo ampliorem reportares victoriam. Nunc vero tui mercedem laboris accipe, tuoque plene gaude triumpho ; et, procul abjecta omni formidine, tu te totam in me, ac tuæ salutis repone sollicitudinem. Sum etenim Mater gloriæ Regis, sub cujus nutu cuncta sunt posita, et cui omnia obediunt, ac in cujus Sponsam assumpta es. Sum miserationis et pietatis Mater, talemque ab ipso quem genui potestatem habens : animæ corporisque tui curam habebo, teque ab omni hostis maligni incursu illæsam servabo. »

Postquam Diva Parens hujusce jucundissimi colloquii finem fecit, ab illa recessit ; eoque instanti reliquit illam tentator. Et sic imposterum Beatrix summa pace et animi tranquillitate potita est.

Paulo post, quadam nocte rursus accessit ad illam diabolus, variis molestiis et tentationibus in eam desæviens, ejusque pedibus parans laqueos. At famula Dei, nomine Illius invocato, sub cujus confugerat præsidium, et Salutationem Angelicam ingeminans, statim a Virgine Maria confortabatur : sicque opportunum nacta subsidium, fugabat cacodæmonem. Qui, confusione perfusus, in modum horrendi cujusdam et nigrescentis fumi, terræ hiatu ad tartareas cavernas se se recipiebat ; et dum sic ad ima præcipitabatur, totus horrore contremiscebat locus. Porro Beatrix his nobilitata triumphis, pressuris et tribulationibus clarior [al. beatior], Christo acceptior fuit, ab eoque donis amplioribus adaucta.

Demum post plurima accepta pignora divinæ Bonitatis, multis diversisque illustrata revelationibus, unum ardentissime exoptabat, dissolvi scilicet ac esse cum Christo, et a mortis hujus corpore liberari.

Contigit interim quodam die, cum de more ante altare effunderet cor suum in conspectu Altissimi ; eo ipso, inquam, die, quo ob urgentem necessitatem abstractum fuerat e tabernaculo sacrosanctum illud vasculum, in quo pretiosissimum Jesu Christi Corpus depositum quiescit, et in alium ejusdem altaris locum reconditum fuerat, super illud Divini amoris in homines monimentum oculos defigens, mente ad sublimem orationem erecta, summo cum spiritus fervore et lachrymarum copia, ex hoc exilio in filiorum Dei libertatem vindicari Dominum deprecabatur. Dum autem in oratione incalesceret, e vasculo,

in quo Corpus sacratissimum includebatur, distincte Jesum Christum sibi loquentem audivit. Porro cum interrogaretur, quemnam sermonem et vocem auribus percepisset, his verbis respondit: « Nihil ferme, inquit, hæc vox ab humana discrepat, nisi quod tanti organi suavitate proferebatur, ut ingenue fatear nullum sensum, nullam mentem aut linguam esse, quæ dicere, exprimere vel assequi possit omnem jucunditatem et dulcedinem istius vocis. »

Sic igitur divinitus illuminata et cœlestis consors colloquii, ut modo diximus, a desiderio suæ dissolutionis destitit, audiens a Divino Sponso tale responsum: « Desine, charissima, desine hæc amplius a me postulare; nondum etenim hora tua venit. » Quæ verba tanta dilectionis et amoris suavitate protulit, ut nec ea fas sit exprimere, neque concipere. Sicque de superna voluntate certior facta, mirificeque intus consolata, nihil desideravit vehementius, quam in hac vita perseverans in Dei obsequio, se se hostiam perfectam et Domino placentem exhibere.

Per id temporis, cum ægrotaret præ temperamenti debilitate, sollicita fuit ob hanc infirmitatem et multum anxia: verita quippe est, ne morbus Dei famulatui, cui se mancipaverat, obesset. Inter illas mentis angustias ad tutissimum orationis asylum confugit, assuetaque arripuit orationis arma. Inter cæteras preces, quas in Cœlum vibrabat, hac potissimum orationis formula utebatur: « O Domine mi charissime, Deus amantissime et mi Creator optime, supplico et deprecor per intima misericordiæ tuæ viscera, per potentissimam Divinitatis tuæ charitatem (quoniam me in hac vita morari beneplacitum est ante te), rogo te, inquam, ut mihi sanitatem tum animæ tum corporis concedas, meque a dolore capitis, quo crucior, liberare digneris: ut liberius, devotius faciliusque tuo servitio vacare mihi liceat, quamdiu me in terris degere statuisti; placeatque tuæ Majestati in tuo amore mihi perseverantiam largiri. »

Inter hæc ferventissimæ orationis intervalla Jesum Christum, ut prius, loquentem audit in hunc modum: « O dilecta filia mea, præpara animam tuam ad omnia quæ tibi contingent [al. accidere decrevero], et æqualem memento rebus in arduis servare mentem, non secus ac in properis; non te frangat adversitas, nec extollat consolatio. Cum desiderium tuum implevero, gaude; cumque ærumnas immisero, patientiam habe. » Quos sermones blandientis oris risu a Sponso prolatos summa cum tranquillitate excepit, Divinis impostérum magis cumulata benedictionibus dulcedinis.

Contigit aliquando, ut frater ejus ab hostibus in bello captus, diu teneretur in vinculis. Cumque eum ex eadem captivitate non reciperet, summo dolore affecta fuit; sicque afflicta Deum rogavit enixe, quatenus captivum e manibus inimicorum eriperet. Factum est quadam

die, dum Beatrix in ecclesia vacaret orationi, ut illa a suavi somno occuparetur. Statimque dormienti apparuerunt duo juvenes de cœlo in terram prolabentes, mirabili prorsus oris pulchritudine et speciei decore ornati; qui ad altaris partem dexteram concedentes, summa diligentia eamdem aram mundare, postea vero paramento ditissimo et pretiosissimo exornare videbantur. Quos secuti sunt alii duo, aspectu longe pulchriores, demissis mœrentibusque vultibus, sed eadem majestate, qua primi; qui expromere et explicare cœperunt amplissimum arte plumaria [al. aureum] pannum. Quos subito subsequebantur et alii duo, sed majori adhuc, quam cæteri, oris venustate et elegantia multo excellentius prædititi. Duobus his ultimis, illi, qui aureum pannum devolvebant, duas extremitates partis altaris dexteræ libenter porrexerunt. Hi porro desuper permansere. Qui vero alias extremitates ejusdem pretiosi operimenti tenebant, illud summa cum reverentia deposuerunt supra præparatum locum.

His ita dispositis, Beatrix conspexit cœtum copiosissimum resplendentium hominum, quorum splendor solis meridiani claritatem præcellebat; qui, prout accedebant, se se summa cum humilitate et timore prosternebant ad altaris latus, in quo repositum erat augustissimum Sacramentum, demissis oculis pro tanti Mysterii dignitate, ac vultibus pietate et commiseratione plenis; qui omnes simul in unum coeuntes, se se postea in geminum chorum divisere. Interea vidit turbam magnam hominum, quam dinumerare nemo poterat, omnibus aliis supra memoratis multo præstantiorem et pulchriorem. Cumque intrarent, per medium utriusque chori transibant, summa cum reverentia excepti. Hi similiter ac primi in eumdem modum dispositi sunt.

Quos inter plenus majestate quidam apparuit, quem alii quatuor manibus suis deferebant : cujus videlicet corporis superiorem partem duo sustinebant, alii vero duo inferiorem; et hi quatuor omnium speciosissimi et præstantissimi videbantur. Super hunc aureum pannum, quem duo primi præparaverant, sacrosanctum illud Corpus reposuerunt; dumque illud collocarent, quatuor chori, flexo poplite, magna cum veneratione tremebundi se se inclinaverunt. Ultimi autem aureum alium pannum desuper extenderunt, exornatum tredecim pretiosissimis gemmis, quarum unaquæque tantam luminis vim emittebat, ut Beatrici videretur, quod fulgor, quo earum minima coruscabat, sufficiens esset ad illuminandum universum Orbem, nocte obscurissima et tenebris opacissimis licet involutum.

Quibus omnibus attentis et consideratis, facile conjecit gloriosum illud Corpus aliud esse non posse, nisi dulcissimi et amantissimi sui Salvatoris humanitatem. Quamobrem valde cupiebat haud ingrata ei quædam precum suarum munuscula offerre, si ausa fuis-

set; sed hoc sibi arrogare non poterat, uno videlicet contenta, in illum nempe oculorum aciem tantummodo dirigere.

Non multo post, ei quatuor alii visi sunt, qui,ex choris quatuor egredientes, ad sacrosanctum Corpus reverenter accedebant. In cujus conspectu adstantes, flexis genibus, operimentum illud quo tegebatur ex eorum manibus, a quibus devolutum fuerat, acceperunt; quod ad inferiorem altaris usque partem protrahentes, venerandum et adorandum illud Corpus omnino discooperuere: adeo ut super aureum illum pannum jacens et extensum, omnium oculis visibiliter exponeretur. Manus et pedes paululum tenebat sursum; et ita disponebantur, ut fixura clavorum appareret, una cum sacri lateris vulnere: quæ plagæ ita vividæ sanguinolentæque erant, ac si eo ipso die et eadem hora inflictæ fuissent. Regalibus insigniis decoratus Sponsus in thalamo, quam in opprobrium acceperat et derisum, spineam coronam in capite gestabat.

Interea Beatricem, oratiunculas Christo Salvatori offerre desiderantem, piissimus Sponsus amabili prorsus suavitate allocutus est his verbis: « O charissima filia mea, dilecta Sponsa, confidenti corde ac omni prorsus abjecto timore accede, et aspice me, qui te ex nihilo procreavi et formavi, tuumque agnosce Salvatorem. Et ex his quæ perspexeris, diligenter et attente considera quæ et quanta, et quam gravia fuerint tormenta, quæ pius Creator tuus verusque Dei Filius pro te et omni genere humano perpessus est. Qua pensata et ponderata veritate, multo plura, quam expetere possis et exquirere, facile reperies. »

Tunc vero illa respondit: « Ha! Domine, mi Deus verusque Redemptor, mihi certe non datum est absque gratiæ tuæ auxilio, rimari, scrutari vel penetrare altissima judicia tua. Sermonum tuorum arcana me penitus ignorare confiteor. » Cui ille inenarrabili vocis suavitate subjunxit: « Efficiam ut secreta, quæ te modo latent, tibi alio tempore manifestentur. Nunc vero quicquid volueris, a me libenter postula, teque confide facile impetraturam. » Porro Beatrix tanto benignitatis attracta testimonio, multa ab eo requisivit; quæ statim obtinuisse plurimum gavisa est. Insuper fratris sui libertatem a Domino petiit: cujus quidem oratio fuit exaudita. Protinus disparuit visio. Castissima Virgo fratrem suum libertate fuisse donatum audivit. Cujus quidem e captivitate solutionis diem et horam attentius discutiens, tunc eum recognovit ab hostium manibus effugisse eo ipso instanti, quo Dominus Jesus votis ejus annuerat.

Altera vice, post Completorium cum decumberet, necdum tamen oppressa somno, videre sibi visum est animam suam inter Cœlites conversari, quorum infinita pene multitudine circumfusam se putabat. Tantaque venustate et gratia superni illi Cives resplendebant, ut

cuncta quæ sub sole sunt,ipsiusque solis fulgor,vilescerent præ cœlestium Spirituum pulchritudine et decore. Hæc tamen omnia non corporis sed intellectus oculis contemplabatur; quos postmodum in se ipsam retorquens, non humanum corpus, sed putridum quoddam cadaver deferre secum existimabat. De hac visione nihil aliud manifestavit, asserens impossibile sibi esse comprehendere intellectu ac verbis exprimere magnalia Dei et arcana quæ loqui non licebat, et enarrare mirabilia,quæ in hoc glorioso et splendescenti Sanctorum cœtu a Domino manifesta fuerant.

Cum incruento Missæ Sacrificio adesset, sæpissime inter manus sacerdotis sacrosanctam Hostiam in altum sublevantis, puerum Jesum incredibili pulchritudine, splendore, candoreque niveo coruscantem conspexit. Verum diu visionibus his a Domino dignata, cum semetipsam respiceret, ex innata animi humilitate, omni non modo se virtute destitutam, sed etiam sceleratissimam omnium peccatricem existimans, cœpit cogitare intra se quales essent hujusmodi apparitiones. Veritaque ne a dæmonio deciperetur,multumque pavida, Dominum deprecata est, ut iterum inter Missarum solemnia pretiosissimi Corporis ejus conspectu suavissimo potiretur. Ab illo tempore vidit sacratissimum illud Divini erga nos amoris pignus, sicuti eminus apparet imago quædam super membranam depicta: incredibili tamen et inenarrabili luce et fulgore circumfusum. Quam quidem visionem clarius interrogantibus exprimere non potuit. Demum non secus ac cæteri Hostiam conspiciens Sacro intererat, quamvis statis quibusdam diebus inter manus presbyteri lucem cerneret splendidissimam.

Quodam Adventus tempore, gravi timore perculsa est. Se se enim a Deo derelictam et a facie oculorum ejus ejectam arbitrabatur, quia consuetis devotionis inter orandum sensibus non afficiebatur. Et quia instabat dies Nativitatis Dominicæ, ideo dolore vehementiori cruciabatur. Duobus diebus Natale Christi præcedentibus, in ipsa etiam Solemnitate, post accuratam et diligentem peccaminum suorum perquisitionem, et post lustratas conscientiæ suæ rimas, ante sacrum Pœnitentiæ tribunal se sistit; ubi, per Confessionem expiatis omnibus humanæ fragilitatis inquinamentis quibus divinum Numen offendisse autumabat, nec dum tamen tanto epulo dignam se rata, ad venerabile altaris Sacramentum accedere tremebunda non præsumebat. Eo ipso tempore, quo reliquæ moniales ad aræ gradum pergebant ut Dominicam Cœnam manducarent, ipsa sola remansit in sua sede: summo mœrore oppressa, et velut tota in lachrymis defluens. Tanta insuper anxietate agitabatur, ut crederet jam animam suam e corpore dissolvendam esse.

Has inter mentis angustias, cogitabat

Sorores suas Divinum illum Hospitem excipere, dum ipsa interim in tam solemni Festo, quo Redemptor mundi Christus Jesus mortalitatem nostram induere voluerat et nasci in mundo, ipsa, inquam, non auderet, pro gravi peccatorum suorum multitudine, Angelorum Pane refici et saginari. Hos inter varios cogitationum fluctus, dolori suo remedium afferre conabatur, secum ipsa revolvens pelagus immensum miserationum sui Conditoris. Nec incassum sane; nam spe plena intra se dicebat : « Misericordiarum Domini memorabor, et ad paterna charitatis ejus viscera confugiam. » Itaque ab eo enixe postulans, ut suam illi manifestaret voluntatem, et quid gratius esset suæ divinæ Majestati indicaret : an sacram perciperet Synaxim, vel ab hoc abstineret Epulo? statim tam vehementi sanctæ Communionis desiderio exæstuat, ut parum abfuerit quin, antequam attingeret altaris gradus, omnino deficeret.

Percepto pretiosissimo Redemptoris nostri Corpore, dum sedem repetit, sentiens Hostiæ particulam in ore suo remansisse, conscientiæ scrupulo timoreque agitatur. Interea frustra nititur illam particulam deglutire : quo pacto, ad sedem reversa, præ dolore lachrymarum ingentem copiam effudit. Postea vero cœlestis Alimenti portio, quæ in ore ejus fuerat residua, succrevit adeo, ut totum illius os adimpleret. Unde factum est, ut pene suæ mentis impos, totis viribus conaretur illam absorbere, vel etiam admota manu extrahere. At vim quamdam superiorem a tergo sentiebat, quæ conatus ejus omnes irritos redderet ac impediret. Porro saporem carni et sanguini similem ex hac particula experiebatur.

Inter petitionum et precum instantiam, quibus in corde suo Cœlum fatigabat, hoc unum potissimum deprecabatur, quatenus aut illam de corpore mortis hujus ad meliorem vitam evocare, aut saltem anxietati et dolori solatium afferre dignaretur. Dum has preces funderet in conspectu Altissimi ex toto mentis affectu, ecce subito Hostiæ portio, quæ ori ejus adhæserat, deorsum tendit, nihil ea cogitante, usque dum pervenit ad cordis penetralia. Tunc vero Beatrix tanta consolationis dulcedine repleta est, ut illam continere vix posse fateretur: qua quidem mentis voluptate usque ad Sacrificii consummationem, et multo post etiam, potita est.

Ab illo tempore usque ad horam qua sanctimoniales refectorium ingrediuntur, Dominus noster Jesus Christus ei multa arcana patefecit, quæ nulli unquam mortalium Beatrix voluit aperire. Notum tamen postea factum est, in tam sublimem rerum Cœlestium contemplationem provectam fuisse, ut has voces Psalmographi sibi vlndicare non immerito potuisset, *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum.*

Ad se tamen paulo post reversa, animadvertensque se abesse a refectorio, id a Priorissa et cæteris Sororibus in tanta

Solemnitate reprehendendum esse existimavit. Quamobrem protinus petiit intrandi licentiam. Qua obtenta, dum mensæ assideret, modis omnibus aliquid cibi sumere conabatur, ne Sorores suspicarentur aliquid ei insolitum accidisse. Sed neutiquam potuit; adeo ut buccellam panis, quam in os ingesserat, statim extrahere coacta fuerit : quæ ei insipida penitus fuit et insulsa, non secus ac si terram comedisset. Finita gratiarum actione usque ad Nonæ pulsum, toto illo temporis spatio in altissima contemplatione absorpta permansit : Domino nostro Jesu Christo pro sua pietate tanta illi manifestante mysteria, tantisque visionibus et mentis excessibus Sponsam suam recreante, ut cum Apostolo dicere potuisset : *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit... etc.*

Toto trium Dominicæ Nativitatis Festorum decursu, his prædulcibus mentis consolationibus fruita est, licet in sola Nativitatis die apparitionibus dignata fuerit a Domino. Ex tunc cor ejus magis ac magis amore Divino inflammabatur : adeo ut præ dilectionis vehementia vix ullum cibum aut quietem capere posset. Ipsa feria Natalis quarta, nescio quid interius ei accidit, quod ipsi displicebat. Protinus internum illud gaudium quo perfundebatur evanuit; et in pristinum statum Beatrix restituta, de die in diem proficiebat in amore Divino.

Tot donis ac gratiarum beneficiis a Divina largitate adaucta, per duorum annorum spatia nihil accepit singulare; licet, in pietatis exercitiis perseverans, iret de virtute in virtutem, et in timore Dei et in conversatione religiosa magnos progressus faceret. Defluxis hisce duobus annis, a festo S. Antonii usque ad secundam Quadragesimæ hebdomadam, singulis diebus ad vesperam et in concubia nocte Dominus Jesus sua illi arcana revelabat : sed profunda adeo et occulta, ut, cum aliquando Beatrix manifestaret hæc alicui, eorum subito, divina sic permittente Sapientia, qui audiebat oblivisceretur; quia ea forte capere non inveniebatur dignus.

Insuper per revelationem cognovit adventum Jesu Christi Salvatoris nostri, ejusdem Passionem acerbissimam, gloriosam Resurrectionem, et Ascensum in Cœlos plane admirabilem, ejusque receptionem ad dexteram Dei Patris. In his mysteriis tam sublimia, tam excelsa, tam incomprehensibilia vidit, ut nullus sit, qui intellectu mentis suæ, quantumvis eruditus et doctrina præstans, sine adjuvantis Sancti Spiritus illustratione assequi ea vel intelligere ullo modo possit.

Per id temporis enodatum illi fuit duodecim gemmarum ænigma, quibus exornatus erat aureus ille pannus, de quo supra fecimus mentionem; quomodo etiam id intelligebatur, quando illi dictum fuit, ut in Creatorem suum respiceret, verum agnosceret Salvatorem, diligenterque sublimitatem, altitudinem, profunditatem et latitudinem

dolorum ac suppliciorum Dominicæ Passionis recogitaret. Illud præterea, quod antea audierat, edocta est, quod, cum hancce veritatem perpenderet, multo plus luminis et spiritualium divitiarum in hisce thesauris, quam expetere posset aut desiderare, procul dubio exhauriret.

Harum igitur revelationum solatio jucundabatur, a prædicto S. Antonii festo ad tempus usque supra memoratum, quæ diversis ei modis proponebantur : in eo felici statu manens ab hora Completorii, qua se se in lectulo componebat, ad sequentis usque diei meridiem. Utrum autem de Cœlitum gloria, nisi tantummodo per noctis unam horam aliquid conspexerit, incompertum est. Reliquum vero tempus, a matutinis Officiis et deinceps usque ad exorientis Auroræ lumen, tanta consolatione affluebat præ revelationum voluptate, ut absque sensu corporeo degere sibi videretur.

Verum, ut tristia lætis succederent, contigit ut, postquam Divinarum rerum Cœlestiumque apparitionum conscia facta fuisset, alternante die, tam horrendis imaginibus tantisque doloribus affligeretur, ut vix possint enarrari, vix exprimi. In his constituta molestiis et angustiis, hesternarum visionum gaudiorumque Cœlestium pene oblita, devenisset in suæ salutis desperationem, ni statim Beatorum felicitatem infinitumque divinæ Bonitatis thesaurum in mentem sibi revocasset. Hac salubri cogitatione sentiebat incredibile fidei, spei et charitatis augmentum.

Inter illos perturbationum et horribilium visionum fluctus, vidit etiam, sed sub speciebus diversis, varia et atrocia tormentorum genera, quibus impiorum animæ in Inferno diversimode cruciantur : quia juxta peccatorum malitiam, plagarum et suppliciorum modus erat. Novit imprimis iratum Numen improbas mentes conterens et redigens ad nihilum. Vidit etiam propter infinita Christi merita placatum Deum iras continentem, vindictæque fluctus et miserationes suas in homines effundentem pleno sinu. Conspexit Beatissimam Virginem Mariam, Mediatricem humani generis, viscera, quæ Natum gestaverant, exhibentem ; ubera, quæ lactaverant Infantulum, monstrantem æterno Patri : quo ipsum hominibus conciliaret, propitiumque redderet et amicum. Apparuit insuper Filius Dei irato Patri Passionem, mortem suam, vulnera, clavos, lanceam, spineum diadema, sanguinis effusionem aliaque Passionis instrumenta objiciens. Vidit Beatrix Deiparam precibus suis placabilem Filium suum erga facturam suam reddentem, ipsumque Christum Patri suo peccatores reconciliantem per sacratissimæ Humanitatis suæ Cruci affixæ merita.

Tales igitur et mirandæ prorsus erant Beatricis visiones, sicut et aliæ multæ, quæ nos latent : ita tamen, ut dulcia cum amaris miscerentur, et suavitatem jucunditatemque revelationum excipe-

rent spectrorum formidines, horrendæque æternarum pœnarum imagines subsequerentur.

His subjungam grande miraculum, quod infinita Dei bonitas in honorem hujus Virginis, et aliarum duarum nostri Ordinis monialium, patrare dignata est. Beata Beatrix nostra duabus sanctimonialibus (quarum nomen ignoratur) comitata, cum aliis quibusdam, ex Ordinis mandato, e Domo Permaniæ delegata [al. directa] fuit ad novam Instituti Cartusiensis Domum *d'Esmue* construendam. Unde paulo post ob frequentiam nimiam hominum sæcularium recedentes, se se ad Permaniæ parthenium recepere, præter tres præfatas Sorores ; quæ in supradicta Cartusia d'Esmue usque ad obitum in Dei famulatu perseverantes, ibidem in cœmeterio sepulturam nactæ sunt.

(Notandum autem primo est, quod Permaniæ Domus fundata et ædificata olim fuerat a Fulcone episcopo Gratianopolitano, qui etiam septem moniales Pratimollis e monasterio suo extraxerat, ut illam novam eremum inhabitarent. Hæc Domus sita est juxta Tullinum ; sed modo est deserta. Notandum secundo, quod parthenium d'Esmue, relictum quoque, modo Prioratui S. Roberti prope Cornillon incorporatum est ; cujus etiam Cartusiæ redditibus hic Prioratus potitur.)

Porro non multo post, contigit (Deo omnipotente secundum beneplacitum suæ voluntatis ita disponente) ut sanctimoniales quædam Permaniæ divinitus revelationem accipiunt : quam declararunt Priorissæ et D. Rufo Vicario ejusdem parthenonis, Vallis bonæ professo, qui postea Domum Sanctæ Crucis incoluit. Hæ moniales sic a Domino per visionem admonitæ, multis de causis affirmant expedire, ut trium sanctarum monialium ossa exhumata, in hanc Permaniæ Cartusiam transportari curarent. Domnus Vicarius mandatis Divinis necesse obtemperandum conspiciens, non sine magno labore ac periculo pergit ad locum vulgo dictum d'Esmue. Renuentibus incolis, acriterque resistentibus ne sacra pignora alibi deferrentur, causantibus id nefas esse absque Episcopi Valentini licentia ; omnia tamen belle cesserunt, prout divina Providentia ordinaverat. Vicarius namque sacrarum Virginum Reliquias cum ossibus Domini de Tullins et aliorum humo extraxit, illasque conclusas in sacculo Asina, hæc vero jumento superimposuit ; festinansque remeavit ad monasterium.

Cumque portum vulgo de *Tèches* attigisset, ibidem duos equites Domini Delphini reperit ; qui ibi mane primo expectantes usque ad meridiem, ultra progredi non potuerant, prærupta fluvii ripa propter triduanas, quæ superabundaverant, pluvias. Ibi Vicarius cum illis pransus, persoluto antea de more divino Officio, coram Sanctarum Reliquiis stetit : illas suppliciter exorans, ut, si ad Domum Permaniæ transportari

desiderarent, a Deo suis meritis impetrarent aquarum diminutionem, quatenus absque ullo vitæ suæ periculo inundans flumen trajicere posset; sin minus,ad locum unde exhumatæ fuerant revertens, ibidem sacra ossa rursum deponere cogeretur, cum ipse, pecunia sibi deficiente, ibidem diutius demorari non valeret, aut iter longius ingredi.

Interim augescunt pluviæ. Spe tamen plenus Vicarius asinam et jumentum onerat, ad amnem exuperantem tendit, dum omnes de ejus salute conclamant ob imminens vitæ discrimen. Jubet interea comitibus suis, ut asina sacris exuviis onusta præcederet. Quo facto, ita decrevit fluvius, aquis per hiatus diffluentibus in terræ penetralia, ut pene exsiccaretur. Transnatant flumen. Equitesque ad tale prodigium stupent. Qui vix ad alteram ripam pervenerant, cum ecce subito exundant ut antea aquæ, et extra alveum effunduntur.

Prope Tullinum dum pergunt iter, occurrit alius amnis e montibus emanans; qui ripam suam prætergressus præ ingenti imbrium copia, arbores stipitesque evulsos sua rapiditate, et quicquid habebat obvium, longe transvehebat. Ibidem tria plaustra sale referta consistebant, quæ nequibant trajicere fluvium. Sed ad mandatum Vicarii, præcedente asina, idem, ut superius, ad testificanda Virginum merita miraculum patratum est.

Eo ipso die ad alium rivulum perveniunt, cujus aqua trabalem ponticulum dejecerat. Proprio motu ab itinere asina deflectens, aliam secuta est angustam semitam, ad vineas ducentem. In qua tantillum progressa, statim primum iter repetiit; et ad rivulum accedens, ab eo, verberata licet, nunquam voluit divertere. Quo viso, Vicarius dixit circumstantibus, ut circum quærerent; statimque ingentem tabulam ab aqua in dumetum projectam reperiunt: qua quidem super flumen transposita, sponte asinam antecedentem tute secureque omnes subsecuti sunt.

Aliud miraculum, ex Epistola quadam excerptum, libet hic subnectere. D. Henricus de Salins, Prior Boni loci, vir probatæ fidei et perfectæ admodum conversationis, ex quodam audivit subsequentia. Quæ etiam affirmat D. Joannes de Pomerens, professus Vallis clusæ, per id temporis (cum hoc prodigium contigit) in Domo Permaniæ habitans.

Cum beata Beatrix se se per Quadragesimam variis pœnitentiis macerasset, et ob amorem Jesu Christi in ejusque Passionis memoriam plurimis austeritatibus afflixisset suam carnem, appropinquante feria Parasceves, ita fuit attenuata jejuniis et mortificationibus, ut vires ipsi deficerent. Quæ cum Priorissæ innotuissent, statim Beatricem monialis cujusdam prudentissimæ curæ commisit, quo Virgo sancta, in cellula singulari conclusa, pietatis et orationis exercitiis vacaret liberius, utque, constituta sub alieno regimine, suis macerationibus modum imponeret. Igitur

ante Matutinas prædictæ Parasceves, gravi somno Beatricem oppressam Soror quæ curam illius habebat conspiciens, foribus sera obductis, pergit ad antelucanas preces in ipso Officii exordio. Verum paulo post expergefacta Beatrix audit Sororum psalmodiam ; rataque indignum stertere et in lecto lascivire, dum Jesus Christus Salvator noster spinis redimitus in Cruce affigeretur, Sororem advocat. Cumque matutinis Horis eam interesse animadverteret, exilit e cubili, et ad Beatam Virginem Mariam confugiens, his verbis ipsam exoravit :

« Suavissima benignissimaque Domina, Mater rerum omnium Creatoris, qui, ut homines reficeret, in hac die acerbissimum Crucis supplicium lubens subire voluit ; tuque Domina misericordiarum, cujus animam pertransivit gladius, dum juxta Crucem Unigeniti tui dilecti stares : oro te et obsecro in memoriam summæ compassionis, qua erga Jesum Filium tuum affecta es, et si quid in tuo famulatu Majestati tuæ acceptabile egerim, ut digneris, eo modo qui Filio tuo magis expedire videbitur, me in ecclesiam, ubi Sorores Divinis vacant laudibus, deducere. »

Hic dictis tabellam Deiparæ per angustum portæ foramen transmisit foras, subjunxitque hæc verba : « Benignissima Domina, nunc mihi constabit, utrum velis me solam hic remanere. » Vix dixerat : ecce subito januis clausis e cella egreditur ; repositaque per foramen imagine, chorum ingressa sedem suam occupat. Stupet ad hoc miraculum Priorissa cum monialibus, ex quibus nonnullæ ad cellam accurrunt, effractas fuisse fores suspicatæ ; at portas referunt esse obductas. Unde a Vicario et Priorissa in virtute obedientiæ interrogata, jussaque enarrare rem, quemadmodum hic retulimus id sibi contigisse Beatrix affirmavit : attonitis et mirantibus omnibus.

Porro hæc dilecta Christi Sponsa, meritis dives, ad Cœlestem patriam evolavit die vigesima quinta Novembris.

SYLVESTER A MONTEBELLUNA

PRIOR MONTELLI

De quo Chronicon Domus Montelli agit his verbis : « D. Sylvester a Montebelluna cum esset Prior Domus Vallis Pisii, ibi multa gravamina passus pro defensione veritatis Catholicæ tempore schismatis, et absolutus ab illa Domo, cuncta tulit æquanimiter. Electus tandem, anno 1412, in Priorem Domus Montelli, senio confectus et ærumnis, mortis suæ prescius, in Vigilia S. Catharinæ virginis et martyris, compositis rebus domesticis cum Procuratoribus, dixit : « In tali natus festivitate, laqueis me tradidit mater; et in tali festo cupio dissolvi et esse cum Christo. » Quod ipsi feliciter contigit. Nam postera die Sacramentis devote perceptis, placide expiravit, anno 1411.

Ex Chronico Domus Montelli.

JOANNA DE S. JULIANO

PRIORISSA SALETARUM

In hoc parthenio Cellerariæ primo, deinde Subpriorissæ munus obiens, ea virtute præcelluit, ut anno 1620, postquam Micheleta de la Blache (*seu* Michaela de Lemps), hujus cœnobii Antistita, ob venerandam canitiem et diuturnas infirmitates exauctorata fuisset, communi monialium calculo in ejus locum fuerit suffecta. Non descivit Joanna a Micheletæ sanctitate; sed ejus vestigiis semper insistens, ea cum laude gessit Prioratum, ut ambulans sine querela, nunquam a rectitudinis tramite deflexerit. Unde Justæ nomen sibi adepta est : quam justitia commendavit semper, nulla penitus sui, nulla affinitatis habita ratione vel acceptione.

Multum erat sollicita circa divinum Officium ; et quamvis interdum variis infirmitatibus laboraret, per multos annos nunquam vel semel a Nocturnis abfuit. Rebus intenta spiritualibus, sapienter etiam solerterque providebat temporalium administrationi. Cumque diu moniales, regularis disciplinæ lapsu, extra monasterii septa deambulassent, tandem aliquando, anno 1624, se se intra Domus claustra continuere : quod quidem Joannæ zelo et observantiæ monasticæ studio est adscribendum. In magna etenim veneratione erat apud hujus Gynæcei Sorores ; quæ Joannam tanquam virtutum omnium exemplar suspiciebant. Hujus charitas se se in omnes effundebat, præsertim autem in ægrotas, quibus omnia Christianæ pietatis exhibebat officia.

Anno 1634, Rhodanum extra ripas in hoc cœnobium effluentem repressit aqua lustrali : sicque orationum suarum efficacia Domum hanc liberavit ab eluvione.

Diu ante mortem suam virtus Joannæ fuit probata in camino tribulationis. Nam molestis acerbisque morbis examinata, nihil de primigenii spiritus fervore dimisit. Cumque jam impar esset conventualibus muniis, quantum licebat sibi per infirmitatem, bajulabatur ad ecclesiam ; festivisque diebus in Capitulo, flexis genibus, petebat a Sororibus veniam, quod tam negligenter tamque tepide suo fungeretur officio. In his patientiæ et humilitatis exercitiis sancte cursum suum absolvit, anno 1646, 25 Novembris.

JOANNES LOTLEY

PRIOR COLONIENSIS

Vitæ admodum regularis exemplo suis, imo et Provinciæ Rheni, cujus erat Visitator, præfulgens, quamdiu ibidem et Erfordiæ Priorem egit; etiam post mortem in suæ sanctitatis testimonium fuit coruscus. Nam cum sepeliendus esset, radios emisit defuncti caput. Et qui mortuo justa persolvebant

extrema, hæc Christianæ pietatis exhibebant officia non in luctu, ut assolet, sed in jubilo, et in voce exultationis : rati se parentare optimo parenti, jam in Cœlis intercedenti pro filiis. Annus 1686 luctuosus fuit Cartusianis Coloniensibus ; nam in una septimana, quinque in hac Domo mors præripuit. Quorum unus Joannes Lotley diem extremum clausit.

XXVI DIE NOVEMBRIS

HENRICUS DISSEN

VICARIUS COLONIÆ

Hujus Elogium extat in Chronico Cartusiæ Coloniensis his verbis :

« Henricus Dissen, natione Westphalus, patria Osnaburgensis, natus est anno Salutis 1415, 18 Octobris. Qui, postquam indefesso studio Philosophicas atque Theologicas literas Coloniæ, sub professore D. Henrico de Gorrichen Theologo ejus ævi celeberrimo, feliciter didicisset, Deo se in Ordine nostro sacravit. Atque ad formam Ordinis nostri formatus, anno 1437, die 14 Januarii, publicam professionem emittens, vixit deinceps semper in hac eadem Domo usque ad obitum, devote admodum atque laudabiliter : vir in legendo, scribendo, orando, aliisque piis exercitiis supramodum laboriosus. Et primo quidem institutus Sacrista, deinde Vicarius anno 1457, 23 Martii, in utroque munere idoneum se fidelemque ministrum præbuit usque ad mortem ; quam, plenus dierum bonorumque operum, piissime obiit, anno 1484, die 26 Novembris, ætatis anno 70. »

Henrici Dissen meminit Petræus in sua Bibliotheca Cartusiana.

ANTONIA DE LAURASIO

PRIORISSA SALETARUM

Cujus memoriam celebrat Charta capitularis anni 1552, brevi quidem sed honesto multum hoc Elogio : « Obiit Soror Antonia de Laurasio professa et Priorissa Domus Saletarum, quæ laudabiliter et religiose vixit in Ordine septuaginta quinque annis, habens Missam de B. Maria per totum Ordinem. »

Ejus meminit Franciscus Ganneron ad diem 26 Novembris.

JOANNES MAZZA

MONACHUS NEAPOLIS

Hujus Elogium nobis submissum est e Cartusia Neapolitana his verbis :

Joannes Mazza, Hipponensis, mona-

chus professus hujus Domus, cum adhuc esset juvenis necdum septimum decimum ætatis explesset annum, vacans sanctionibus Augustini amore silentii et solitudinis, omnia arbitratus ut stercora, sæculo, feudis, ac bonis paternis, quibus abundabat, pro Christo relictis, monachatus habitum suscepit : virgo permanens, omni puritate et integritate excellenter ornatus.

Silentium et solitudinem adeo ardenter coluit, ut 50 annis nec monasterium nec cellam mutaverit. Vineam et viridarium parvulum, diversis arboribus çonsitum, sibi manibus propriis plantaverat, foderat, et opportunæ culturæ providerat. Ex quorum fructibus monachis distribuens, singulis aiebat : *Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum.* Latino enim semper utebatur eloquio, studio brevitatis. Tantæ erat simplicitatis et puritatis, ut infans absque macula videretur. Tantæ præterea fuit abstinentiæ et parcimoniæ, ut non nisi semel tantum in die comederet, nunquam pitantia, vino, vel caseo aut ovis usus. Cibus ei panis erat et fructus. Ficus amabat et mel. Refectorio semper interfuit, non comedendi causa, sed ut Divinas Scripturas, quibus Ordo noster utitur, posset audire. Oculos ubique clausos habebat.

Vitam usque adeo tetricam agebat, ut modum excedere videretur. Conabatur enim superare naturam. Et cum multas noctes transiret insomnes, a somno superabatur in claustro, vel ante fores Ecclesiæ; ibique soporatus jacebat, donec Sacrista surgeret et pro Matutinis pulsaret campanam. Una tantum tunica et cuculla utebatur ; nudus fere et discalceatus etiam hyemis tempore incedebat. Raro mutabat cilicium, putans cum beato Hilarione non munditias in cilicio quærere. Porro tam jugiter orationibus intendebat, ut diem sæpe in his conjungeret nocti. Singulis autem diebus sacram Hostiam in Missa Deo Optimo Maximo offerebat : quam per multos annos dixit de Domina, postea de Sanctissima Trinitate. In ipsius Missæ celebratione sæpius in contemplationis excessu rapiebatur. Crura ejus nigra et quasi arida præ frigore erant.

Carolus V, Romanorum Imperator, cum esset Neapoli post cœptam Tunetis civitatem, in qua quatuordecim millia Christiani captivi libertate donati fuere, tanti Patris audiens celebrem vitam, voluit eum videre. Quem cum vidisset ejusque manum osculatus esset, nimia lætitia affectus, in cella familiariter se dans, multa ei locutus est. Retulerunt, qui tunc aderant, quod ipse Joannes rogavit Imperatorem, ut secure pergeret in Germaniam ad extirpanda Lutheri semina, et de Dei misericordia confidens, sciret se de inimicis certam reportaturum victoriam. Promisit hoc Cæsar, et se suis commendans orationibus, humiliter petens benedictionem, abscessit. Rogabat jugiter pro Cæsare Joannes ; et tandem in Germania me-

morabilis illa victoria secuta fuit. Nihil gratiosius, nihilque jucundius Joannes noster audire poterat, quam Christianos contra Hæreticos et sanæ doctrinæ corruptores, ut ipse dicebat, victoriam obtinuisse. Petebat hoc a Domino, et quidem cum lachrymis; aut intima trahens suspiria, libere fatebatur. Geminata iniquitas misericordiam exinanivit.

Anno Domini 1570, D. Joannes de Austria, Caroli V filius Regisque Philippi frater, classis Christianæ Generalis præpositus a Prorege Neapolitano (amplissimus enim Cardinalis Granuela tunc fuerat), hujus nostri Joannis mores, vitam et sanctitatem percipiens, perrexit ad Cartusiam ipsum Patrem visurus. Cum quo tantam contraxit familiaritatem, ut ab eo sacrum Eucharistiæ Sacramentum acciperet quam devotissime, et sæpius secum colloquia faceret et haberet. Et recedere volens, ipse Serenissimus Princeps petiit humiliter benedictionem. Cui benedixit Pater, dicens : « Benedicat tibi Dominus ex Syon, et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ. Det tibi secundum cor tuum, et omne consilium tuum confirmet. Eruat te de manibus inimicorum tuorum, et de manu contra legem agentis et iniqui. » Et sic signando eum signo Crucis, ait : « Crescere te faciat Deus meus atque multiplicet, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. »

Fatebatur illustris Marchio S. Crucis, qui tunc aderat, quod ipse Pater apertis verbis prophetavit de victoria obtinenda, et de multis, quæ D. Joanni de Austria evenere postea. Nec mirum: nam ipsa Dominica die, quæ fuit 7 Octobris, anno 1570, in qua illam memorabilem victoriam habuit populus Christianus contra Turcas, cum ipse Pater de more sacram Missam celebraret, accepto SS. Eucharistiæ Sacramento, extasim passus est, et mansit immobilis, ita ut statua, non homo videretur. Fit interea omnium Religiosorum ac sæcularium in monasterio et castro S. Elmi commorantium magnus concursus, ut quid hoc insinuaret aspicerent. Facto intervallo quasi unius horæ dimidio, Joannes noster magna voce clamare cœpit « Victoria ! Victoria ! Benedicta sit Sancta Trinitas ! » utramque manum elevans in cœlum. Sciscitantibus Priore et monachis quid hoc esset, respondit : « D. Joannes de Austria noster accepit classem Turcarum, et tulit spolia impiorum. Benedicta sit Trinitas Sancta! » Et sic flens præ gaudio, finita Missa, perrexit in cellam suam.

Audiens hoc reverendus Nuncius Apostolicus, capta super hoc diligentissima informatione, misit statim ad Sanctissimum Pium V (manebat enim de S. Patris visione securus), qui multa dedit lætitiæ signa. Et veniens Nuncius e Venetiis de tanta insigni et præclara victoria, respondit : « Nos certiores facti eramus de præcipuo Dei adjutorio. » Et sic deinceps in majori veneratione fuit habitus Joannes noster ab omnibus : quod ipse, quantum poterat, fugiebat.

Reversus D. Joannes de Austria Neapolim, tanta fuit ibi facta lætitia, quanta antea nunquam facta fuisset; et post paucos dies accedens ad Cartusiam, manum ipsius Joannis humiliter osculans, gratias egit de memoria pro se facta in suis orationibus, et per ordinem victoriam illam coram omnibus humanissime retulit. Dum fuit in ipsa civitate Neapolitana, sæpe ipsum Patrem visitare studebat, et sacram Eucharistiam de manibus ejus accipiebat.

Tandem Joannes noster confectus senio, parvaque infirmitate correptus, cum jam Sacra facere non posset, singulis festivis diebus, præmissa devotissima Confessione, sacram Eucharistiam pientissime recipiebat. Medicos, medelas et balnea nunquam voluit. « Deus, aiebat, solus curat dolores. » Appropinquante vitæ suæ tempore, lætior solito effectus, suo indicavit Confessori, quod esset transiturus ex hoc mundo ad Patrem. Et sic de more omnibus Ecclesiæ Sacramentis officiosissime perceptis, Deo gratias agens, dum Passio secundum Joannem legeretur, statim anima illa carne soluta est, anno Domini 1581, die 26 Novembris.

Ferunt multi fide digni crepidam ipsius Joannis nostri, a quodam Canonico S. Petri de Urbe devotionis causa sublatam, in episcopio Neapolis quemdam juvenem a dæmonio vexatum liberasse. Ego novi hominem multos annos. Erat natura mitissimus et benignus, qui privatum suum amorem plane extinxerat, ac in solo Dei amore delectabatur. Nam cum esset dives in sæculo et frater D. Antonii, Prioris Cartusiæ S. Martini et Visitatoris Provinciæ, elegit abjectus esse in Domo Dei, totamque dispositionem suam comparavit ad obtinendam futuram felicitatem Cœlestemque patriam. Omnia siquidem sua ad Dei gloriam ordinavit per vitam laboriosam et arctam, implendo Dei præcepta et consilia semperque ad æternam patriam aspirando : ad quam nos adducere dignetur Dominus noster Jesus Christus, Dei et Virginis Filius, in sæcula sæculorum. Amen.

Hactenus Mss. In Charta Capituli generalis dicitur vixisse in Ordine laudabiliter 56 annos.

JULIANUS DIAZ DE LOYOLA

MONACHUS DE PAULARI

Vir incredibili patientia præditus, qua in doloribus videbatur saginari. Continuæ siquidem molestæque infirmitates amplissimam ei subministrarunt supra memoratæ virtutis materiem. Intercutaneus ardor in lepræ modum per multos annos Julianum cruciavit. Verum cum intus illo igne, quem Dominus Jesus misit in terras, vehementius accenderetur, quasi corpus æneum habuisset, divinum diu noctuque frequentabat Officium, licet morbus ei nulla daret intervalla. Torquebatur aliquando acu-

tissimis calculi stranguriæque doloribus, adeo ut in extrema linea salutis constitutus esset. Adfuit chirurgus, qui partes, quas pudor vetat nominare, incidit. Verum quod aliis maturasset mortem, Juliani fervorem adauxit. Vix enim chirurgus rem absolverat, cum, e lectulo surgens, Canonicas Horas recitavit ea cum animi et corporis tranquillitate, non secus ac si nullum perpessus fuisset dolorem. Pie sancteque decessit anno 1611, die 26 Novembris, professionis suæ anno 42.

Ex Mss. Cartusiæ de Paulari.

DIDACUS RODRIGUEZ

PRIOR AULÆ DEI

Ejus Vitam V. Pater Domnus Antonius Gascon, Prior Aulæ Dei et Cataloniæ Visitator, amicus noster, scripsit patrio idiomate, dum ambo aderamus Capitulo generali anni 1683. Quam hic de verbo ad verbum sic in Latinum sermonem transfero :

Didacus Rodriguez in oppido Arica diœcesis Seguntinæ, in Aragoniæ regno, ex honestissima familia natus, a teneris annis summam pietatem, modestiam et mundi contemptum demonstravit. In Oscensi Academia Philosophiæ navavit operam, Salmanticæ Juri Canonico : Doctoris titulo tandem Oscæ insignitus. Inter eruditiores Aragoniæ competitores ab Illustrissimo Domino, Domino Petro de Aparlaza archipræsule Cæsaraugustano, selectus in Rectorem ecclesiæ parœcialis de Vello, consideransque hocce onus Angelicis humeris esse formidandum, præelegit, Numine divino sic afflante, Cartusiense Institutum, quo suæ ipsius animæ saluti vacaret. Suffragantibus singulis, fuit admissus in monasterio Aulæ Dei, ob notissimæ virtutis meritum, anno 1641, mense Novembri; et anno subsequente, die 27 Decembris, vota monastica nuncupavit.

Præbenda mille scutorum annui redditus reliquit, ut, quo plus in sæculo fuisset dives, in claustro degeret pauperior. Orabat sine intermissione, cœlestium contemplationi addictissimus, semper suspirans ad beatam immortalitatem. Impense etiam Dei Genitricem Mariam colebat. Didaci colloquia erant quasi sermones Dei, qui audientium corda incendebant ad virtutem. Unde nusquam ex ore ejus verbum excidebat, quod læderet fraternam charitatem. Vir tot gratiæ donis ornatus, infima quæque Ordinis obivit munia magna cum humilitate. In Procuratoris et Vicarii officiis semper idem, in exercitiis spiritualibus perseverans semper, ambulans semper coram Deo, haud vulgaria constantis animi exempla dedit.

Anno 1655, Vicarium agens Aulæ Dei, fuit per generale Capitulum institutus in Priorem Scalæ Dei; ubi per quatuor annos multum profuit in utroque statu, usque ad annum 1659, quo per idem

Capitulum fuit translatus ad Cartusiæ Majoricensis moderamen, non minus utiliter per quinquennium. Ex qua Domo per Chartam anni 1664 assumptus ad regimen Cartusiæ de Fontibus, sed eodem anno, mense Novembri, electus in Priorem Aulæ Dei, hoc in officio permansit multum laudabiliter usque ad annum 1670, quo per Capitulum præficitur Cartusiæ Vallis Christi. Quod munus exemplariter gessit usque ad annum 1673, quo iterum a Comitiis nostris revocatus ad Aulæ Dei gubernaculum, tandem anno 1678 in Ordinem redigitur hisce honorificis Chartæ verbis : « Priori Domus Aulæ Dei ad suam magnam et sæpius repetitam instantiam, ac propter senium crebris infirmitatibus obnoxium, fit *misericordia :* cujus labor, in Prælaturis diversarum Domorum Provinciæ apprime impensus, semper fecit eum de Ordine optime promereri. Unde curam ipsius personæ plurimum futuro Domus suæ Priori commendamus. »

Convisitator fuit Cataloniæ ab anno 1667 usque ad annum 1678, bonum sui spargens odorem, ob conversationem castigatissimam. Ambas Hispaniæ Provincias cum V. Patre Antonio Gascon primario Visitatore lustravit.

Quamdiu egit Priorem, observantiæ regularis admodum tenax, diu noctuque chorum frequentavit, cæterisque adfuit Conventualium muniis. In Cellula vero, non secus ac noviter professus, suum tempus impertiebat orationi, spiritualibusque exercitiis. Quando ad monachos in Capitulo habebat concionem, totus æstuabat amore Divino. Porro inter tot quibus effulsit virtutes, præcelluit patientia, quæ perfectum opus habet. Cumque vitæ ipsius occasus splendesceret omni perfectione religiosa, V. D. Antonius Gascon, Prior Conceptionis, illum instituit in Vicarium præfatæ Domus Conceptionis, in hac plantatione novella seminaturum semen bonum strictioris observantiæ. Tres annos Didacus exegit in hoc ministerio, quo plus ad occasum vitæ suæ vergens, radios virtutis spargens splendidiores.

Ad metam tandem, anno 1681, feliciter pervenit, eadem qua vixerat sanctimonia suum absolvens cursum. Lento correptus morbo, tranquillus semper, paceque summa gaudens, cupiebat dissolvi et esse cum Christo. Ad beatam æternitatem anhelans, psalmos in ore versabat, riteque proferebat loca Sacræ Paginæ, quæ eliciebant lachrymas ex astantium oculis. Tandem solutus ex corporis ergastulo, spiritum Creatori suo reddidit, die 26 Novembris, hora meridiana; cujus facies post mortem apparuit tanquam juvenis facies, vel ut melius dicam, tanquam vultus Angeli.

Quamdiu fuit in sæculo, manum suam aperuit inopi; at quamdiu in Ordine nostro præfuit, quantum potuit, eorumdem inopiam sublevavit ardentissima charitate.

Didaci funeri adfuerunt perillustris dominus Dux de Yxar, prorex Aragoniæ, et illustris Marchio de Arica, multique alii Magnates, qui defunctum veluti Sanctum venerabantur. Ejus obitus in Charta capitulari signatur ad diem 27 Novembris. At venerandus Domnus Antonius Gascon, Prior Conceptionis, refert illum ex hac vita migrasse die 26 Novembris.

XXVII DIE NOVEMBRIS

SIMON RELFIUS

VICARIUS MONIALIUM BRUGIS

Professus et Procurator Gandavi; anno 1460 Vicarius Monialium Brugis institutus, cum per viginti sex annos prudenter, sapienter atque religiose parthenium hoc rexisset, ob senium et cæcitatem absolutus ab officio, ibidem remansit. Et post multas infirmitates patienter toleratas, meritorum plenus, obdormivit in Domino, anno 1492, die 27 Novembris.

Ex Chronicis Cartusiarum Brugis et Gandavi.

Vir erat regendi peritia clarus, et ob eximias animi dotes in magna apud omnes existimatione. Quem cum Gandavenses in suum Priorem elegissent, moniales Brugenses, ubi tum agebat Vicarium, prolato quodam privilegio, votis monachorum posuerunt obicem.

PETRUS BALBEY

PRIOR DE FONTIBUS

Anno 1522, die 24 Aprilis, in Cartusia Scalæ Dei habitum monasticum induens, litterás humaniores quibus erat apprime instructus parvipendens, Christum et hunc crucifixum scire tantummodo desideravit. Cujus perfectus imitator, suarum virtutum fragrantia hanc replens Cartusiam, ad moderamen Domus de Fontibus assumitur; ubi vix annum exegerat, cum naturæ debitum persolvit, anno 1548, die 27 Novembris.

Ex Annalibus Scalæ Dei.

PAULUS DERKUM

PRIOR TREVIRENSIS

Eadem qua vixerat sanctimonia, vitæ cursum absolvit hospes in Cartusia Coloniensi, anno 1686, die 27 Novembris. De quo sic nobis scripsit V. P. Joannes Dens, Prior Coloniæ, his verbis :

« D. Paulus Derkum fuit vir inculpatæ vitæ, religiosissime nobiscum conversatus, charitate Dei et dilectione proximi abundans, multam habens in omnibus experientiam; sibi durus, aliis lenis et clemens, propriæ laudis et æstimationis apprime contemptor. Silentii admodum tenax et observantiæ regularis studiosissimus, in divinis Officiis diu noctuque indefessus, mœrentium consolator, reserator dubiorum; vir optimæ conscientiæ, ambulans coram Deo in sanctitate ac justitia omnibus diebus vitæ suæ. Cujus præmaturam mortem (quamvis in senectute bona) omnes deflemus et indolemus, propter multarum virtutum exemplaria, quibus adhuc vivens nobis præluxit. Sed quia chara erat anima ejus Deo, hinc Beatorum sortem tantum abest ut ipsi invideamus, quin potius congratulamur, et intercessorem habere confidimus in Cœlis, quem Confratrem adeo dilectum et exemplarem habuimus in terris. Post cujus obitum in cella Patris nostri Surii alternis choris submissa voce Hymnum Ambrosianum cantavimus, astantibus nobis Patribus Societatis Jesu, qui nobis in tempestate illa tam valida, qua una septimana quinque in Domo nostra ceciderunt, magnam fidelitatem exhibuerunt... etc. »

XXVIII DIE NOVEMBRIS

PETRUS DE CAPELLIS

PRIOR DE MIRAFLORES

Cartusiæ Majoris professus et Procurator, communi omnium suffragio electus in Priorem hujus monasterii, præcelluit zelo regularis observantiæ et studio silentii ac solitudinis. Fuit etiam eruditissimus in utroque Jure : quam ob causam in examinatione et inquisitione actuum quorumdam Hæreticorum, qui in oppido de Briviesca igne combusti sunt, in socium a Reverendissimo Domino Ludovico de Acuña episcopo Burgensi assumptus est. Prioratum tenuit quatuor annis et amplius, diemque extremum clausit anno 1491, die 28 Novembris.

Ex Catalogo Priorum hujus Domus.

BERTRANDUS MOREL

PRIOR MONTIS DEI

Lotharingus, natus anno 1543 in viculo quodam Districtus Virdunensis; traditus literis, non a parentibus, qui plebeii erant et non ita fortunati, sed a cognato quodam germano suo, patris sui videlicet nepote : qui ex monacho

seu canonico Præmonstratensi et abbate S. Pauli Virdunensis ad Episcopatum Virdunensem cessione Cardinalis Lotharingi ascendit, anno 1548. Vocabatur Nicolaus Pseaume, vir religione et eruditione celebris, Juris utriusque Doctor, qui suffragantibus meritis evectus est ad hanc dignitatem ; quique postea Concilio Tridentino (cujus scripsit Historiam) interfuit. Vere magnus Antistes, qui multos libros typis mandavit, multa suæ diœcesis reformavit monasteria, restauravit episcopale palatium. Demum ad beatam immortalitatem migravit anno 1578, de Ordine nostro et de Monte Dei bene meritus.

Hic igitur nostrum Morellum in scholis aluit, primum Parisiis, deinde Coloniæ Agrippinæ, ubi Cartusianos et maxime Laurentium Surium frequentans, iisdem cœpit affici ; cursuque Philosophici stadii abrupto, statuit ibidem indui monastico schemate. Sed cum voluntatem aperuisset, restiterunt Patres, veriti ne Mæcenas cognatus moleste ferret. Cumque importunis iteratisque lachrymis habitum Ordinis quæreret, ei suaserunt ut se transferret ad aliam Domum solo patrio viciniorem. Missus itaque ad Montem Dei, a R. Patre D. Bernardo Carasso ad Ordinem suscipitur, indutus anno 1565 ; et anno altero recurrente, die 15 Septembris, vota monastica nuncupavit.

Paulo post minoribus mancipatus officiis, factus est Procurator. Verum cum ad majora idoneus, candore magis et integritate vitæ quam defœcata experientia et solertia, videretur, cum vix sexennium in Ordine haberet, anno 1572 electus est Prior Montis Dei. Anno 1592, præ solitudinis et vitæ tranquillioris amore ad suas instantissimas preces absolutus, post biennium a R. P. Hieronymo Marchant evocatur ad majorem Cartusiam ; qui, ubi ad hanc primariam Ordinis Domum pervenit, statim Prior Eborensis delegatus est in Lusitaniam. Non pigebit hic subjicere literas commendatitias R.P. Hieronymi, scriptas in Bertrandi gratiam, quarum talis est tenor :

« F. Hieronymus, humilis Prior Cartusiæ, etc... V. P. D. Bertrando Morello, professo Domus Montis Dei, Priori novæ Domus Scalæ Cœli, sitæ in Eborensi civitate regni Lusitaniæ, salutem, etc...

« Quoniam Illustrissimus ac Reverendissimus Archiepiscopus Eborensis, amplissimus Fundator ac dotator dictæ Domus, instantissime petiit, ut eidem Domui suæ præficeretur aliquis Prior Gallus, et simul cum illo illuc mitterentur aliqui, tam monachi quam Conversi et Donati, similiter Galli : ideo Capitulum nostrum generale, ut prædicti Reverendissimi Archiepiscopi et Fundatoris tam pio et ferventi desiderio satisfaceret, vos instituit Priorem dictæ Domus Scalæ Cœli, ad quam præsentium tenore vos mittimus ; vobisque adjungimus D. Odoardum Rainsant comprofessum vestrum, et Fratrem Jesson ejusdem Domus Montis Dei

Donatum. Vobis tribus ob meritum sanctæ obedientiæ injungentes, ut ad dictam Domum Scalæ Cœli accedatis juxta desiderium et intentionem præfati Illustrissimi Fundatoris, vestra religiosa et exemplari conversatione novellas plantationes dictæ Domus excitaturi ad Cartusianæ disciplinæ et observantiæ (qualem in Majori nostra Cartusia vidistis et in vestra Domo Montis Dei servastis) ferventem amorem et custodiam, sicut de vobis confidimus.

« Mandantes, et quatenus opus esset, præcipientes omnibus ac singulis monachis, Conversis ac Donatis in præfata Domo commorantibus, ut vos D. Bertrandum, sibi per Capitulum assignatum Priorem, filiali affectu suscipiant, ament, revereantur, vobisque debitam reverentiam, obedientiam ex animo impendant : copiosum fructum ab Eo percepturi, qui pro nobis obediens usque ad mortem factus est. Commendamus autem vos non vulgari affectu omnibus ac singulis Prioribus et Officialibus Domorum Ordinis, per quascumque vos transire contigerit; ut vos, ex sola obedientia et charitate tam laboriosum et longinquum iter percurrentes, humaniter excipiant, omnique hospitalitatis et fraternæ charitatis officio vos prosequantur, etc... Cartusiæ, die 20 Junii, 1594. »

Alias quoque literas ad V. P. D. Ludovicum Telmum, olim ejusdem Domus Scalæ Cœli Priorem, scripsit, ut cum Bertrando sanctam iniret amicitiam, eique consilium impenderet ac favorem.

« Venerabili in Christo Patri D. Telmo, novæ plantationis in urbe Ulyssiponensi Rectori et Promotori etc...

« Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, Domino Deo et Regi nostro æterno. Et in Eo V. Pater, præsentium lator, is est, qui per Chartam Capituli generalis designatus est Prior novæ Cartusiæ Scalæ Cœli; qui viginti annos laudabiliter præfuit celebri Domui Montis Dei in Provincia Picardiæ, cujus Domus est professus, et multis annis Convisitator ejusdem Provinciæ extitit; qui etiam, propter meritum et amorem obedientiæ, longam hanc peregrinationem in regionem ignotæ sibi linguæ libenter suscepit. Quem per se satis laudabilem et commendabilem ex abundanti vobis commendamus, ut, in quibuscumque vestro indiguerit consilio vel auxilio, ipsi prompte ac charitative assistatis; sicut etiam in promovenda Ulyssiponensis Domus ædificatione ipsius consilio non inutiliter uti poteritis, cum et rerum experientia et ingenii prudentia ac maturitate polleat.

« Insuper Illustrissimus ac Reverendissimus Archiepiscopus Eborensis gratissimum habebit, cum intellexerit vos mutuo invicem amore prosequi, mutuisque consiliis juvari. Quod etiam Cardinalem Serenissimum, et alios vestræ Domus Ulyssiponensis præcipuos promotores, ingratum non habituros confidimus. Et speramus id cessurum

ad Dei honorem, Ordinis utilitatem et omnium ædificationem, eodem Domino præstante, qui vobis et nobis ac universo Ordini nostro abunde benedicat. Cartusiæ, 28 Junii, anno 1594.

Vester Confrater in Domino.

F. Hieronymus. »

Mortuo Fundatore Scalæ Cœli, cum fere tota Domus perfecta fuisset tam in reditibus quam ædificiis necessariis, solitudinis et cellæ tranquillitatem ardentius desiderans, absolutionem petiit ac obtinuit, anno 1606; rediitque in Montem Dei, bajulus subsequentis Diplomatis :

« F. Bruno, humilis Prior Cartusiæ, etc... V. P. D. Bertrando Morelli professo Montis Dei salutem, etc...

« Honestæ et religiosæ petitioni tuæ, qua, post longos annos in regimine Cartusiæ Eborensis laudabiliter et fideliter exactos, restitui sancto otio et tuæ professionis Domui desideras, lubenter annuentes : tenore præsentium, tibi, cum Fratre tuo Converso tui itineris laborumque comiti fideli, facimus licentiam redeundi ad præfatam Domum Montis Dei; cujus V. P. Prior vos omni paternæ charitatis officio excepturus est pro sua summa erga suos omnesque Ordinis domesticos bonitate et humanitate. Rogamus autem omnes Officiales Domorum per quas transituri estis, ut, vobis omnem hospitalitatem exhibentes, viam vestram adjuvent omni benevolentiæ et subsidii genere pro amore Domini nostri Jesu Christi, quem vobis secundum viæ vestræ Ducem optamus. In quorum fidem præsentes solito sigillo muniri fecimus. Cartusiæ, mense Septembre, anno 1606.

F. Bruno, Prior Cartusiæ. »

Quam vero bonum odorem de se Bertrandus in his longinquis regionibus reliquerit, videre est ex quibusdam literis D. Bernardi Gort, Prioris Ulyssiponæ, scriptis ad Priorem Montis Dei, ubi inter cætera sic loquitur :

« Non est extincta memoria obligationis nostræ, qua plurimum huic sanctæ Cartusiæ Montis Dei devincimur; cum præsertim Domus Eborensis hujus Lusitaniæ regni, in suis crepundiis, duodecim fere annorum spatio Moderatorem habuerit V. P. D. Bertrandum Morelli, virum sane omni existimatione dignissimum. Qui non solum laudabiliter præfuit huic suæ Domui professionis annis 20, et multis etiam Convisitatoris Picardiæ officium, antequam huc veniret, prudenter gessit, sed etiam apud nos liberaliter suas effudit virtutes; quas vidimus et experti sumus, et etiam commendatas habemus in Epistola, quam R. P. Hieronymus Marchant Prior almæ Matris Cartusiæ scripserat V. P. Telmo, novæ plantationis hujus Ulyssiponensis tunc primo Rectori, viro etiam insigni sanctitateque præstanti : ut sic in his duabus primis Portugalliæ Domibus præessent hæc duo candelabra, easque sua doctrina

et optimis moribus reficerent et illustrarent. »

Rediit itaque ad Montem Dei, et reliquum vitæ tempus exegit ibidem; mortuusque est anno 1623, die 28 Novembris. Cujus honorabilis mentio habetur in Charta anni 1624 his verbis : « Obiit D. Bertrandus Morel professus et Antiquior, et alias Prior Montis Dei et Scalæ Cœli; qui 58 annis laudabiliter et exemplariter vixit in Ordine, habens plenum cum psalteriis Monachatum et Missam de Beata per totum Ordinem. » Hoc beneficium ei concessum fuerat a R. P. Joanne Michel, et Missa de Beata a R. P. Bruno d'Affringues. Cujus primi exemplar extat his verbis :

« F. Joannes, Prior, etc... D. Bertrando Morel, Priori Scalæ Cœli, etc...

« Cum hactenus, tam in officio Prioris Montis Dei, cui annis circiter 20 præfuistis, quam in Convisitatoris Provinciæ onere, multos labores pro Ordinis nostri decore et conservatione sustinueritis, et novissime longa et periculosa peregrinatione ad regendam Domum Scalæ Cœli, obedientia trahente et zelo salutis animarum invitante, libenter accesseritis; in qua abunde satisfecistis piissimo desiderio Illustrissimi ac Reverendissimi Archiepiscopi Eborensis dictæ Domus Fundatoris ac dotatoris amplissimi, verbo et exemplo inducens monachos ejusdem ad sectandam et observandam veram et genuinam nostræ Cartusianæ Religionis institutionem, qualem in hac nostra Majore Cartusia cæterarum Matre servare vidistis, sicut ex ejusdem Ill. ac R. Archiepiscopi literis sæpius intelleximus : ideo æquum duximus tot et tantos tamque fructuosos labores spirituali beneficio compensare. Ideo, etc... »

Humilitati ita addictus erat, ut vel Novitium in crepundiis Ordinis positum vel virum simplicissimum eum dixisses, licet ætate præpolleret prudentiaque et experientia, necnon in Prioratu exegisset ultra triginta annos, et plures traduxisset in officio Convisitatoris atque etiam principalis Visitatoris, et generalis per universam Hispaniam Commissarius delectus fuisset. Archiepiscopus Eborensis, qui Priorem Gallum a R. Patre expetierat, existimans missurum aliquem, qui probe in Curialium arte foret versatus, nonnihil miratus est, cum primum vidit virum simplicem et candidum. Verum cum per dies aliquot explorasset viri probitatem et prudentiam minime fucatam, eum magis æstimare cœpit; et cum ad R. Patrem scriberet, semper aliquid ad laudem D. Bertrandi interserebat.

Post suam absolutionem, senex effectus, cum pro licentia aliqua supplicaret, tam humiliter voce et corpore se demittebat, ut etiam quivis barbarus eidem, quod petebat, non denegasset. Si quando quemdam ex Fratribus verbo leviori se offendisse arbitraretur, aut coram iis minus ædificativum quid protulisset, statim postquam ad se redierat, quamvis delictum vacaret peccato, pu-

blice vel privatim genibus flexis petebat veniam. Quam etiam humilitatis praxim Priorem agens observabat tenaciter : licet ex hoc ne latum quidem unguem discederet ab auctoritate Superioris, et eodem zelo, quo prius, obvias culpas castigaret.

De pietate ejus erga Deum multi multa noverunt. Perspiciebant equidem illum, etiam difficilioribus implicatum negotiis, præsentiæ Dei jugiter addictum et orationibus jaculatoriis deditissimum. Nocte dieque divinis infatigabiliter vacabat Officiis. Conscientiam rectam et valde delicatam habebat, non tamen scrupulis expositam habebat. Singulis diebus confitebatur. Sacris astabat altaribus cum præcipua reverentia et maturitate, ita ut præsentes ad pietatis flammas accenderentur. Ab illa interiori munditia, exterior illa, in monachis tantopere ab antiquis commendata, emanabat : licet ætate provectiores ea sæpicule careant. In infirmitate ultima, quamvis ex frequenti vomitu aliquid sordis contraheret, noluit per alium quam se ipsum sordes abstergi. Hoc idem toto vitæ decursu, et cum Prior esset, actitabat. Tanta fiducia erat erga Deum et Sanctos ejus, ut ea fretus multa fecerit mirabilia.

Jacebat aliquando Remis (ubi tum monachi a facie hostium fugientes residebant) valida ægrotatione febrium nimium attritus, eo tempore quo negotiis ingruentibus obruebatur. Ad Deum conversus, post brevem sed ignitam orationem, fide plenus, inter ipsos ardores paroxysmi advocavit ad se D. Antonium Ravellum Vicarium ; jubet ut sacras Reliquias, quæ tunc Remis asservabantur, afferat. Quibus in frigidam aquam reverenter immersis, ubi aquam illam epotasset, statim convaluit, perfectæ sanitati in ipso momento restitutus.

Cum pergeret in Lusitaniam, periclitante nave et jam submersioni proxima, simili confidentia armatus, precibus peractis, acceptas quatuor cereas imagunculas (quæ ob impressam agni effigiem vulgo dicuntur *Agnus Dei*) sibi a R. P. Hieronymo in suo discessu collatas, ad quatuor navis latera projecit ; statimque ipsa navis erigitur, totaque tempestas sedata est.

Zelus illius circa decorem Domus rutilabat ; circa vero ecclesiam erat zelantior ; sed circa regularis observantiæ tenorem zelantissimus fervebat totus, ut non abiret impune, si quid perperam fuerat factum. Sed in hoc paulo rigidior visus est circa initium sui regiminis. Quapropter per Chartam anni 1577 « eum Patres Ordinis rogant et obsecrant, ut benigniorem et humaniorem se exhiberet tam subditis suis, quam sæcularibus, maxime quam Nobilibus. » Sic admonitus ita se ipsum correxit, ut alios Priores postea doceret mansuetudinem : ut patet ex ejus literis ad quemdam recens electum Priorem scriptis. « Audiat, inquit, vestra Paternitas non a me, sed mecum simul. Ne

sit vestra Paternitas in principio suæ institutionis nimis rigida, aspera, vel austera, sicut est consuetudo omnium fere Priorum. Sed ne quid nimis ; et medium, sicut dicitur, tenuere Beati. Cogitet quod homines sumus, non Angeli, etc... »

Sermonem fere singulis Dominicis habebat in Capitulo, tanto animi ardore, ut fere omnes ad vocem ejus tanquam ad sonitum tonitrui trepidarent. Vultus ejus majestate plenus erat. Incessus simplex et religiosus, non præceps. Candidus in omni sua conversatione, serius et raro facetus. In omni actione sua, motu, situ, mutatione loci, ad adventum cujuslibet vel accedentis ad se, vel recedentis, sibi et aliis venerabile signum Crucis imprimebat, adjuncta reverentia aliqua, quæ redolebat antiquitatem.

Fuse narrat virtutes Bertrandi Ganneronius noster in Chronico Montis Dei.

DANIEL GRANCHIUS

PRIOR BONONIÆ

Ferrariensis, honesta ortus stirpe. Cum sororcula supra puteum tabulis coopertum saliens lusibus repetitis, emota tabula, in puteum cecidit puer, parentibus tunc absentibus. Qui domum reversi tribus abhinc horis, infantem illæsum et impavidum extraxere, asserentem protectione Beatæ Virginis Mariæ ab omni malo immunem fuisse servatum. Hoc singulari beneficio ejus parentes obfirmati, propitia ei augurati sunt. Quem unicum, tanquam alterum Moysem ab aquis eductum et reservatum ad grandia, apud Patres Societatis Jesu pietate et doctrina instituendum collocarunt. Litteris humanioribus et Philosophia instructus, Cartusianis nomen dedit, vota monastica nuncupans in Domo Bononiæ pro Domo Ferrariæ, anno 1614, die festo S. Magdalenæ, cui fuit devotissimus.

Aspectu decorus erat, statura prægrandi, corpore robusto, summaque præditus morum urbanitate. Sabbatis et Vigiliis solemnitatum Beatissimæ Virginis pane et fructibus victitabat. Suæ autem vocationis æstimator, hanc certis temporibus renovabat coram Deo, multo cum apparatu. Chori amantissimus, ubi primus aderat, neminem omnino propter negotia et sæculares ab ecclesia egredi patiebatur ; cujus vox plenior cantus peritia, multo ibi fuit adjumento, cultumque divinum summopere adauxit.

In Cartusia Ferrariæ maxime habitus est, ob vitam exemplarem. Unde ad Romanam emissus, V. P. Venturæ, Procuratoris Generalis in Curia, extitit Cancellarius et ibidem Vicarius. Dum esset in Cartusia Padulæ omnibus charus, a Capitulo generali præficitur Domui Ferrariæ ; quam benigne et prudenter administrans, instituitur etiam Tusciæ Convisitator. Laboris patiens,

pœnitentiæ, sensuum mortificationi valde deditus, disciplinæ monasticæ, antiquæ probitatis et simplicitatis zelator, opere potens et sermone, silentii, solitudinis ac paupertatis observantiam in se et in aliis solerter promovit. Nunquam otiosus, lectioni, meditationi, scriptioni vacabat.

Post obitum V. P. Luchini, per 17 annos cum multa Religiosorum ædificatione fuit Tusciæ Visitator. Anno 1644, a Comitiis Prior Bononiæ renunciatus, ipse spiritu ferventior et severioris disciplinæ vir, suomet exemplo sartam tectam Statutorum observantiam custodivit; occasiones negotiationum, sæcularium commercia, divagationes Conversorum, caute omnia ejuscemodi adhæsionis vincula, impedimenta perfectionis, amovit. Domi famulo non usus, honeste et commode sibi subditis omnia subministravit; secreta sibi commissa fidissime ac sancte custodivit ; liberalis eleemosynarum distributor.

Anno 1660 in Priorem Ferrariæ electus, postquam annos 50 in Ordine transegisset, attritus morbis, ibidem sancte et tranquille cursum absolvit, anno 1661, die 28 Novembris.

Ex Chronico Cartusiæ Bononiensis.

XXIX DIE NOVEMBRIS

ANONYMUS

CONVERSUS DIESTENSIS

Hujus devoti Fratris meminit Ganneronius noster in suo Martyrologio Cartusiensi ad hanc diem. Cujus Elogium extat apud Dorlandum in Chronico Cartusiensi, libro 5, cap. 17, his verbis :

« Est in Comitatu Lossensi Domus Ordinis nostri, quam divi Joannis Baptistæ nomen exornat. In hac fuit aliquando (uti scriptum reperi) Frater Conversus, vir simplex et rectus, justus et bonus : cujus vita omnis de virtute pendebat. Hic missus pro Domus negotiis ad Hagam Comitis [La Haye], locum in Hollandia quem pro sui illustri fama omnes norunt, a fideli Ordinis amico hospitio reverenter susceptus est. Illic autem paululum demoratus, a peremptoria ægrotatione interceptus, in Domino devotus occubuit. Unde illo pro meritis in Cœlos commigrante, viderunt, qui tunc temporis circa ipsam domum residebant, aliqui animam morientis luce conspicuam a serenissimis Spiritibus in superna deferri, et Christo Domino cum canticis præsentari. Quæ ubi suus, a referentibus, hospes agnovit, compunctus corde est : gratias agens

Deo, quod tam sanctum virum e suo domicilio evocasset ad Superos. Ipse vero post, viduatus uxore, loco defuncti se in Domum illam S. Joannis Baptistæ collocavit, et in diem usque suæ emigrationis pœnitentiam agens, annos suos optimo fine conclusit. »

Hactenus Dorlandus noster; qui cum obierit anno 1507, ante annum 1490 vel 1480 Frater ille Conversus debet floruisse.

MATTHÆUS DE VEGIIS

PRIOR MANTUÆ

Astensis Cartusiæ professus; ob insignem prudentiam, regendi peritiam, vitam exemplarem et eximias animi dotes, admotus regimini Domorum Boniæ, de Paulari, Papiæ, Mediolani et Mantuæ. Cum vigilantissimi Pastoris ministerium implevisset, muniis suis perhonorifice perfunctus, ad vitam immortalem a Domino remunerandus evocatur, anno 1529, die 29 Novembris.

Ex Catalogo Priorum Papiæ.

PETRUS GEINOZ

DONATUS VALLIS SANCTÆ

Anno 1642, die 29 Novembris, spiritum Deo reddidit, ingenti relicta opinione sanctitatis. Erat ille Helvetius, Grueriensis faber lignarius; de quo mihi V. P. Hugo Buat scripsit in hunc modum :

« F. Petrus Geinoz, Donatus Vallis sanctæ, vir bonus et simplex, qui, licet laicus esset et ignorasset literas, habebat tamen ad manum verba vitæ, ac loquebatur quasi sermones Dei. Sibi compilarat exercitia spiritualia ita pie et docte, ac si cunctis diebus scholas Sorbonicas frequentasset. Nec mirum : docuerat enim eum Ille, qui docet hominem scientiam. Tantæ fuit mansuetudinis, ut nunquam ausus fuerit repetere currum et alia instrumenta a quibusdam certis furibus de Altavilla sibi ablata, quamvis ea quotidie videret ante domum illorum, timens periculum temerarii judicii.

« Tanta præditus erat simplicitate, ut, hernia laborans et Coadjutori hujus Cartusiæ de hac conquerens et requirens remedium, dicentique « O Frater Petre, ubi est fides tua? Dicito Puero Jesu, ut te sanet, » continuo ad ecclesiam properaverit, Dominoque simpliciter quidem, sed magna cum fide dixerit : « O Domine Jesu ! D. Coadjutor credit me non habere fidem in te. Eia ! ostende, quæso, quia habeo, et sana me; nisi enim sanaveris, servus tuus inutilis erit. » Dixit, et sanus factus est ex illa hora.

« Diebus Dominicis et cunctis fere festivalibus animam suam pascebat Sacrosancto Christi Corpore. Continua oratione laborem recreabat. Præscripta

ab Ecclesia jejunia, quamvis fere septuagenarius, observabat religiosissime; jejunabat etiam in Adventu et singulis feriis sextis. Omnia de manu Domini placide suscipiebat. Tandem poste abietis obrutus decessit. »

XXX DIE NOVEMBRIS

RAYNALDUS

EPISCOPUS BELLICENSIS

Dictus etiam Reginaldus; vir ætate ac morum gravitate venerandus, doctrina et pietate insignis. E Cartusianorum Ordine et ex magna Cartusia, populo enixe petente, ac Sede Apostolica libenter annuente, assumitur in divi Anthelmi Bellicensis successorem, et in Episcopum, omnibus omnia fausta acclamantibus, anno 1178. Consecratur ab Ebrardo archiepiscopo Bisontinensi, cui juramentum præstitit hac forma : « Ego Rainaldus Bellicensis episcopus subjectionem, et reverentiam, et obedientiam a sanctis Patribus constitutam, secundum præcepta Canonum, sanctæ Vesontiensi Ecclesiæ, et ejusdem Rectoribus, in præsentia Domini Archiepiscopi Ebrardi, perpetuo me exhibiturum promitto, et super Altare manu propria confirmo. »

Interfuit Raynaldus noster, anno subsequente, Concilio Lateranensi, quod sub Alexandro III fuit celebratum. Cumque bonus Pastor commissam sibi plebem ad Christianæ legis præscriptum erudiisset, justitiæ anteivisset exemplis, misericordiæ sublevasset operibus, a Pastorum Principe, cujus vices sanctissime obierat, evocatus est ad justitiæ coronam, anno 1184, die 30 Novembris.

In Indiculo Cartusianorum Præsulum vocatur effusæ sanctæque bonitatis Episcopus. De eo mentionem agunt Gallia Christiana, Samuel Guichenon in Serie chronographica Episcoporum Bellicensium.

STANISLAUS QUINTUS

MONACHUS DANTISCI

De quo sic agitur in Catalogo Priorum Domus Dantisci :

« Tempore hujus Prioris (videlicet Domni Nicolai Berger) vixit et sancte obiit D. Stanislaus Quintus, hujus Domus professus et sacerdos, homo ferventissimus, ab omnibus ut Sanctus habitus. Cujus Vitam impressam vidit in hac Domo D. Erasmus; sed cujusdam monachi negligentia perditam, multum doluit. Fuit autem tanti apud Deum meriti, quod suis precibus impetrave-

rit, ut in omni contagione aut peste hæc Domus nunquam posset infici, etsi ubique circumcirca hoc malum grassaretur. Hoc adeo est notorium, ut etiam Magnates temporibus pestis huc, tanquam ad tutum asylum, se receperint. Obiit religiosissimus ille vir anno 1429, die 30 Novembris, ætatis suæ octogesimo sexto, habens in Ordine annos quadraginta septem. »

JOANNES ORAGINER

CONVERSUS MONTIS HILARIS

Ex oppido Pierensi oriundus. Post multos a professione annos, hydrope laborans, omnibus se se virtutis exemplar exhibuit. Erat enim verborum parcus, deditissimus orationi, insignitus dono lachrymarum ; quo, dum aliquid de Divina in homines bonitate aut de Dei immensitate audiret,totus liquefiebat præ sensu devotionis. Cumque aquæ, quibus ejus corpus cruciabatur, ardentissimam ipsius charitatem extinguere non potuissent, vir patientissimus pie moritur, anno 1612.

Ex Manuscriptis.

JOANNES DE POLANCO

PRIOR DE PAULARI

Patria Burgensis ; nobilissima stirpe, ex qua multi militaris Ordinis Equites prodierunt, ortus, juxta familiæ suæ splendorem enutritus fuit. Primis siquidem imbutus literarum elementis, Salamanticæ petiit Academiam, utrique Juri operam daturus. Ibi suis æqualibus non ingenio tantum præluxit, sed et virtute : a pueritia siquidem educatus in timore Dei, purum se servavit et illibatum inter blandientes sæculi illecebras, et consodales, quorum declinabat familiaritatem, si quid in eis minus honestati consonum deprehenderet. Inauguratus utriusque Juris Doctor, hoc profitetur magno cum plausu.

Verum in hac palæstra tam laudabiliter decurrentem Deus vocavit ad aliud gymnasium, ubi, Divino Spiritu illustratus, multos aliquando erudiret ad salutis scientiam. Utque Joannes profundioris jaceret in semetipso fundamentum humilitatis, Deus qui infirma mundi eligit ut confundat fortia, non in sublimitate sermonis et scientia, sed verborum simplicitate, ad suave Christi jugum amplexandum attraxit. Salamanticæ vir quidam obscuri nominis et parum peritus concionabatur ad populum. Accurrit ad ecclesiam Joannes cum juvenibus, carpendi potius præconem quam proficiendi causa. Interim Spiritus, qui ubi vult spirat, ita dedit voci concionatoris vocem virtutis, ut Joannes commotus fuerit ad pœnitentiam, Excelsi dextera mutatus. Sociis igitur mentis arcanum patefaciens, meliori ductus consilio, reliquam vitæ suæ partem apud Cartusianos Deo consecrare statuit.

Frequentabat nonnunquam ædes Cartusianorum de Miraflores Burgis contiguas; verum noluit in loco suæ patriæ proximo suscipere vestem monasticam: satius existimans, tanquam Abraham alter, sibi egrediendum de terra sua, de cognatione, de domo patris sui. Sæculo, divitiis, generis splendori, natalium prærogativæ, dignitatibus, quæ quidem ipsum mansissent, remittens nuncium, se se recepit ad Cartusiam de Paulari. Exceptus ob eximias animi dotes, tyrocinium peregit, sua virtute longe spem monachorum vincens ac expectationem. Vota Domino reddidit magno cum spiritus fervore, anno 1588, die Maii vigesima sexta.

Brevi spatio temporis evasit in virum perfectum, adeo ut, sparsa ejus religiosæ conversationis fama, Granatenses monachi illum sibi elegerint in Priorem. Quater hoc functus officio in Domo suæ professionis, bis etiam Cartusiæ de Covis præfuit; imo et Provinciæ Castellæ, cujus erat Visitator, ac singularum Hispaniæ Domorum fuit Commissarius. In hoc laborioso munere, Priorem agens de Paulari, evocatus est a Domino ad requiem sempiternam.

Tantis virtutibus excelluit hic pius Pater, ut, elapsis ab ipsius morte quinquaginta duobus annis, adhuc in memoria sit iste Justus et in veneratione apud omnes præfati cœnobii monachos; quorum unus testis oculatus, et dignus fide, summatim Vitam ejus descripsit. Ex qua quæ diximus et sumus dicturi collegimus.

Hic perillustris vir habebat a natura corpus haud impar ad sustinendas macerationes suæ carnis asperrimas. Proceræ admodum erat staturæ, robustissimæque complexionis : uti accepimus ab eis qui illum noverunt, quorum unus, hoc anno 1678, adhuc superstes vivit. Id etiam hujus Cartusiæ de Paulari monachis innotuit, cum forte fortuna sepulchrum ejus effoderetur, anno proxime elapso : conspexere omnes ossa celsæ magnitudinis.

Ne igitur caro concupisceret adversus spiritum, eidem sanguinolentum indixit bellum : in se ipsum etiam inclemens jam senio confectus. Cumque præ ætate vires deficerent, aliena manu utebatur, qua validius flagellaretur. Impetraverat siquidem a Superioribus suis Joannes, ad vitæ occasum vergens, ut liceret sibi Laicum Fratrem advocare in adjutorium; qui, senis precibus instantissimis acquiescens, verbera super humeros ejus infligebat usque ad sanguinis effusionem.

Sic ab ipso in Religionem ingressu desæviens in corpus suum, in his pœnitentiæ exercitiis usque ad obitum perseveravit, nusquam lacessens in arrepto austeritatis proposito. In lectuli sui pannis collocaverat tabulas, ubi per noctem recumbens brevem capiebat somnum, ne quid nimis attrito corpori indulgeret. Nec minus erat cibi parcior, adeo ut mirum esset, quomodo molis

tantæ corporis homo tam modicis toleraret vitam. Ejus virtutum encomiastes refert ab eodem audivisse, quod a die suæ probationis nusquam violasset Ordinis jejunium, nusquamque bibisset absque appetitus sui mortificandi cura. Hæc testabatur jam grandævus senex, monachum juvenem provocans ad hujusmodi praxim.

Viro sic adversus semetipsum inclementi non defuerunt qui collaborarent ad subministrandam eidem patientiæ segetem. Diu functus est officio Superioris; licetque, ut postea dicturi sumus, disponeret omnia suaviter, multas tamen a suis subditis sustinuit persecutiones : quorum frequentioribus querelis frequentissime in Ordinem fuit redactus. Vix ullus unquam vixit apud nos Prælatus, qui cribratus fuerit ut Joannes. Nedum a suis electus erat in Priorem, cum exosi regimen novum, statim ejus exauctorationem postulabant. Vix autem Superiores votis ipsorum annuerant, cum, mutati in alteros, rursus ipsum suis cohonestabant suffragiis. Adeo ut per viginti octo annos, ad extremum usque vitæ suæ diem, Joannes in continua electionum et exauctorationum vicissitudine fuerit : modo exaltatus, modo humiliatus; nunc per infamiam, nunc per bonam famam; modo in veneratione apud omnes, modo sine honore; nunc laudatus ore omnium, nunc ab eisdem persecutionem patiens.

Anno 1588, monachi Granatenses illum in Priorem nominarunt. Cartusienses de Paulari, anno 1601, eum assumpserunt ad cœnobii sui moderamen. In subsequentis anni Comitiis factus Castellæ Convisitator, anno 1604 ab eodem Capitulo generali Visitator ordinatur. Vix tam honorificis fungebatur muniis, cum, mense Novembri ejusdem anni 1604, Visitatores eum omni dignitate abdicavere. Anno 1608, juxta monachorum de Covis vota, capessivit hujus cœnobii regimen; anno autem subsequente, jam secundo a suis comprofessis præfectus Domui de Paulari, per Capitulum anni 1611 absolvitur. Anno 1613, tertio electus ab eadem Domo, a publico Patrum Conventu anni 1616 exoneratur administratione. Anno 1617, secundo a monachis de Covis designatus ad Prioratum, hunc dimisit anno 1621. Quarto a Cartusia de Paulari creatus hujus cœnobii Præfectus, quo in officio mortuus est. Contigit nonnunquam ut eodem tempore a tribus hujus Provinciæ monasteriis delegeretur in Priorem; verum Domus de Paulari cæteris præferebatur, eo quod Joannes ejus esset alumnus. Anno 1622, per Chartam capitularem secundo renunciatus fuit Castellæ Visitator; anno autem 1624, eadem Comitia illum hoc munere abdicarunt.

Tot diversæ frequentesque rerum mutationes alium perturbassent, dum Joannes æquam semper inter has vicissitudines servans mentem, interiori simul et exteriori pace potiebatur. Injun-

ctum suscipiebat officium, obedientiæ solius intuitu, ac mandati Superiorum: probe siquidem noverat, suæ Domus administrationem capessere, idem esse ac discurrere stadium diræ persecutionis. Unde cum gaudio dimittebat dignitates, ratus e tempestate ereptum se appulisse ad tranquillitatis portum. Quamvis autem plerisque Superioribus dignitates sint oneri, ægre tamen sæpe sæpius se a Comitiis in Ordinem redactos audiunt, existimantes se subire infamiæ notam. Verum hunc religiosissimum Patrem consolabantur non solum animi magnitudo et humanarum opinionum alta quædam despectio, sed etiam sincera cordis humilitas, qua suis in oculis vilissimus et male de se sentiens, malebat affici potius contemptu quam honore; nusquamque vel minimum querelæ verbum protulit, quo significaret se injuste pati contumeliam : arbitratus suos adversarios omnia bono animo agere, laudabilique zelo motos, Domum suam liberasse a gubernatore pessimo.

Quantumlibet autem de illius fama derogarent, existimabat perfectissimus sui contemptor longe pejora commereri ob suam imperitiam. Quapropter, quando deprehendebat nonnullos clam ad summum Ordinis Cartusiensis Præfectum scripsisse, solebat dicere magno cum humilitatis affectu monachis in Capitulo congregatis : « Cur, Reverendi Patres, furtivis modis ad Majorem Cartusiam dirigitis epistolas? Quaslibet mihi tradite; vobis testificor, non solum me illas submissurum, et licet mihi apertas detis, sigillum apponam, easdem legendi haud curiosus. Quantaslibet ad R. Patrem deferant querelas, quicquid suggesserint, delictis meis longe minus est. »

Ad ejus humilitatem comprobandam, qua dignitates horrebat et præfecturas, dum Priorem ageret in Cartusia de Paulari oblatum sibi a Rege recusavit Episcopatum; declinaturusque humanas laudes ob repudiatum hunc honorem, nemini hoc indicavit, nisi cuidam alumno sibi ob egregias animi dotes fidissimo, cui sub obedientiæ præcepto secretum injunxerat. Hujus discipuli manu Joannes usus est ad Regi pro sua in se benevolentia regratiandum. Post illius mortem hoc arcanum discipulus manifestavit.

Ne autem huic religiosissimo Patri aliquid eorum, quibus servos suos probat Deus, deesse videretur, ad ejus patientiæ exercitium contigit, ut ad generale Capitulum pergens, cadente mula, sibi comminuerit crus. Superstes e tanto periculo (de vita siquidem, ni divinitus servatus, periclitabatur), dolores persensit acutissimos, quos vocabat amoris Dei pignora. Ob hanc et alias infirmitates gravissimas, dum bis per Comitia generalia absolutus est a Prioratu de Paulari, Charta capitularis causabatur frequentes illius morbos. Revera etenim adversa admodum laborabat valetudine; quam tamen constan-

tissime tolerans, suum perfecte implebat ministerium. Cumque in eo partes vigilantissimi Pastoris minime desiderarentur, inde fiebat, ut qui Joannis exauctorationem petierant, statim illum restituerent in gradum pristinum; vixque generale Capitulum Joannem exoneraverat a Prioratu, cum statim novam de ipso factam electionem confirmabat. Perspecta siquidem erat omnibus tanti viri prudentia, in rebus agendis peritia, et in Dei famulatu singularis fervor, quo, tot infirmitatibus attritum, corpus macerabat etiam, ut jam diximus, longo mortificationis martyrio.

Studiosus sanctorum Gregorii et Thomæ Aquinatis sectator, venerandus iste Pater recogitabat hæc illorum verba, videlicet : « Quod Prælatus debet esse præ cæteris contemplatione suspensus. » Quod si Superior sibi subditos anteire debet contemplatione, tanto magis Prælato Cartusiensi huic exercitio indesinenter est incumbendum, ob Vitæ solitariæ statum, cujus negotium est contemplatio, cuique cellicola vacare debet, quantum possibile est humanæ infirmitati Divina suffultæ gratia.

Unde perfectus iste ac sanctus Prælatus non solum cum rebus exterioribus conjungebat contemplationem, verum etiam multas in oratione transigebat horas; ubi, plane a terrenis abstractus, cor suum Divino amore succensum effundebat in conspectu Domini. Brevem sibi somnum indulgebat, quo diutius pernoctaret in contemplatione. Cumque hæc viro Dei suavitatem gustanti non facerent satis, in hoc etiam sacro per diem perseverabat otio : ratus nihil hac animæ quiete negotiosius esse, ubi, quicquid ad pastoralem sollicitudinem est utilius ac magis necessarium, acquiritur. Unde nullis se patiebatur implicari negotiis; quorum curam reponebat in peritia, zelo, industria, prudentiaque sui Procuratoris. Ei committebat temporalium administrationem : de rebus gravibus majorisque momenti solum inquirens. Credebat igitur omnia Œconomo; cujus postea mortem doluit plurimum, ut postea dicemus.

Contemplationi adjungebat Scripturæ Sacræ ac Sanctorum Patrum lectionem : quo assiduo studio, haud vulgarem consecutus est doctrinam. Ex hac mentem suam reficiens, et tanquam Cœlesti saginatus pabulo, semper suis eructabat verbum bonum. Quamvis plenus esset eruditione, non illam ostentabat; inanis gloriæ cupidus, imo abhorrens ab illa quæ inflat scientia, consentiebat humilibus, satagebatque imprimis scire supereminentem scientiæ charitatem Christi, et radicari magis ac magis in humilitate, juxta hanc divi Augustini sententiam : « Scientia, si sola sit, inflat. Quia vero charitas ædificat, non permittit scientiam inflari. Ibi ergo inflat scientia, ubi charitas non ædificat; ubi autem ædificat, solidata est. »

Porro hujus eruditissimi Patris ea

erat humilitas, ut, a suis interrogatus de difficilioribus aut obscurioribus, nihil respondebat quin prius frontem suum et pectus Cruce signasset; sublatisque in cœlum oculis a Sapientia irradiandus divina, suam aperiebat sententiam, nihil tamen certi asseverans; subjungebatque rem alias enucleatius explicaturum, modo darent tempus evolvendi libros. Verum cum singulis Joannes cumulate faceret satis, omnes ejus doctrinam mirantes recedebant.

Non intra Cartusiæ limites ejus eruditionis fama se continens, divulgabatur etiam per regionem universam. Unde cum percelebres et antiquissimæ Reliquiæ ac libri mirabiles sancti montis Granatensis reperti fuerunt, Illustrissimus Petrus de Castro, hujus civitatis Archipræsul, inter viros scientia nominatiores quos ad hujus thesauri comprobationem convocavit, Joannem nostrum elegit, qui cum cæteris subscripsit huic plenissimæ certissimæque auctoritatis Instrumento. Non sine autem ingenti lucro hæc Volumina in lucem prodierunt.

Vir Deo conjunctissimus per orationem, stabat etiam sollicitus supra gregis sui custodiam. Vigilabat vigilantissimus Pastor, omnes oves suas fovebat in suæ gremio charitatis; deducebat singulos per vitæ sanctioris semitas, et in omnes se vertebat formas, ut omnes Christo lucrifaceret. Si quos autem animadverteret se gerere segnius in virtutibus prosequendis, blande admodum hos hortabatur, modo publice, modo privatim. Verum cum deprehenderet oleum se perdere ac operam, qui hactenus se patrem benignum exhibuerat, se demonstrabat medicum, semper nihilominus correptionem mansuetudine temperans. Hujus regiminis suavitatem, non ex nimia indulgentia, vel languidi pectoris mollitie, sed ex discretione, prudentia et charitate processisse constat ex hoc quod subjicio.

Aderat Joanni, in extrema salutis linea constituto, V. P. Michael de Palacios, vir inter monachos de Paulari ob sanctimoniam simul et doctrinam non incelebris, sed severus admodum ac zelo regularis observantiæ flagrans. Cumque magistrum suum cerneret injecto terrore Dei judiciorum horrescentem, ipsum confirmaturus, dixit, nihil ipsi, quatenus monacho, esse pertimescendum; adjecitque nullius delicti eum conscium esse, præter nimiam mansuetudinem, qua, Priorem agens, peccasse videbatur. Cui ægrotus respondit, se nullum hac de re conscientiæ stimulum pati, eo quod id Deo magis gratum et subditorum saluti convenientius fuisse credidisset.

Is autem erat Joannis agendi modus. Suos sæpissime visitabat, præsertim infirmos: quibus præstabat charitatis officia. Ipsos ad patientiam hortabatur, ne in vacuum reciperent amplam meriti segetem. Sermones de regulari disciplina, de perfecta Statutorum observantia, de virtutibus atque aliis

hujusmodi subjectis materiis, quæ ad religionis utilitatem ac profectum spectant, propiusque animum et vocationem cujusque attingunt, instituere solitus erat : præclara senibus, junioribus ac Novitiis admiscens documenta, quibus singulorum corda inflammabat ad Dei amorem. Pascebat oves non solum verbo, sed etiam oratione, qua Cœlestem pro illis impetrabat gratiam ; unde plerisque viam mandatorum Dei currentibus vix necessaria erat correptio, Pastore præsertim vitæ exemplo gregem antecedente. Verum, licet venerandus Pater cum filiis leniter clementerque ageret, se seque gereret irreprehensibilem, nonnulli tamen malum pro bono reddentes, eidem querelis, scriptionibus, et aliis hujusmodi facessentes negotia, prolixam patientiæ materiam Joanni subministravere : uti patet tot crebris exauctorationibus, quibus magis ac magis tanti Prælati virtus innotuit.

Jam attigerat Dei servus annum ætatis sexagesimum sextum, ex quibus triginta octo religiosissime apud Cartusianos exegerat, cum Thomas de Navarro, hujus asceterii Procurator, sublatus est dolore lateris. Acerba fuit admodum hujus Religiosi mors Joanni : qui, sarcina temporalium supra Thomam deposita, uni vacabat necessario ; liber a sæculi sollicitudinibus, audiebat Dei verbum, stabat super gregis sui custodiam, gustabat quam suavis est Dominus. Vergebat jam ad ætatis occasum, variis attritus morbis : imparem se sentiebat ad regiminis onus ; hominem non habebat ad rei domesticæ administrationem, qui statim Thomæ vices suppleret ; novum Procuratorem excolere ad negotia, credebat esse rem arduam. Inter has constitutus angustias, Extremam ægroto Unctionem devotissime ministrat ; ad cujus lectuli pedes prostratus, ipsum instantissime rogat, ut, sui memor in Paradiso, properaret educere illum ex hac miseriarum valle. Amisso loquelæ usu, moriens capite signum dedit.

Procuratorem ad vitam immortalem translatum exiit inter monachos sermo Joanni apparuisse, annuisse ipsius votis, brevique superstitem ad gloriam subsecuturum. De hoc rumore certum quid asserere non valeo ; constat interim, tribus post diebus morbo correptum, Joannem infra dies septem vitæ cursum absolvisse. Postquam defuncto parentavisset, se se, quantum poterat, a regimine subtrahens, chartas et negotia disposuit, tanquam propediem moriturus. V. Pater Franciscus Ceballos, vir fide dignus, testatur se post Thomæ obitum petiisse a Joanne æreum suscitabulum. At Prior, quasi Præfecturam jam abdicasset, id a Superiore mox instituendo postulandum respondit : sat indicans suæ mortis esse præsagum.

Domesticis rebus rite ordinatis, cœpit ægrotare Joannes. Medico bonam de morbo spem habente, asseverabat

de sua salute conclamatum. Ad extremum usque spiritum semper sui compos, affectibus ferventissimis se se ad Domini occursum præparabat; totus exultabat, se considerans mox futurum civem Sanctorum; se seque eis adjungens, clamabat cum spiritibus Angelicis : *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Modo suavissimum invocabat Jesu nomen, piisque animi suspiriis ad eum anhelabat. Nunc inclamabat Beatissimæ Virginis opem; et sub ejus præsidium confugiens, hunc recitabat Hymnum :

Maria, Mater gratiæ,
Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et hora mortis suscipe.

Subjungebat cum filiali ac tenerrimo cordis affectu :

Maria, Mater Domini,
Æterni Patris Filii,
Fer opem nobis omnibus
Ad te confugientibus.

Per tuum, Virgo, Filium,
Per Patrem, per Paracletum,
Adsis præsens ad obitum
Nostrumque muni exitum.

Nec obsurduit Deipara ad devotissimi sui servi preces. Paucis etenim ante obitum ejus horis, jussit ægrotus adstantibus recedere, donec illos revocaret. Omnibus egressis, unus remansit juxta infirmi cameram, eidem ministrandi gratia. Attentus hærebat ille in statione sua, dum subito Cœlestem plane concentum audit, mira consolatione perfusus. Advolans ad Vicarium, virum prudentia et morum gravitate spectatissimum, accurrunt ambo; suavissimaque recreati harmonia, ingrediuntur Joannis cellulam. Hunc raptum extra se reperiunt, oculis in cœlum sublatis, multo cum fervore implorantem Mariæ patrocinium, recitantemque *Ave, maris Stella.* Fragrabat etiam camera gratissimo odore. Quæ quidem sat indicabant Reginæ Cœli conspectu fuisse consolatum morientem. Qui Sacramentis rite susceptis, sancte spiritum emisit, die 30 Novembris, anno 1625.

In funere factus est impetus ad vellicandas sancti viri reliquias; quibus nonnulla fuere patrata miracula. Unum ex pluribus notatum ab ejus encomiaste refero.

Cum, post venerandi hujus Religiosi obitum amplificaretur Cartusiæ de Paulari hospitum camera, unus ex operariis, nomine Joannes, corruens in terram ex ædificii culmine, jacebat exanimis capite effracto. Agentem animam festinanter Sacro unxerunt Oleo. Aderat ibi V. Michael de Palacios, de quo jam supra; qui, fide plenus, Joannis de Polanco pileolum vix apposuerat capiti agonizantis, cum subito aperit oculos, redit ad se, brevique temporis spatio convalescens, meritis beati viri se in pristinam restitutum sanitatem testificatus est. Diu hic superstes, hoc miraculum propalabat hujus cœnobii ascetis.

Joannis de Polanco sic meminit Catalogus Priorum de Paulari : « Omni virtutum genere exornatus, largus erga pauperes, clarus doctrina, humilitate præcellens ; cum se se in administratione Cartusiarum Granatæ, de Covis et de Paulari, Provinciæque Castellæ, bonorum operum exemplar exhibuisset, meritis dives, ad Deum migrat, anno 1625, die 30 Novembris. »

CLAUDIUS TAVERNIER

DONATUS PORTARUM

Vir inculpatæ vitæ; quam in Dei et Ordinis famulatu consumpsit, anno 1686, die 30 Novembris. Anno ætatis 20 habitum Religionis susceperat. Semper rei domesticæ muniis occupatus, hanc utiliter administravit : ita per id temporis observantiæ tenax, ut nullus sit, qui non de ipsius probitate perhibuerit testimonium. Habebat servos et ancillas ; sed valde sollicitus super castitatis custodiam, sæpe ad minimam mali speciem quam in illis deprehenderet, statim eos dimittebat : nunquam cum domesticis familiariter agens. Hæc morum gravitas Claudio venerationem summam concilians, omnes famulos continebat in officio; nullus in ipsius præsentia audebat quidquam loqui, nisi quod deceret.

Tertia hora matutina surgens quotidie, effundebat cor suum in conspectu Domini : animam suam oratione saginans, dum aliunde corpus suum sobrietate reficeret. Modestia singulari præditus et fidelitate in Superiores, se se irreprehensibilem in administratione exhibuit : tam accuratus in suis computis reddendis, ut, qui multa ligna vendidit, nihil unquam in argenti ratione defuerit. Tandem natus octoginta quinque annos, collectis bonorum operum manipulis, spiritum Deo reddidit.

MENSIS DECEMBER

I DIE DECEMBRIS

JOANNES RODE

ABBAS SANCTI MATTHIÆ

Ex parentibus honestissimis, Joanne et Catharina, natus Treviris. In flore juventutis suæ Heidelbergam profectus, sacris Musis tam sedulo incubuit, ut brevi post intervallo, Baccalaureus sacræ Theologiæ ac Licentiatus Pontificiorum Canonum publice promeruerit renunciari. Quia autem non solum ob eximiam doctrinam, sed etiam ob insignem vitæ probitatem erat in sæculo nominatissimus, et devotissimus conversatione, uno fere momento Canonicus Ecclesiæ Metensis, Sancti Simeonis Decanus, Trevirensisque curiæ Officialis institutus est. Sed tales honores pro Christi amore contemnens, relinquensque mundum, quem semper mente et corpore vilipenderat, cunctis mirantibus, anno 1416, in Cartusia Trevirensi suscepit habitum Religionis. Ubi ob exemplarem vitam, quamvis invitus, per generale Capitulum anni 1419 Prior ordinatus, vix præfuit per biennium.

Cum enim Otto, archiepiscopus Trevirensis, Religiosos passim reformare vellet, videns Joannis Rodii zelum, doctrinam, experientiam, et, quod summum est, pietatem ; eumdem, authoritate Martini V Summi Pontificis, de hac Cartusia ereptum, anno 1421, 6 Julii die Dominica, constituit Abbatem monasterio Sancti Matthiæ Ordinis S. Benedicti. Factus igitur emendatioris vitæ et Religionis insignis æmulator, multis monachorum cœtibus, sui luce magisterii ac sapientia, vitam et salutem attulit ; effusam iis, ob morum gravitatem, licentiæ caliginem ademit ; veramque Majorum restituit integritatem. Nam a Concilio Basileensi amplissima data est ei authoritas, quicquid utriusque sexus monasteriorum in trium sacrorum Electorum diœcesibus, tum Spiræ, Wormatiæ et Argentinæ Præsulum Ecclesiis occurrit, inspiciendi et ad genuinam disciplinæ normam revocandi. Ducis Brunswick rogatu, moribus optimis recens hic ex sua disciplina formatos Bursfeldiam misit, et Collegii longe florentissimi jecit fundamenta ;

ex cujus institutione monasteria 75 salutarem bene vivendi formam hauserunt.

Cum autem Joannes multum desudasset pro propaganda per Germaniam apud Benedictinos Bursfeldensi Congregatione, multasque percurrisset regiones, in oppido Monthaborino (vulgo Monthaber, diœcesis Argentoratensis) peste correptus, spiritum Deo reddidit, anno 1439, die 1 Decembris. Revectus, sepultus est in monasterio S. Matthiæ ante aram S. Stephani protomartyris.

De Joanne agunt Chronicon Cartusiæ Trevirensis, Petræus in Bibliotheca Cartusiana, Gabriel Bucelinus, Gasparus Bruschius, Browerus et Antonius Mesenich.

MICHAEL FORST

PROCURATOR MONTIS HILARIS

Ab urbe Ausona oriundus. Vicarium egit ecclesiæ Parochialis S. Mariæ *de la Mar* Barcinonensis ; vir apud omnes magnæ existimationis. Anno ætatis quadragesimo Cartusianis Montis hilaris nomen dedit ; ubi, paucis diebus post suam professionem interjectis, Procurator factus, id oneris suscepit summa cum animi resignatione, quamvis aliunde silentii solitudinisque esset amantissimus. Ea autem cum laude hoc munere perfunctus est, ut postea redactus, uti petierat, in Ordinem, ad instantiam omnium huic officio rursum impositus fuerit.

Nihil remisit de primigenio fervore, et, quamvis occupatus circa plurima, Mariam adeo conjunxit cum Martha, ut suam secum circumferret solitudinem, idemque appareret, ad exteriora licet effusus, qui intra cellulæ septa religiosissime conversatus fuerat. Nam elucebant in Michaele summa modestia, prudentia insignis, profunda humilitas, mira exterioris simul et interioris hominis compositio et honestas. Quibus accedebant vultus comis spirans devotionem, recta corporis statura, sensusque efformati ad omnem mortificationem : ita ut ex solo aspectu unumquemque ad virtutem alliceret, et ex vultus sui tranquillitate omnes mirifice recrearet. Quamvis autem domesticæ rei curis multum fatigaretur, diurnis nihilominus et nocturnis diligenter intererat Officiis.

Gestiebat a negotiorum administratione exonerari ; per literas instabat apud R. Patrem, ut sibi liceret in suam solitudinem redire. Verum cum pulsaret frustra, tandem exauditus a Domino, officii, mortalisque vitæ vinculis solutus, ad Superos abiit, anno 1611.

Ex Manuscriptis.

II DIE DECEMBRIS

BOVO

PRIOR WITHAMIÆ

S. Hugonis episcopi Lincolniensis in Prioratu Withamiæ successor. Id constat ex Lib. 2, cap. 3, Vitæ ejusdem Præsulis; ubi Author, agens de consultatione inter Patres nostros Majoris Cartusiæ habita, an Regi Anglorum Hugo idem novæ plantationi præficiendus concederetur, de Bovone sic loquitur : « Alii vero, quorum unus Bovo (quem postea Priorem Withamiæ hoc sæpius referentem audivimus), a Deo exiisse verbum Regis asserebant, nec tutum esse contradicere plurimis rationibus edocebant. »

Quantæ vero religionis, imo sanctitatis fuerit Bovo, ex ipsius subjiciendis verbis colligi potest : quibus apparet ipsum Spiritu prophetiæ fuisse illustratum. « Vos, inquit Bovo (pergit Author Vitæ, loco citato), nescitis quidquam; nec cogitatis quia superna dispositio fecit hæc omnia, ut Ordinis hujus sanctitas per Virum sanctum usque in extremos mundi limites splendidius elucescat. Sed neque putetis illum diu sub nostrarum latebrarum modio posse cohiberi. Credite meæ parvitati : inter præcipua Ecclesiæ sanctæ luminaria ipsum in brevi audietis super candelabrum ecclesiastici regiminis sublevari. Dudum mihi virtutibus Hugo Episcopus potius visus est quam monachus extitisse. »

Hæc nostra de Bovonis sanctitate opinio non modicum confirmatur, ex eo quod Guigo II suum Tractatum *De quadripartito exercitio cellæ* eidem Bovoni tanquam suo Patri spirituali dedicaverit. De quo sic in Prologo : « Reverendissimo Domino et Patri in Christi visceribus dilectissimo, B. Priori pauperum Christi, qui, in Witheam commanentes, Ordinem sunt Cartusiensem professi, Dei servorumque Dei servus indignus, spiritalis uteri vestri filius, in præsenti sanctitatem in merito, et in futuro felicitatem in præmio. Si vocare liceret in jus vel patrem suum filio, vel dominum servo, nonnihil, mi Pater Reverende, mea fortassis parvitas haberet, super quo nec injuste, ut sibi videtur, in vestram sub judice magnitudinem agere posset. Nam ecce dum attendit potens auctoritas vestra, quid in me sibi liceret, attendere quoque supersedit moderamen discretionis vestræ, quid infirmitas mea valeret...» etc. ut videre est in supradicto Prologo.

Porro religiosissimus Bovo, non diu S. Hugoni episcopo Lincolniensi ad beatam immortalitatem translato superstes, eum subsecutus est circa annum 1201, die 2 Decembris.

FERDINANDUS DE TORRES
PRIOR DE COVIS

Hispali ex illustri et antiqua stirpe progenitus, patrem habuit pernobilem Didacum Ferdinandum de Villareal, Præfectum militum arcis, matrem vero dominam Constantiam Sanchez Esquivel, opulentissimos. Cœlesti benedictione a pueritia præventus Ferdinandus noster, adolescentem ætatem, a communibus illius ætatis vitiis alienam, tanto timore Domini ac tam singulari pietatis studio transegit, ut, cum egregio a natura instructus ingenio et ad omnia idoneus in Regia Joannis II Castellæ Regis versaretur, exosus aulicorum mores, se semper servaverit immaculatum ab hoc sæculo.

Virtute igitur illius ætatem præcurrente, quo perfectius ac maturius paterni generis nobilitatem aulæque calcaret delitias, in ipso juventutis flore ad Crucis vexillum evolare statuit. Interim cum sæpe sæpius Rex inviseret Cartusianos de Paulari, Ferdinandus, unus de illius asseclis, attractus horum monachorum sanctimonia, tranquillitateque solitudinis illectus, id Institutum sibi amplectendum delegit. Hoc inito apud se consilio, e sæculo purus evadens, inter Cartusianos de Covis adnumeratur.

At qui in Regis aula præclare se gesserat, plane incredibile est, quam digne postea in Dei domo fuerit conversatus: quantaque usura, quæ prius a Domino talenta virtutum acceperat, in monasterio diligentius exculta et multiplicata, eidem reddiderit. Cum enim in ipso susceptæ Religionis exordio sibi proposuisset perfectam hominis mundo crucifixi imaginem efformare, nulla prætermittebat virtutum studia, quibus animum exornare posset. Carnem, sensus, corporis commoda, tam strenue prosequebatur, ut continuum per arma justitiæ, jejunia macerationesque cum corpore gereret bellum. Orandi tantopere desiderio tenebatur, ut, cum plerasque diei ac noctis horas insumeret in rerum Divinarum contemplationem, famelici instar, Divinæ præsentiæ ac familiaritatis delitias esuriret ardentius, easque longe a conturbatione hominum et Fratrum consortio avidius quæreret in solitudine. His accedebat summa in Superiores suos reverentia, quibus sinceram fidelissimamque præstabat obedientiam.

Diu vixerat solitarius; et in omni radicatus perfectione, dignus habitus est qui aliis præficeretur. Anno itaque 1442 a Patribus in Capitulo generali coadunatis in Priorem de Covis et Provinciæ Convisitatorem ordinatur, cum

ingenti monachorum gaudio, qui Ferdinandum sibi præfici expetierant. Super familiam Domini constitutus se se Pastorem numeris omnibus absolutum exhibebat. Cumque vitæ admodum austeræ esset sensuumque mortificationi deditissimus, se se tamen erga alios facilem demonstrabat et benignissimum Patrem ; filiosque fortiter simul et suaviter provocabat ad regularem observantiam.

Cum nonnulli Itali prævaricatores, pertæsi Cartusiensis abstinentiæ, respexissent ad ollas carnium ; et per quorumdam Principum favorem obtinuissent a Pio II Summo Pontifice, ut esus piscium in carnium esum commutaretur : Dei zelo Mathathiæ instar Ferdinandus noster accensus, ita decertavit pro carnisprivio, ut circa annum 1460, Urbem petens, Breve Apostolicum impetraverit, quo licebat tribus Religiosis, imo irreligiosis, quibus concessum fuerat infirmitates sublevare vetitis carnibus, ad alios Ordines transmigrare nostro Cartusiensi Instituto remissiores. Tale autem est Diploma :

« Nicolaus, miseratione Divina tituli S. Petri ad Vincula S. R. E. S. presbyter Cardinalis, episcopus Brixin, venerandis devotis et caris nobis Priori generali et universis ac singulis Prioribus, monachis, Conversis ac personis Cartusiensis Ordinis præsentibus et futuris has literas inspecturis pariter et auditurus, salutem in Domino sempiternam et præsentibus fidem indubiam adhibere...

« Quoniam ratio exigit, et æquitas persuadet veritati testimonium perhibere, idcirco ad vestram et cujuslibet vestrum notitiam deducimus per præsentes, quod SS. Dominus noster Pius Divina providentia Papa Secundus, ex parte vestra humiliter supplicatus et etiam consultatus, vobis et vestris commodis consulendo, pro consolatione vestra fecit, concessit pariter et indulsit. Primo Sanctitas sua dispensat atque mandat, quod tres Religiosi Ordinis vestri, de quibus eadem Sanctitas sua memor est dispensasse, quod propter infirmitates corporales possent comedere carnes ad instantiam et supplicationem aliquorum Principum et Prælatorum, prout Sanctitas sua verbo retulit viro religioso Priori Domus Beatæ Mariæ de Covis prope Hispalim Procuratori vestro, vadant et se transferant ad reliquos Ordines etiam observantiæ laxioris, ut Ordo vester incontaminatus permaneat sicut cœpit in decorem sacrosanctæ Ecclesiæ... etc. Anno 1460. »

Non solum circa disciplinam regularem, sed etiam circa rerum domesticarum administrationem sollicitus venerabilis Ferdinandus, multas possessiones hujus cœnobii, ab extraneis injuste tam intra quam extra Hispalim occupatas, de quarum receptione nulla spes apparebat, recuperavit; sicque amplificare prævaluit in diebus suis Dei domum, ædificiis, prædiis ac Regum privilegiis illam adaugere ac ornare. In magna etenim erat veneratione apud regni Ma-

gnates. Imprimis Joanni II, Castellæ regi, ita fuit acceptus, ut literis ipsius sæpe cohonestaretur. Harum autographa etiamnum asservantur in monasterii Tabulario.

Ad eumdem Regem frequenter pro negotiis Ordinis promovendis delegabatur : ut testantur Chartæ Capitulorum generalium, maxime anno 1446. Ubi « injungitur ei quatenus, quam citius commode poterit et sine rationabili mora, se transferat ad visitandas Domos de Paulari et Miraflores cum plena potestate Capituli generalis, non obstante Statuto in contrarium edito, quod Visitator suum non visitet Convisitatorem. Et nihilominus se transferat ad Curiam Serenissimi Regis Castellæ ac Legionis illustris, præsentando literas dicto Domino Regi per Capitulum sibi directas, et alia faciendo, quæ per dictum Capitulum sunt ei serio recommissa. »

Ejus probitati et fidelitati Patres Ordinis multum confidentes, ardua quæque negotia ipsius prudentiæ et arbitrio credebant. Cumque aliquando R. Pater, ad quorumdam instantiam, licentias seu immunitates paulo facilius indulsisset, easque a Ferdinando monitus vellet revocare; confirmationem vel abrogationem earum per Chartam Capituli generalis anni 1450 venerando Priori de Covis commisit his verbis : « Quia alias R. Pater Cartusiæ minus informatus aliquas licentias seu immunitates facilius concessit, illas in Domibus suæ Provinciæ diligenter consideret Prior de Covis, cum potestate confirmandi, si videbitur, aut alias modificandi, seu in partem vel in totum revocandi, et illos, qui tales informationes dicto R. Patri dederunt, juxta formam Ordinis puniendi. »

Per hæc tempora cum inter Ducem de Medina et Comitem de Arcos discordia gravis orta fuisset; jamque, frustra Magnatum interventu tentata eorum reconciliatione, uterque rem prælio juxta Hispalim in campo de Tablada esset dijudicaturus; adfuit Ferdinandus, accepta a Rege Joanne epistola, qua Princeps enixe commendabat dissidentium concordiam. Quorum iratos animos ita prudenter, ita feliciter verborum suorum efficacia vir plane divinus placavit, ut brevi, dissensionibus sublatis ac odiis extinctis, utrumque provocaverit ad pacificationem, mutuamque inter eos pacem conciliaverit et amicitiam. Similem controversiam sedavit ortam inter civitates Hispalim et Carmonam: de quarum concordia plures adhuc in hac Domo asservantur literæ Joannis Regis ad eum scriptæ.

Henricus, Joannis Regis filius et hæres, patrem suum æmulatus, non minori in loco Ferdinandum habebat : quem etiam sibi a Confessionibus elegit. Sed antequam ad Prioris officium assumeretur, ad eam nominis sui amplitudinem sua pietate jam pervenerat, ut auctoritate Summi Pontificis per Reginam fuerit designatus, cum alio nostri

Ordinis monacho, qui simul ad regnum Granatense proficiscerentur, ad collapsam Religiosorum quorumdam Ordinum disciplinam restituendam, redimendos captivos, et alia hujusmodi promovenda, quæ in hoc regno cultus divini profectum spectare poterant: sicut videre est in literis, super hoc ipsius Reginæ jussu confectis, quas hic describimus.

« Dona Maria, Dei gratia regina Castellæ et ducissa Soriæ... etc. Quoniam Sanctissimus Pater Eugenius Papa IV sua Bulla concessit nobis plenam potestatem eligendi et assignandi duos cujuslibet Ordinis Religiosos, qui in Granatense regnum ire possint ad redimendos captivos, et reformandos Religiosos aliquos, aliasque personas, quæ in illud regnum transmearunt; ut fusius in dicta Bulla continetur :

« Ideo, Ego, ut obedientiæ filia, et ut mandatum Sanctissimi Patris adimpleam ; virtute ejus mandati, præsentibus his literis nomino et assigno, eligoque ad faciendum curandumque supradicta, Fratrem D. Ferdinandum de Turribus, et F. D. Rodericum de Mela, monachos Cartusiensis Ordinis professos, confidens multum de probitate vitæ et honesta eorum conversatione, nec dubitans quod elaborabunt et omni sollicitudine ac zelo id curabunt. Quare eos et quemlibet eorum rogo et jubeo, propter Dei obsequium et meam consolationem, ut supradicta libenter statimque adimpleant, proficiscentes in regnum Granatense, et ad vicina loca, sicut magis oportere et expedire sibi visum fuerit; et quantum opus sit, his præsentibus literis do et transfero in quemlibet eorum in solidum omnem plenam potestatem, qualem accepi a Sanctissimo Patre ad supra dicta omnia.

« Quibus has meas literas præstari volo et jubeo, nominis mei subscriptione et sigillo roboratas, ac consignatas signo tabellionis et secretarii nostri. Datis in civitate Taurina, 24 die Januarii, anno 1442. »

In Lusitaniam quandoque perrexit Ferdinandus a Rege Alphonso V vocatus, ad instantiam quorumdam Nobilium, qui primam in hoc regno Cartusiam fundare cupiebant. Sed res infecta remansit. Ultimo tandem vitæ suæ anno, initia jecit Cartusiæ de Caçalla : quam quidem Domum, sua obstetricante industria, primus concepit familiæ Cartusiensi. De qua bene meritus, cum per viginti quinque annos et amplius Prioris et Visitatoris munus strenue gessisset, pie animam efflavit, relicta sanctitatis opinione, anno 1467, die 2 Decembris.

Ex Manuscriptis Cartusiæ de Covis.

Consule Catalogum nostrum Priorum hujus Domus; ubi emendavimus Josephum de Valles, auctorem Libri fundationum Cartusiarum Hispaniæ, qui perperam refert Ferdinandum de Turribus fuisse filium Almirantis Castellæ et fratrem Reginæ Aragoniæ.

JACOBUS PETAU

PRIOR LIGETI

Canonicus Aurelianensis; vota Religionis nuncupavit anno 1604, die 22 Julii, [in Domo Ligeti]. Cujus Prior institutus, paulo post exauctoratus est ob nimiam bonitatem. Tanta etenim vitæ innocentia morumque simplicitate (quamvis aliunde inter sui sæculi Theologos facile princeps) exornatus erat, ut, cum omnes juxta charitatis suæ legem judicaret, de nemine posset cogitare malum, utque, erga singulos summa benignitate affectus, vel minimam peccati (a quo abhorrebat) labem intra cœnobii sui septa irrepere non posse crederet. Obiit anno 1648, 2 Decembris : ob pietatem, humilitatem, orationis studium non incelebris.

III DIE DECEMBRIS

LAURENTIUS MUSCHESELE

PRIOR CAPELLÆ

De cujus institutione et absolutione hæc habentur in Chronico Cartusiæ Capellæ :

« Eodem anno 1437, D. Laurentius Muschesele de Alost, professus hujus Domus, electus est in Priorem. Fuerat autem tribus vel quatuor tantum annis in Ordine, vir religiosus, devotus ac timens Deum. Et rexit hanc Domum circiter octo annis, et ipsam, tam in ædificiis cellarum, quam idoneis personis multum valde decoravit. Iste fuit hic Prior, tempore magnæ caritatis. Et quia D. Gerardus de Delft, cum esset in officio Prioratus, fuerat vir parcus, ac solaria reliquerat plena annona ac bladis ; ea D. Laurentius tam largiter erogavit tempore præfatæ caritatis, et alia quæ habere potuit, ut inde magnam famam acquisierit in vulgo. Post hæc incidit in magnam infirmitatem, ita ut desperatus fuerit a medicis; et ideo tempore Visitationis absolutus fuit a Visitatoribus. Postea tamen convaluit, et plusquam triginta annis vixit; ac Vicarius hic fuit. »

Hactenus Chronicon. Tempus præfatæ caritatis fuit anno 1438 in æstate, ut refert Locrius in suo Chronico Belgico.

Dorlandus noster, lib. 7 Chronici Cartusiensis, cap. 25, de sancta Laurentii conversatione meminit his verbis :

« Sanctæ recordationis Laurentius, Prior et Vicarius quondam Domus Capellæ [Sanctæ Mariæ prope Angiam], ita in nostro sacro Ordine operibus clarus effulsit et meritis, ut inter suæ Provinciæ Cartusianos, quasi sydus illuxerit matutinum. Nam ante conversionem

cum dives esset et magnarum opum, haberetque plures opulentos commensales Clericos, tactus Divino Spiritu introrsum, subito domus suæ præclaram supellectilem vendidit, et in pauperes aurum omne distribuit. Quod ut cives agnoverunt, amici sui interrogant eum, an insulsus factus sit, qui sic repente res suas omnes profundat ac dissipet. Quibus ille, « Consulit, ait, Christus in Evangelio, ut si quispiam cupiat esse perfectus, vendat cuncta quæ possidet ac det egentibus, nudusque nudum suum sequatur pro se crucifixum Opificem. » Prohibitum est igitur publice a Judicibus, ne quis aliquid a Laurentio emat, nolentes suo dulci carere contubernio.

« Ille sic coarctatus, argentea vasa et speciosa quæque (quia vendere non poterat) integra ut erant pauperibus dedit. Dehinc possessionibus cunctis hoc modo distractis, in tantum pauper Christum secutus est, ut ne obulum sibi vel unum retinuerit. Ita enim ad me scripsit venerabilis sacerdos illius Domus Capellæ mihi amore conjunctus, quod ita pauper ad Ordinem venerit, ut pauxillum cervisiæ in itinere emere nequiverit, quo sitim extingueret suam. O insignem paupertatem nostro hoc tempore de opulente inauditam! Et ut mireris amplius : hic vir Deo dignus, ante bonis suis omnibus se spoliaverat, quam sciret sibi locum in nostra Religione patere. Sed illi erat fiducia in Deo suo, non se posse ab Eo deseri, ob cujus amorem omnia deseruisset. Atque ideo statim ut locum petiit, accepit; et cum multa alacritate a Conventu susceptus est, censu pauper et modicus, sed fide ac devotione ditissimus.

« Hic igitur Laurentius, omnium suorum testimonio Fratrum, vir fuit vera religione conspicuus, vita sanctissimus, plurimisque a Deo gratiis condecoratus. Erat namque in Dei amore et obsequio ferventissimus, tanquam lucerna ardens et lucens. Porro Divinas laudes et Divæ Virginis Horas dum concineret, tam singulari et ardenti movebatur affectu, ut mirarentur universi ; atque hunc fervorem annis quadraginta in consuetudinem traxit. Tanta sæpe inerat illi compunctio cordis, ut uberrimis fletibus abundans, loca omnia lachrymis compleret. Multo tempore, ob nimium fervoris æstum in choro dum esset, ad utrumque latus psalmos concinebat, donec illi esset a Patribus prohibitum. Habebat sub aspectu omnium, tempore divini Officii, gratiam singularem et consolationes dulcifluas, per quoddam *Exercitium de Parvulo et Agno* (quod et ipse vidi) divinitus sibi revelatum.

« Zelum hujus viri digne quis explicet? Corrigebat Lectorem in ecclesia vel alibi, ut nec syllabam elabi pateretur, vel notulam si cantaret. Si quando videbat aliquid agi inordinate, vel quod Statutis non congruit, acri animadversione sæviens, inultum ire non sustine-

bat. Hæc tamen agens, erat nihilominus mœrentium consolator. Videres in uno homine duo contraria, nempe ut et rigidus esset et humanissimus : dum ratio id posceret. Erat enim consolator, consultor et adhortator egregius. Hinc ad illum undique plurimi confluebant, nobiles, divites, sapientes, pauperes, desolati : quos omnes bene consolatos atque instructos, lætis a se animis dimittebat. Erat et Divini verbi assertor et promulgator facundus et copiosus; ita ut confluentem (dum concio esset habenda) ecclesia populum capere non posset.

« Ab infantia cum hoc Patre crevit miseratio, eratque ad inopes affluentissimus distributor, ita ut merito perituri benedictio copiosa super illum descenderit de Cœlo. Eo namque tempore quo Prioris fungebatur officio, cum esset ingens frumenti inopia, et diversæ circumquaque regiones gravi famis periculo laborarent, ipse pauperum et calamitosorum omnium prodigus provisor et pastor erat; adeo ut de Franciæ partibus tanquam ad quemdam asylum pro stipe pauperes confugerent. Cumque plurima iis largiretur, nunquam tamen vel penuriam pertimuit vel de crastino cogitavit, summa spe semper ad superna erectus.

« Octo annis Prioratum administravit in sua Domo, strenue quidem, sed et benigne : semper sollicitus ne quid Fratribus deesset, providus animarum curator simul et corporum. Nam ut animarum medicus, sic tentatis succurrebat et miseris ; quin et rebellibus durum se objectabat, sciens parcere subjectis et debellare superbos. Pitantias Fratrum et portiones bonas esse volebat et competentes, ut eo robustius ferventiusque laborarent, meliusque valerent; strictissimam tamen ab omnibus exigebat Statutorum et Ordinis observantiam.

« Post annos octo Prioratus sui, hydropisim incurrit, eam quam medici *rubeam* vocant : quæ species præ cæteris difficulter curari potest. Pro cujus curatione peritissimus artis medicinæ Magister advenit; sed vir sanctus fidens in Domino, nequaquam est illum dignatus admittere, quo supernus Medicus suas illi manus misericordius admoveret. Postulans igitur, reperta occasione, sibi *misericordiam* fieri, per Patres ab officio dimissus est. Quo onere deposito, aquarum etiam pondus, Deo adjutore, deposuit ; et cito valetudinem recuperavit, qui antea proclamatus videbatur. Qui dein Vicarius institutus, tres et triginta post vixit annos, serviens Deo in fortitudine spiritus.

« Sunt qui putant hunc Dei servum supernis sæpe revelationibus fuisse illustratum, et secretis Cœlestibus nonnunquam transpositum. Putant etiam hunc a diva virgine et martyre Catharina (quam ingenti diligebat amore) sæpius visitatum, a qua et rosam Paradisi pulcherrimam creditur accepisse. Verum, quia secretum suum, uti erat hu-

milis, semetipsum occulendum arbitrabatur, hinc est quod nemo suorum Fratrum hæc audeat tanquam certa asseverare. Asserunt tamen omnes eum tam sancta tamque sublimi conversatione resplenduisse, ut pie hæc credi queant. Habuit quoque apud Regulares de Septem Fontibus germanum fratrem, virum meritis sublimibus locupletem. Huic putant Laurentium sua secreta manifestasse, et quæ de revelationibus jam diximus, insinuasse.

« Insuper et Margareta, Serenissima Regis Anglorum filia, et D. Caroli ducis Burgundiæ olim relicta, quæ et universo Ordini devota erat, audiens hujus Patris clarissimam famam, grandia ob ejus reverentiam munera fertur contulisse Domui illi, eamque vestibus aureis atque holosericis splendide adornasse.

« Huc ad eum undique plurimi confluebant Nobiles, inter quos Jacobus de Croy, postea episcopus et dux Cameracensis, recensendus est. Ipse enim Cartusianos summo amore prosequebatur; et cum in flore juventutis suæ esset, Capellæ Domum, ut Laurentium (qui omnium ore miraculis erat celebris, quæ turpi silentio suppressa sunt) inviseret, sæpius se se conferebat. Cui eadem die qua beatus vir cessit e vita (uti a triginta annis spoponderat), mortis suæ diem intimavit : quod palam ipsemet enarravit, quando in Cartusianorum Domo Lovanii in Episcopum Cameracensem fuit consecratus.

« At nunc, ut hunc virum sanctum fuisse, Lector, agnoscas, virtutem patientiæ diligenter in eo adverte. Nam patientia opus perfectum habet, ut merito hunc sanctum vocites et perfectum, quem in magnis adversitatibus inveneris patientem. Longo ante mortem suam tempore, tibias gestabat horrendis ulceribus deformatas, exesas, putridas. De quibus vermes innumeri scaturiebant, qui rodentes tabefactam carnem, immanissimis eum exagitabant doloribus. Quorum tanta erat copia, ut foris sub aspectu Fratrum ebullirent. In iis tamen pœnis maximis nedum patientissimus, sed et jucundissimus videbatur: exultans nimirum et laudans, gratias Deo agens, et, tanquam prudens mercator, sciebat his doloribus mansuras semper delitias emereri.

« Verum Domina Margareta, cujus supra memini, ut didicit suum patronum tam dolenter affligi, egregium illi chirurgum misit, a quo curaretur. Sed vir beatus sciens his pœnis sibi merita cumulari, chirurgum repulit dicens : « Medicus meus Dominus est Jesus Christus. Huic me integrum committo ; qui dum volet, poterit me curare. » Tantam quoque patientiæ vim exercebat, dum illi tibiæ aut mundarentur aut ligarentur, ut pene sine tactu esse putaretur.

« Cumque resolutionis suæ dies instaret, quo tantorum coronam caperet meritorum, visitatus a Conventu est et inunctus : Priore illum suaviter con-

fortante, et ut agonem suum constanti exornaret animo, cohortante. Cui ille respondit : « Ego, mi Pater, nec mortem timeo, nec diabolum mortis auctorem, neque infernum, roboratus Dei gratia, pertimesco. Id enim mihi *Parvulus* quem colui, et Dei *Agnus* contulerunt. » Hæc verba ejus pene fuere novissima ; cum quibus et animam efflavit, ferventissima fide ac charitate munitus. Obiit vero in profesto almæ Barbaræ martyris, anno 1477. »

Hactenus Dorlandus.

De Laurentio etiam egerunt Arnoldus Bostius, cap. 35 ; Petrus Sutor, lib. 2. Vitæ Cartus. tract. 3, cap. 7 ; Raissius in Auctuario ad Molanum. Refert Colinsius in Historia Anghiana, quod Deus Laurentio revelaverit captivitatem et condemnationem Ludovici, comitis S. Pauli ac domini Anghiani ; ipseque momentum, quo dictus Comes capite truncatus est, monachis designaverit, monens et rogans ut Deum pro felici animæ illius exitu deprecarentur.

JOANNES DE TUYO

PRIOR DE MIRAFLORES

Professus hujus monasterii ; de quo mentionem facit quoddam Manuscriptum his fere verbis :

« D. Joannes de Tuyo, hujus Domus professus, qui eam laudabiliter per viginti annos gubernavit : quod dicere sufficit ad confirmationem eorum quæ de virtutibus ejus Majores nostri tradiderunt. Fuit religiosissimus et valde spiritualis, in visitandis, corrigendis et consolandis Religiosis, præcipue junioribus et Novitiis, vigilantissimus. Innumeros sustinuit labores infracto virilique animo pro defendendis hujus Cartusiæ terminis et tuendis ejus dominiis. Et quia hæc omnia ad Dei honorem operabatur, purus, simplex et stabilis spiritus ejus permanebat, nec rerum temporalium administratione distrahebatur : quod summopere laudandum est.

« Si quando gravis et rigidus apparebat pro conservatione regularis observantiæ, non ideo carebat piæ matris uberibus : quæ quidem exhibebat affluenter debilibus et infirmis. Pro omnium enim profectu insudans, se se libentissime impendebat, omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceret. Demum in diebus suis hæc Domus in utroque statu fuit valde adaucta : lites etenim vir pacificus diremit. Ahod ambidexter, commissum sibi gregem deduxit per justitiæ semitas, omnes verbo et exemplo antevertens. Studuit imprimis ut divinum Officium, ea qua par est, gravitate et devotione persolveretur. Tandem meritis cumulatus, pie animam efflavit, anno 1560. Fuit etiam Prior de Aniago. »

MARCUS DE RIPA

PRIOR MAGGIANI

De Fanano. Alias Prior Maggiani, professus et Vicarius Bononiæ ultra 20 annos, et Novitiorum Magister eximius. Ante Religionis ingressum ingenti plausu Nobiles civitatis edocebat litteras humaniores, ad Sacerdotium ipse promotus. Postea sæculo valedicens, qui aliorum extiterat magister, factus humilis Christi discipulus, cæca obedientia, sui contemptu, Christiana simplicitate, observantia erga Superiores, conversatione admodum exemplari docere cœpit et prælucere. Unde præpositus Novitiorum et juniorum educationi, hos tanquam filios fovit, sacris expolivit litteris et erudivit ad salutis scientiam, ipsosque paravit Domino plebem perfectam. Zelo suo discreto, pacificisque moribus, promovit cultum silentii, solitudinis ac ceremoniarum : erat etenim gravitate decorus, modestus, devotus gratusque universis.

Tot instructus naturæ ac gratiæ donis, assumptus est ad Maggiani moderamen; quod postea propter senium et infirmitates dimittens, rediit Bononiam, curam Novitiorum habiturus ; ubi tentatis erat refugium, afflictis et mœrentibus solatium, omnium mediator, advocatus inter Prælatum et subditos, Theologus, medicus, consiliarius. Et omnia factus omnibus propter Christum, talenta sibi donata non abscondit; sed tanquam fons publicus, in quoscumque derivavit, gratiam, sicut acceperat, in alios administravit luculenter. De omnibus igitur optime meritus, sancte moritur anno 1638, die 3 Decembris.

Ex Chronico Cartusiæ Bononiensis.

IV DIE DECEMBRIS

JOANNES AWER

MONACHUS BUXIÆ

Vir admodum pius, et assiduus in quatuor Novissimis meditandis; quæ adeo instanter ob mentis oculos sibi ponebat, ut testamentum etiam morituri devotissimum confecerit secumque vivens semper portaverit : quod tandem post felicem ipsius obitum ante pectus ejus fuit repertum. Habetur hoc testamentum in *Hortulo devotionis* Hugonis de Palma Cartusiani. Porro ex hac valle miseriarum ad Cœlestem patriam Joannes evolavit anno 1480, die 4 Decembris.

Ex Chronico Cartusiæ Buxiæ.

JULIANUS BELENGER

MONACHUS GLANDERII

Paupertatis amator, singulari morum præditus innocentia, et in rerum Cœlestium contemplatione per flammigeras continui amoris affectiones assiduus. Pie animam efflat, anno 1633, 4 Decembris.

JOANNES LE ROY

PRIOR TORNACI

Primo Vicarium egit in Cartusia monialium Gosnay, ab anno 1627 usque ad annum 1638, quo fuit translatus ad regimen Domus Tornacensis, ubi vitæ cursum absolvit, anno 1647, die 4 Decembris. Alter hujus sæculi Moyses propter eximiam morum suorum mansuetudinem, omnibus fuit amori simul et existimationi. Præcelluit etiam silentii ac solitudinis observantia : unde, quantum in se erat, declinabat sæcularium conversationem, quo Dei familiaritate et consortio per orationem liberius frueretur. Ex illa Joannis mansuetudine emanabat singularis in omnes charitas, præsertim autem in afflictos et calamitosos ; quibus affectuose subveniebat. Moniales quædam infirmæ cum se Joannis precibus commendassent, subsidium et levamen tam in corpore quam in mente expertæ sunt.

V DIE DECEMBRIS

PETRUS FULCODIUS GROSSUS

MONACHUS CARTUSIÆ

Pater Clementis IV, Sanctissimi Pontificis. Mortua Germana uxore, non vulgari fœmina, mundi quisquilias perosus, secessit in Majoris Cartusiæ solitudinem ; ubi a beatæ memoriæ Jancelino hujus eremi Priore habitu monachali donatus, cum, vigiliis, jejuniis, orationibus cæterisque Instituti nostri exercitiis addictissimus, vitam plane cœlestem duxisset, tandem meritis dives Beatorum consortio aggregatur, anno 1232.

Ganneronius in suo Martyrologio, ejus obitum refert ad hanc diem. Qui perperam eum inter Conversos Ordinis ipsum recenset ; sicuti etiam Theophylus Raynaudus in suo Brunone Stylita Mystico, puncto 10, §. 5. Assentior magis D. Hugoni Buat, qui in Schedis ad nos transmissis, scribit Petrum Fulcodium (non Frecoldi, uti male Dorlandus noster scripsit) fuisse monachum et sacerdotem.

Quantæ autem fuerit virtutis uxor Petri, patet ex verbis quæ extant apud Ciaconium notis illustratum, pag. 734; ubi hæc leguntur : « Germana sanctimoniæ titulo nobilis, Clementis genitrix, cum Patres Dominicani, quibus addicta erat, *Salve Regina* in templo aliquando concinerent, Deiparam Virginem Filium suum Jesum iis blande offerentem aspexit. » (*Vide D. Antonium, part. 3, cap. 3, §. 2.*)

Ex tam piis parentibus natus Guido Grossus, ab ipsorum virtute non descivit. Is in Galliæ Narbonensis vico S. Ægidii ortus, ad Rhodani ripam, ab ineunte ætate militiæ primum, deinde utrique Juri operam dedit. Uxorem nobilem nobilis ipse duxit; ex qua duas suscepit filias. Actiones forenses advocando egit aliquandiu in Regis Francorum Prætorio, integer et sine labe, summa cum omnium admiratione, ita ut inter totius Galliæ Jurisconsultos obtinuerit primas partes. Cujus doctrinæ et prudentiæ fama motus S. Ludovicus Francorum Rex, eum sibi adscivit a secretis et a consiliis. Post mortem uxoris, invitatus patris exemplo, volebat nomen dare Cartusianis; verum a S. Ludovico, communi utilitati consulente, revocatus, Sacris initiatur. Fuitque primum Archidiaconus Podiensis, deinde ibidem Episcopus; postea Archiepiscopus Narbonensis, in quo munere verbi Dei prædicationi assidue vacavit. Inter purpuratos Patres ab Urbano IV adscriptus, tandem anno 1265, Nonis Februarii, in Summum Antistitem eligitur.

Vitæ sanctitati, inter assiduos labores, adjunxit abstinentiam a carnibus, et cilicium, quo ad mortem usque usus est. Jure inter Cartusianos censendus, qui ex voto Cartusianus vixit. In quos optime semper fuit affectus, ut ipse testatur Epistola data Viterbii, 11 Kalendas Decembris, Pontificatus sui anno quarto; in qua sic Cartusianos alloquitur : « Nos vero, qui et vos et vestrum Ordinem diligimus, et dileximus ex affectu; in quo bonæ memoriæ, qui secundum carnem nos genuit, pater noster, et religiose vixisse noscitur, et agonem suum feliciter consummasse... etc. » Morbo senioque confectus Viterbii decessit, 29 Novembris, anno 1268.

De Clemente consule Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores.

BERNARDUS ZAFABREGA

MONACHUS VALLIS CHRISTI

Ante Religionis ingressum ephebus honorarius Petri Aragonum regis, ipsique Martino Infanti familiarissimus; sæculo valedicens se se cultui divino mancipavit in Cartusia Scalæ Dei. Cujus religiosissima conversatione, veluti philtro, illectus Infans, sæpe sæpius Bernardum invisebat. Mire colloquiis ejus plane devotis recreatus, voluit Infans ut Bernardus novam suam Domum

Vallis Christi incoleret, pro cujus fundatione strenue laboraverat : cujus primum Correrius fuit institutus. De qua bene meritus, naturæ debitum persolvit die 5 Decembris. Ejus obitus signatur in Charta anni 1422.

De Bernardo meminit D. Joachim Alfaura in Historia Vallis Christi et in suo Catalogo Domorum Ordinis.

PETRUS ANDREU

PRIOR VALLIS CHRISTI

Valentinus Nobilis, in sacra Theologia Doctoris lauream adeptus ; spretis sæculi delitiis, ad Cartusiam Vallis Christi secessit. Post emissa, anno 1443, professionis vota, tot tantisque coruscavit virtutibus, ut, cum vitæ illius sanctitas intra cellulæ suæ septa coarctari non posset, ubique diffusa attraheret multos; qui Petrum tanquam vitæ spiritualis magistrum peritissimum consulebant. Libenter vero, Divina sic ordinante Providentia, se se impendebat in aliorum salutem, suique copiam prompto alacrique animo faciebat; modo proximum suum Christo lucrifaceret.

Interim quo facilius tantæ charitatis æstus domesticos simul et extraneos inflammaret ad Divinum amorem, permisit Deus, ut, anno 1450, die 27 Februarii, munus ei Procuratoris imponeretur. Hoc obivit ea cum probitate et innocentia morum, ut perpetuam secum circumferens solitudinem totus appareret in Deo absorptus. Ambulans semper coram Domino, nullum animi solatium nisi in oratione quærebat. Sive domi, sive cum extraneis degeret, Divinæ ubique intentus erat contemplationi. Vir per orationem Deo conjunctissimus, non erat hebetioris linguæ; sed factus eloquentior ex illius consortio, si quando cum hominibus ageret, loquebatur quasi sermones Dei ea vi ac suavitate, quæ audientium animos alliceret ad virtutis studium.

Tot charismatibus præfulgens, anno 1459, unanimi monachorum consensu eligitur in hujus cœnobii Moderatorem. Dignitatem hanc ampliori meritorum gloria cumulans, se se vigilantissimi Pastoris simulachrum exhibuit. Cum enim Superior Religiosus suos subditos exemplo potius quam verbo debeat edocere, hinc in ipsius sermonibus, oculis, aspectu, membrorum compositione decor elucebat, fervor apparebat in Divinis laudibus decantandis : quibus monachi ad ipsius aspectum spiritum devotionis conciperent.

Orationis assiduitatem jam ab ipso suæ conversionis exordio cum sibi proposuisset amplectendam, nullum absque oratione tempus esse præterlabendum existimabat. Quapropter ubique, domi forisve, sive pertractaret negotia, sive cum aliis colloqueretur, sive aliud quodcumque ageret, semper animum in Deum agebat collectum. Quo fiebat ut, si quando rebus domesticis vacare cogere-

tur, mens ejus in Deum intentior, minus quæ cernebat oculis animadverteret, ac præ rerum cœlestium suavitate, penitus oblivisceretur terrenorum. Radicatus sic in Dei præsentia Canonicas Horas persolvebat ea cum attentione, reverentia, vocum ac syllabarum distincta pronunciatione, perinde ac si in quolibet verbo præsentem Dei majestatem fuisset veneratus.

Sæpissime autem, dum aderat ecclesiæ, altis suspiriis aperiebantur pectoris illius fores; oris singultus mox intercipiebant vocem; animique fornax, Divina charitate succensa, tam ardentes amoris flammas eructabat, ut, eas cum caro debilis ferre non posset, vehementiori motu mente in Deum rapta, plerumque illa fieret insensibilis. Unde Sacrista (dum, peractis precibus nocturnis, monachi in suas cellas se reciperent), viro Dei in ecclesia orationem usque ad mane protrahente, templi fores occludebat. Ex hoc frequenti cum Cœlitibus colloquio miram in omnes affabilitatem, miram contraxerat mansuetudinem; qua suorum, imo et omnium amicitiam sibi conciliabat.

Dum autem, Petro moderante, staret Cartusia Vallis Christi in perfecta monasticæ disciplinæ observantia, per Chartam Capituli generalis anni 1468, idem venerabilis Petrus exoneratur regimine cœnobii, factus iterum Correrius. Admodum molesta fuit Religiosis Superiorem suum valde diligentibus hæc mutatio. Unde statim summum Ordinis Præsidem per literas rogarunt, quatenus eum in Comitiis proxime futuris in pristinum restitueret gradum; subjunxeruntque se diutius tanto Pastore orbari non valere. Cum autem subsequens Capitulum Religiosorum petitioni non subscripsisset, monachi statim nuncium delegant ad R. Patrem, instanter postulantes, ut, exauctorato Priore suo, in locum illius Petrum sufficeret. Quorum votis annuente Cartusiæ Majoris Cœnobiarcha, Petrus denuo cum ingenti monachorum gaudio, anno 1469, die 21 Octobris, capessivit Vallis Christi gubernaculum, quod tenuit laudabiliter usque ad annum 1480. Tunc enim translatus fuit ad regimen Scalæ Dei, renunciatus Visitator.

Jam devexa ætate, attritus pœnitentiis, laboribusque continuis fractus erat, cum inhabitare cœpit Scalam Dei, stationem parum commodam. Verum, qui sibi plane mortuus fuerat, vitam hancce caducam parvipendens, modo vir obediens esset, ipsam in famulatu Dei ac in omni sanctitate consummavit, anno 1481, mense Decembri.

Ex Annalibus Vallis Christi.

VI DIE DECEMBRIS

GUILLELMUS DE PORTIS

PRIOR GLANDERII

Cujus memoria in benedictione est in hac Domo, quam religiosa admodum conversatione ac exemplari illustravit; ubi et sepultus est, ingenti relicta opinione sanctitatis. Vivebat circa annum 1235. Obiit die 6 Decembris.

NICOLAUS TONSOR

DONATUS CAPELLÆ

Haud vulgaris prudentiæ et modestiæ Religiosus, Domuique fidelissimus ; sobrius admodum, et totus exemplaris. Cum jamjam ageret animam, imperterrito ad mortis spectaculum animo dixit : « Non invitus, sed lubens morior. » Perceptis igitur devotissime de manu Prioris Ecclesiæ Sacramentis, placidissime expiravit, anno 1497, die 6 Decembris.

Ex Chronico Cartusiæ Capellæ.

JOANNES POMERO

MONACHUS DE COVIS

Natus in quodam Boeticæ provinciæ oppido, nomine Moroz, diœcesis Hispalensis, natalium obscuritatem virtute sua nobilitavit. Inops quidem facultatibus terrenis, meritis autem dives, anno 1566, inter Cartusianos de Covis annumeratur. Ubi peracto tyrocinii tempore, mense Julio, monastica vota nuncupans, ita inviolabiliter et adamussim sollicitus fuit circa Statutorum custodiam, ut ipsi non immerito adaptari possit illud, quod de Abraham cecinit quondam Ecclesiasticus dicens : *Non esse inventum similem illi, qui conservaret legem Excelsi.* Iota aut apicem unum non sinebat ab Instituto nostro præterire pius Pater : strictissime et accuratissime vel minimas ceremonias observans, ipse regula, ipse norma Cartusianorum apparebat. Tota anima, tota mente, totis viribus placere Deo adnitebatur : hoc opus suum, hic scopus, hoc ipsius erat studium.

Paupertatis custos eximius, nihil volebat præter Christum possidere. Unde nihil habebat in cellula sua nisi Crucifixi imaginem, et verba suæ professionis

scripta literis grandiusculis; quæ legebat devotissime quoties ingrediebatur vel egrediebatur, ut eorum frequenti recordatione quasi stimulo accenderetur ad proficiendum. Deditissimus solitudini ac silentio, non modo sæcularium, sed etiam Fratrum suorum conversationem fugiebat. Unde rarissime aderat Spatiamentis, quo purius et diutius orationi incumberet et lectioni Scripturarum, ex quibus excerpebat notatu digniora: quæ superant authoris ingenium et capacitatem. Hinc cum de rebus mysticæ Theologiæ difficilioribus interrogabatur, tanta perspicuitate respondebat et acumine mentis, ut audiisses hominem non in doctis humanæ sapientiæ verbis loquentem, sed in Spiritus doctrina, spiritualibus spiritualia comparando.

Porro cum tot coruscaret Joannes Divinæ gratiæ donis, et ab omnibus tanquam vivum monasticæ perfectionis simulachrum suspiceretur, ipse tamen suis in oculis sibi vilescebat; nihilque de se sentiens, viliora quæque monasterii obibat munia. Se se totum Sacristæ mancipaverat. Denique cum singulari modestia, pietate, devotione cæterisque virtutibus effulsisset, animam efflavit, anno 1589, die 6 Decembris.

Ex Manuscriptis de Covis.

HENRICUS THEVENIN

MONACHUS CARTUSIÆ

Dei jugum a teneris annis amplexus, in ipso sæculo jam Religiosus erat. E quo ad Cartusiam non tanquam de tenebris ad lucem, sed quasi a claritate ad claritatem transiens, virtutum suarum exemplis hanc eremum illustravit. Cibus fuit illi inedia, mortificatio volupe, deliciæ solitudo ac silentium, divitiæ paupertas, quies brevis somnus, cum ei et alimenti et requiei instar esset oratio suique affligendi assiduitas. Sic currens, non quasi in incertum, brevi temporis spatio tandem comprehendit. Eadem qua vixerat sanctitate suum cursum absolvit, anno 1674, die 6 Decembris; ad Diaconatum promotus.

VII DIE DECEMBRIS

RUDOLPHUS RASSER

DONATUS BUXIÆ

De quo Chronicon Cartusiæ Buxiæ agit his verbis : « Domnus Rudolphus Rasser de Basilea, sacerdos Donatus, Artium liberalium Magister; vir admodum pius et doctus, ita ut et Sanctus a multis fuerit existimatus, professionem in hac Domo fecit, anno 1489, die 21

Decembris. Multam pecuniæ summam huic Domui ante professionem legavit, pro emptione prædii cujusdam, et structura galilææ, aliisque necessariis expendendam; cum pluribus etiam libris, ac supellectili, quam secum apportavit. Suæ quoque doctrinæ monumentum aliquod dereliquit. Scripsit enim Sermones de Tempore et Sanctis, qui inter manuscriptos libros hujus Domus asservantur. Obiit anno 1504, die 7 Decembris. »

PETRUS AQUILON

PRIOR SCALÆ DEI

Oriundus oppido de la Selva diœcesis Tarraconensis; initiatus Sacerdotio, Theologus et Concionator, die 1 Julii, anno 1566, suscepit habitum Religionis in hac eremo. Vix ab emissa professione triennium exegerat, cum, ob singularem virtutem ac zelum, ad hujus monasterii regimen assumitur.

In Annalibus Scalæ Dei, ubi de Petro mentio fit, Author Libri hæc apposuit verba : *Rectorem te posuerunt? noli extolli; esto in illis quasi unus ex ipsis.* Hoc salutare Ecclesiastici monitum, Pastorique necessarium ac perutile, toto suæ administrationis spatio, Petrus religiosissime observavit : se se in omnibus assimilans iis, quorum erat Moderator. Et quamvis tum naturæ tum gratiæ dotibus præcelleret, supereminebant in eo summa in omnes affabilitas, eximia mansuetudo, singularisque humilitas. Unde Visitatores immensis laudibus virum hunc omni laude majorem extollebant in Visitationum Chartis: nec immerito sane, eo quod se patrem, se matrem simul exhiberet erga sibi commissos; quos gestabat in laxissimo suæ charitatis sinu, diligebat impense. Omnem navabat operam, ut esset omnium consolator. Nullus etenim mœstus unquam adibat hunc venerandum Superiorem, quin, omni discussa tristitia, ex ejus conspectu et colloquio recederet mirifice recreatus.

Quamdiu Præfecturam non solum suæ Domus, sed etiam Cataloniæ, cujus erat Visitator, tenuit, nunquam in choro desideratus est. Quamvis enim multis occuparetur negotiis, divinum nihilominus frequentabat Officium; nullumque erat gregalis monachi munium, quod ipse non obiret : adeo ut, quo plus cæteros præstabat dignitate, eo magis illos virtute antecelleret. Demum venerandus hic Pater a nemine satis laudari potest : quippe qui tempore sui regiminis se se gessit tanquam fidelem servum et prudentem, a Domino super suam familiam constitutum.

Primo hujus cœnobii Prior ordinatus est anno 1569, sub mensis Augusti exordium; in quo munere perseveravit usque ad annum 1584, quo ad suas instantissimas preces, mense Julio, per Visitatores fuit exauctoratus. Vix abdicata Scalæ Dei Præfectura, statim admove-

tur regimini Montis hilaris; ubi remansit usque ad annum 1588, quo iterum a monachis in Scalæ Dei Priorem eligitur. Hoc officium eadem cum prudentia et benignitate ut antea exercuit, donec, anno 1595, mense Octobri, provectam ætatem causatus, a Visitatoribus absolutionem obtinuit, non sine filiorum suorum ingenti dolore.

Multa laude digna gessit et huic monasterio perutilia. Philippo II Hispaniarum regi acceptissimus, ab eo obtinuit prorogationem annuæ pensionis septuaginta scutorum, quæ huic Domui Carolus V Imperator assignaverat. Quapropter tanti beneficii memor Ordo noster, anno 1580, concessit Philippo Monachatum et Missam de Beata Maria per totum Ordinem. Idem Rex tanti Petrum faciebat, ut, cum aliquando ipsum salutaturus venerandus senex invisisset, Princeps Catholicus huic ad colloquium admisso dixerit : « Ingredere, magne hujus sæculi Religiose. »

Desiit vivere, Deo in æternum victurus, anno 1598, die 7 Decembris, juxta Librum fundationum Cartusiarum Hispaniæ (ubi Vita ejus extat); et juxta Chartam, die 6 Decembris.

MAMMES GARNIER

MONACHUS DIVIONENSIS

Patria Lingonensis; Institutum Cartusiense solemniter professus anno 1607, 24 Junii, magno virtutis præstantissimæ nomine vixit, orationi deditus et solitudini. Semper ita sui compos fuisse celebratur, ut nihil ipsi, quamvis a natura prompto ad iram, stomachum potuerit movere; perfectus quippe Christi discipulus, a Magistro suo didicerat mitem esse et corde humilem. E vivis excessit anno 1653, 7 Decembris.

PLACIDUS DE AMICO

MONACHUS NEAPOLIS

Vitam monasticam professus anno 1643, 21 Novembris. Laudatur imprimis ob miram simplicitatem, et mores religiosissimos. Fuit præterea multum pacificus, studiosus charitatis, addictus orationi, et assiduus in frequentanda ecclesia. Cum incredibili patientia calculi dolores acutissimos sustinuit, inter quos nullum unquam excidit querelæ verbum. Procuratoris exemplariter functus officio, naturæ debitum persolvit anno 1681, 7 Decembris.

VIII DIE DECEMBRIS

MICHAEL VICENS

PRIOR MAJORICARUM

Professus hujus eremi; piissimæ vitæ odore undique effuso, Prior Sanctus ab omnibus vocatus. Mortalitate gravari desiit anno 1548, die Conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ sacra: qua luce prædixerat matutinam psalmodiam cœlestes inter Choros se modulaturum. Vixerat in Ordine nostro magna cum laude annos quadraginta.

Ejus meminit perhonorifice Vincentius Mur. (Historia Regni Majoricensis, t. 11, lib. 11, cap. 12.)

SIMON SEBASTIANUS

PRIOR AULÆ DEI

Cujus Elogium in quodam Aulæ Dei Manuscripto sic describitur :

« Simon Sebastianus, Celtiber, professus primo de Fontibus, die 1 Novembris, anno 1553, secundo Aulæ Dei, anno 1564; in tentata Ordinis separatione Commissarius, Procurator et Visitator generalis; Majoricarum, ac denique suæ Domus Prior, quam ab ejus fundamentis (annuente et procurante Fundatore) extruxit, et perfecit rudimentis. Miro consilii, sanctitatis, magnanimitatis, ac omnigenæ virtutis fulgore coruscans, veluti fulgentissimum nostri horizontis sidus, regularis observantiæ perennes ac rutilantes emisit radios; quorum splendore nunc usque illuminata Domus, æmula firmamenti, stellarum agminibus emicat exornata. Tandem lucere desiens, ut luceret in perpetuas æternitates, ad astra migravit, anno 1601, die 8 Decembris. »

DOMINICUS MIRO

MONACHUS MONTIS HILARIS

Diaconus jam, se se Divino famulatui mancipavit in Cartusia Montis hilaris. Cujus corporis venustas et elegantia cum præclaris animæ ejus dotibus valde concordabant. Angelica siquidem exornatus puritate, orationisque studiosissimus, vix annum ætatis vigesimum quartum attigerat, cum in brevi consummatus explens tempora multa, brevi labore ampliorem gloriæ coronam consecutus est, anno 1611.

Ex Manuscripto hujus Domus.

BRUNO BAPTISTA

MONACHUS GRANATÆ

Anno 1609, die 6 Januarii, vota sua Domino reddens, eo fervore statim egit pœnitentiam, ut, corporis macerationibus impar, multos morbos contraxerit. His exercitus ad patientiæ exemplum, summe etiam paupertatem coluit, et solitudinem : in qua pie moritur, anno 1621, die octava Decembris.

PETRUS RAYMONT

CONVERSUS VALLIS CHRISTI

Aragonensis; tenui quidem, sed honesta progenie natus. Ob parentum suorum paupertatem, juvenis adhuc, lapidariæ fabricæ operam dedit, hoc labore victum comparaturus. Structuræ muralis jam peritus opifex, se totum divinis obsequiis mancipare desiderans, petiit habitum Religionis a Patribus Cartusiæ de Fontibus, in præfato Aragoniæ regno constructæ. Lubenter monachi annuerunt Petri votis; nam præter illius artem, in qua abunde versatus erat, nescio quid sanctitatis elucebat in illius vultu. Conceptæ spei respondit Novitius, dum exuens sæcularem hominem cum actibus suis, novum induit, circumamictus varietate virtutum.

Transactis hac in Domo annis aliquot, tæduit ipsum domicilii quod elegerat, vehementerque pœnituit. Hujus fastidii causam adscribebat Cartusiæ tenuitati (ubi, præ incolarum modico numero, minus vigebat observantia regularis), et externis occupationibus, quæ nimiæ solent devotionis extinguere spiritum. Quapropter enixe rogans Superiores, ut cum bona ipsorum venia liceret sibi transmigrare ad Vallis Christi monasterium, ubi strictius silentium solitudoque servabantur, exauditus est, et ad suas preces instantissimas admissus fuit ad secundam professionem.

Iteratis votorum constrictus vinculis, studuit imprimis Statutorum observantiæ; quorum leges vel in minimis nunquam violabat. Zelo zelatus, si quem videret aut silentii aut Instituti nostri transgressorem, modo in spiritu lenitatis admonebat, modo etiam redarguebat severioribus verbis. Cumque correptio suapte natura res sit omnibus odiosa, nonnulli moleste ferentes hanc Petri dicendi libertatem, interdum eidem segetem patientiæ subministrabant. Non maledicebat ille cum malediceretur, sed juxta Pauli consilium, dabat iræ locum; et factus sicut homo non audiens et non habens in ore suo redargutiones, ad instar Jesu Salvatoris nostri, tacebat affectus contumeliis. Aliquando percussus a quodam in maxilla, statim ad genua irati hominis provolutus, præbuit et alteram. Cum autem patientia perfectum opus habeat, non mirum si Petrus noster in dies tot faceret proventus. Augebantur patientiæ

ipsius et justitiæ incrementa, Deusque servum suum suis benedictionibus cumulabat. Pisturæ curam habenti Petro cum aliquando farina sufficiens deesset, non sine miraculo panes multiplicati fuerunt.

Rebus externis occupatus, vacabat tamen spiritualibus exercitiis; ita anhelabat ad Cœlestia, ut ex terrenis et temporaneis semper ad res Divinas assurgeret. Quoties cogebatur cum sæcularibus colloqui, Janitoris officio fungens, nihil nisi de bonis sermones miscebat, omnesque verborum suorum lenocinio pelliciebat ad virtutis amorem.

Divina charitate exæstuans, extaticæ orationis dono erat adauctus; unde cum ignita ejus verba essent, corda hominum iisdem, quibus ardebat, facibus inflammabat. Viri sanctimonia celebriores gestiebant Petrum audire loquentem : tanta etenim facundia disserebat de rebus spiritualibus, ut omnes in sui raperet admirationem. Impense deditus erat lectioni; ex qua colligebat amplam meditandi materiam. Huic vacabat indefessus, nunquamque hac occupatione fatigabatur. Cumque didicisset bonam esse orationem cum jejunio, castigabat corpus suum, omnique mortificationum genere macerabat. Ex his morbos pene continuos contraxit, qui tanquam in camino probarunt ipsius patientiam.

Enituit hæc virtus, cum ex cruris sui ulcere molestissimo ne somnum quidem capere potuit. In his angustiis constituto medicus nocturnam quietem conciliaturus, statuit ut ad lectuli pedes fornacula apponeretur (incommodum certe per æstatem remedium), cujus calore infirmus consopiretur. Quamvis autem detineretur affixus lectulo præ morbi vehementia, quoties tamen debebat divinis interesse Officiis, non secus ac si dolor fuisset intermissus, chorum servus Dei frequentabat cæterorum instar: singulas genuflexiones ac ceremonias observans absque ullo labore. Sacerdoti ministrabat etiam cum ingenti devotione. Quibus peractis, ad cellulam rediens, statim sentiebat dolorem cruris recrudescentem. Hoc diuturno confectus martyrio venerabilis Frater Petrus, cum diu adventum Domini præstolatus fuisset, tandem mortis suæ præscius, subitæ quidem sed non improvisæ, decessit, anno 1640, mense Decembri.

Ex ejus Vita.

IX DIE DECEMBRIS

BONFILIUS

CONVERSUS MAJORÆVI

Majoris Cartusiæ professus ; totius bonitatis exemplar et obedientiæ regularis strenuus observator. Post multos labores pro Dei honore et Ordinis incremento per sexaginta annos et amplius in Cartusia Majorævi exantlatos, tandem meritis dives et plenus dierum, placido mortis somno requiescens, ad mercedem æternæ retributionis evocatur, circa annum 1182.

Ex antiquis hujus monasterii Monumentis, et Schedis D. Hugonis Buat ad nos transmissis.

ANNA DE RION

MONIALIS GOSNAY

Soror Mariæ de Rion, hujus etiam parthenii monialis, filia Domini de Rion Gallicorum castrorum Præfecti. Cujus viri authoritas et animi magnitudo monasterium hoc, durante bellorum tumultu, a militum insolentia, incendiis et vastationibus illæsum servavit. Ipse enim firmissimum Domus erat præsidium et tutamen, dum excubaret noctu diuque, ne quid illi terroris incuteretur vel damni. Porro Anna, cum humilitate, pietate, sanctitateque omni floruisset in hac eremo,ad Christum Sponsum feliciter evolavit, anno 1569, die 9 Decembris.

Ex Manuscriptis.

PETRUS ZEPEDA

MONACHUS DE COVIS

Vir vere Cartusianus; in laudibus divinis strenuus cantor. Cellæ amicus et solitudinis : quapropter, ut lachrymis vacaret liberius et contemplationi, sæpe ostium cellulæ suæ claudebat cum pessulo ; ad cujus limen anno 1590, die 9 Decembris, mortuus inventus est. Molesto siquidem asthmate laborans, cum aliquando, morbo hoc oppressus, se se reptaret ad januam petiturus opem, ibidem expiravit.

Is alias cum monacho juniore inierat pactum, ut primus eorum, qui e vivis excederet, statum animæ suæ (modo permitteret Deus) socio significaret superstiti. Junior cum vidisset seniorem morte subitanea sublatum, memor pro-

missi, timere cœpit, ne forte defunctus sibi appareret formidabilis; atque ideo pro eodem celebrare statuit frequenter. Transacto interim triduo, post Matutinas decumbens, per somnium vidit hominem quemdam, apponentem mensam cum pane prægrandi, et sibi dicentem : « Donec comedas totum panem istum, non poteris videre Patrem D. Petrum Zepeda. » Statim expergefactus, audivit Primæ campanam, multumque anxius somnium propalavit Confessario, qui, ut oraret pro defuncto, dedit consilium.

Nocte sequenti, eadem hora dormiens, eamdem mensam, eumdemque virum conspexit tertiam panis partem secantem; et statim evigilans ad campanæ pulsum, secundo Sacrum obtulit pro mortuo. Tertia nocte, idemmet somnians, aliam tertiam partem panis vidit incisam; et surgens, tertio Sacrum fecit. Quarta tandem nocte, graviori somno oppressus jacebat in lectulo, cum se conspiciendum ei præbuit Petrus, suo indutus habitu monachali, mundo atque candido supra quam poterat explicari; intransque in ecclesiam pretiosissimis ornamentis decoratam, exultans et formosus specie quasi Dei Angelus, per medium templi accedens ad majus altare, facta ibidem oratione, disparuit. Sicque dimisit juniorem ascetam mirifice consolatum.

Ex Manuscriptis.

X DIE DECEMBRIS

ANONYMUS

MAJORIS CARTUSIÆ

De quo meminere Ganneronius noster in suo Martyrologio Cartusiensi ad hanc diem, et Chronicon Majoris Cartusiæ manuscriptum, cap. 5 : cujus hic verba subjicimus.

« Rusticus quidam, rebus pauper sed devotione dives, Domui Cartusiæ et sanctis Religiosis in ea Deo militantibus se in amicitia vinxerat, eisque non minimum familiaris erat. Hic duos filios suos ibidem obtulit : ut in sancta Religione educati, Deo perpetuo servirent. Quorum unus, non multo post tempore elapso defunctus, alterum superstitem dereliquit; quem religiose educare et instituere volentes, supradicto bono Converso [*etiam anonymo, de quo plura referuntur mira, ut videre est in Annal. D. Le Couteulx ad annum 1137, n. V.*] ejus curam committunt. Nec segnis iste mandatorum executor, puerum commendatum suscipit, et enutrit; ac sacro Religionis lacte, quo ipse educatus in viriles annos evaserat, eum imbuens,

nihil rerum terrestrium sapere, nihil eorum quæ in terris sunt diligere, brevi edocuit. Cœlum mente conspicere, Cœlestibus inhiare, ad Christum cœli et terræ Deum et Dominum totis animi viribus anhelare, quæ sursum sunt quærere, non quæ super terram, ubi Christus est in dextera Dei sedens, juvenem sibi creditum bonus doctor edocuit.

« Edoctus iste ab eo, non in vanum laborasse doctorem suum, ut quidam indisciplinati faciunt, ostendit. Sed, ut a quodam Sapiente dictum est, recens testa, semel Cœlesti sapore imbuta, odorem inde contractum non diu tantum, ut ille ait, sed semper quoad vixit servavit. Sed placuit Deo ne puer tam bene educatus, tam sancte edoctus, diu particeps mortalium fieret, vel aliquem de ipsorum diutino consortio nævum contraheret. Raptus est igitur, ne malitia mutaret cor ejus, aut ne fictio (quæ quibusdam etiam Religiosis quandoque familiaris esse solet) deciperet animam illius.

« Præveniens igitur in moriendo discipulus magistrum, bonam quidem spem salutis suæ, sed cum eadem spe magnum illi ac pene intolerandum de morte sua dolorem reliquit. Acceperat quippe illum a Priore suo, ut jam dictum est, ad educandum. Sed ipse ejus bonos mores sanctamque intentionem intuens, admirans et amplectens, eum non solum ut commendatum, sed ut filium unice diligebat; atque idcirco ejus tam celerem, imo quasi furtivum de mundo recessum, pene assidue dolendo deflebat. Eo tactus affectu, orabat continue pro ipso : psalmorum quidquid noverat, Domino quotidie profundebat, nec satiari psallendo, orando, meditando [al. mœrendo] pro ipsius anima poterat. Cumque hæc tam devoti animi sui tam pia studia nullo fere tempore intermitteret, nec ab his, quantum facultas dabatur, cessaret: volens Deus hominem suum aut a tam duro labore relevare, aut cujus meriti vel ipse vel puer illius esset ostendere, dignum fecit illum visione Cœlesti, qua et ipse consolaretur, et quid de ipso vel de puero sentiendum esset, legentibus sive audientibus proderetur.

« Pernoctabat aliquando sub dio bonus iste Conversus, ut sæpe facere consueverat, ac spiritum Cœlo intentum ab orationis labore vel studio, ut de Magno Martino legitur, non relaxabat. Cumque, defixis non solum mentis sed et corporis oculis in Cœlum, Deum, ut homini erat possibile, super æthera, quæ visui corporali obstabant, contemplaretur : ecce subito, velut per medium discissi aeris, lux longe omni corporea luce clarior ei de supernis infulsit, eumque ac loca sibi circumposita immenso splendore perfudit. Et ut servi sui votis, Ille qui voluntatem timentium se facit, satisfaceret, conspicit et dilectum puerum, imo in Deo filium suum, de cœlis cum eadem luce descendere, atque usque ad se lætum et radiantem venire.

« Admirans ille insuetæ visionis novitatem, gaudio simul et timore turbatus hærebat. Ad quem, is qui apparuit puer, « Quid, inquit, turbaris? An non agnoscis filium tuum? Redi ad animum, et mecum, ut solitus eras, loquere. Sed ut ea, quæ circa me aguntur, paucis tibi aperiam, noveris mihi multum profuisse, quod me tam tenere Dei causa dilexisti, quod morti meæ tam benigne compassus es, quod pro me tam sollicitas et continuas Deo orationes fudisti. Amodo per Dei gratiam noveris me ad illum statum pervenisse, ut sicut tu hactenus mihi profuisti, sic ego tibi amodo prodesse valeam apud Deum. » Dixit hoc; et statim, unde venerat, paulatim, eo conspiciente, regredi cœpit.

« Referebat autem ille hujus visionis inspector, quod dum a se discederet cœlumque conscenderet, non aversa facie, vel huc illucque conversa, ut valefacientes solent, recessit; sed sicut ei collocutus facie ad faciem fuerat, sic semper ad se converso vultu ad superna tendens, tamdiu permansit, quousque, ut de B. Martino jam dicto legitur, patente cœlo receptus, videri ultra non potuit. Quæ visio, in hoc forte illi visioni præponderat, quod Severus Sulpitius illam, sicut ipse perhibet, licet matutinis horis leviter dormiens, tamen dormiens vidit : hanc autem iste non dormiens sed vigilans, sub dio positus atque orationi toto corde intentus, conspexit. »

De hoc juvene agunt etiam Dorlandus noster, lib. 4, cap. 3, Chronici Cartusiensis; Sutor, pagina 531 (lib. 2, tr. 3, cap. 5); Petrus Venerabilis, lib. 2 Miraculorum, cap. 29.

GUILLELMUS DE SANCTO SEPULCHRO

MONACHUS PARISIENSIS

De quo Ganneronius in suis Montis Dei Monumentis scribit in hunc modum :

Sub Simone de Chaigneto venerabili et religioso Montis Dei Priore floruit, ab anno 1373 et deinceps, devotus Guillelmus de Sancto Sepulchro, qui olim apud Remigianos monachos professus, tandem extiterat Prior Synduni (Senus) et Margeriaci. Sed cum strictioris observantiæ regulis inhiaret, accedente Abbatis sui Petri de Marcilliaco consensu, habitu Cartusiensium in Monte Dei insigniri petiit et obtinuit. Antequam autem Remigianis valediceret, plurima iis ex licito peculio largitus est. Nam ad diem 10 Decembris (qua obiit et in qua in Necrologio pariter Montis Dei ejus mentio habetur) sic legitur : « Obitus Domni Guillelmi de Sancto Sepulchro, Prioris quondam de Senuco, qui dedit nobis in perpetuum duo stagna apud Condatum juxta Aultrey, et maximam quantitatem librorum nomine nostro intitulatorum. » Antequam autem in Monte Dei professionem

emitteret, curavit cellam in claustro Montis Dei fabricari propriis sumptibus, ad cujus dotationem duo millia librarum contulit.

Sed parva admodum huic Monti conferret, si temporales et perituras tamen opes solummodo contulisset. Potiora sunt et præstantiora alia quædam, quæ dimisit, bona scilicet et ex instituto virtutis vivendi exempla. Fuit namque disciplinæ regularis sedulus amator, sui corporis inexorabilis domitor, in vita irreprehensibilis, in austeritate nulli secundus, et mirabiliter devotus ad Christi Passionem. Credo siquidem eum tanti amoris flammas hausisse, ex operibus Augustini de Ancona, Eremitani Mendicantis, quæ sibi per quatuor monachos Montis Dei curaverat exscribi; ex quorum lectione in tantum profecit (summopere enim ad capiendas Divini amoris scintillas ejusmodi scripta valent), ut in perfectum monachum Cartusiensem evaserit.

Ne videar autem mea effutire, proferam hic, quæ Dorlandus protulit, lib. 5, cap. 32, Coronæ (Chronici) Cartusiensis :

« Legi extitisse (inquit) quondam in Domo Montis Dei monachum Ordinis nostri, virum magnis virtutibus conspicuum, et hoc uno singulari munere præditum, quod pia et ferventissima devotione ad Christi Crucem, plagas et verbera ferebatur. Nam, præter cæteras humilitatis, charitatis et patientiæ virtutes, erat ad Christi Passionem zelator ardentissimus : quam et mente et corpore, dilectionis igne flagrans, æmulabatur. Ob conceptum hujus salutiferæ Passionis ardorem, sæpe, dum solus esset, se se flagris acerrimis verberabat, ita ut copiosi rivi sanguinis per latera in terram decurrerent. Alapis quoque et colaphis tam crebro faciem et cervicem quatiebat, ut nisi illum divina virtus sustentaret, nunquam in tam fragili corpore hos potuisset diros impetus sustinere. Et erat revera mirabile, quod in tanta verberum asperitate, nihil asperum, nihil molestum sentiebat; sed erant illi hæ plagæ, hæc verbera super mel et favum dulcissima : tamque delectabiliter ac suaviter illius cordi Christi Passio sapiebat. Nam quanto durius, quantoque inhumanius se ob vulnera Christi affligtabat, tanto mens ejus majori consolatione, et corpus dulcedine replebatur. »

Hæc Dorlandus. Qui licet nomen præclari illius monachi non exprimat, existimo tamen non alium illum esse a nostro Guillelmo, quem Cartularia nostra vocant Patrem mirabilem. Cujus etiam obitus recensetur in Calendario necrologico Montis Dei ad diem 10 Decembris, his verbis : « Obiit D. Guillelmus de Sancto Sepulchro, quondam monachus hujus Domus, qui fuit magnus benefactor noster, unde multum obligamur orare pro eo. » Pervenit autem usque ad annum 1400.

Hactenus Monumenta Montis Dei.

Porro si vota monastica nuncupavit

Guillelmus in Cartusia Montis Dei, constat eum etiam fuisse professum Vallis viridis; ubi secundam professionem fecit, si non primam juxta priscum morem ibidem emiserit. In Charta etenim Capituli generalis anni 1398 legitur: « Obiit D. Guillelmus de Sancto Sepulchro, monachus sacerdos Vallis viridis, decima die Decembris; qui habet Monachatum per totum Ordinem, cujus Anniversarium conscribatur in Calendariis conventualibus. » Item in Necrologio Cartusiæ Parisiensis ponitur: « Quarto Idus Decembris, obiit D. Guillelmus de Sancto Sepulchro, monachus noster, de cujus bonis et fratris sui habuimus duas domos venditas 400 francis. Item 16 libras annui redditus sitas Parisiis, et multa alia bona fecerunt nobis. »

XI DIE DECEMBRIS

ALPHONSUS DE QUINÇA
PRIOR DE MIRAFLORES

Hujus monasterii professus; silentii præcipuus amator, cæterisque Ordinis observantiis deditissimus. Cujus devotio haud vulgaris fuit in celebrando sacrosanctæ Missæ Sacrificio. Aliquamdiu hujus eremi moderamen habuit; quo dimisso, in silentio et solitudine præstolans salutare Dei, naturæ debitum persolvit, circa annum 1562. In Elogiis Priorum de Miraflores vocatur vir gravis et severus.

PHILIPPUS BALSAMUS
PRIOR NEAPOLIS

Messanensis, ortus nobili prosapia; Juris utriusque Doctor eximius, vir dives et potens, unus e spectatissimis Messanæ Baronibus; generis splendorem nobilitavit, cum, spretis sæculi delitiis, pauperem Christum sectatus est, factus humilis asceta Cartusiæ Neapolitanæ. Ibi tam miros progressus fecit, ut tanquam unus ex antiquis Patribus appareret. Rebus divinis intentissimus, oblivioni tradiderat temporalia. Ita erga pauperes affectus erat, ut in hoc neminem haberet secundum. Cum Cartusiæ Neapolitanæ moderamen haberet, obviam pergens mendicis, largissimas eis porrigebat eleemosynas. Per unius anni spatium quatuor aureorum millia calamitosis erogavit: quæ quidem summa tunc magna erat, ob rei domesticæ tenuitatem. Præfuit etiam Domibus Capri et Sanctorum Stephani et Brunonis, ubi decessit Vicarius, anno 1570, relicta sanctitatis opinione. — Vir insignis patientiæ et humilitatis, decessit senex suæ mortis præscius.

Ex Manuscriptis.

XII DIE DECEMBRIS

URBANUS DE AVERSA

PRIOR NEAPOLIS

Hujus venerandi Patris memoria brevi quidem sed magno elogio celebratur in Catalogo Priorum Neapolis; ubi dicitur Vir Sanctus. Bis autem huic cœnobio præfuit, decessitque suæ Provinciæ Visitator. Ejus obitus signatur in Charta anni 1443.

BARTHOLOMÆUS PEGNARANDA

CONVERSUS VALLIS CHRISTI

Valentinus. Sæcularis adhuc, ad omnem propensus virtutem; Chirurgiæ navabat operam. Tondebat etiam Valentiæ Dominicanos. Cumque aliquando in beati Ludovici Bertrand cellula versaretur, vir Dei quæsivit a Bartholomæo, num vellet Vitam sectari monasticam. Cui barbitonsore se non hanc habere voluntatem respondente, subridens eidem dixit : « Ego vero tuæ ad Religiosum statum vocationis factus sum certior. » Quamvis autem hactenus nihil tale quid adolescens animo volvisset, ad Ludovici verba statim tanto Instituti Cartusiensis exarsit desiderio, ut a V. P. Joanne Bellot Priore Vallis Christi inter Conversos fuerit annumeratus. Excelluit imprimis orationis dono, quam existimabat viam ad cæteras virtutes compendiosiorem. Eosque fecit in vitæ spiritualis palæstræ progressus, ut, vix quinquennio apud nos exacto, in omni sanctitate consummatus, e terris in Cœlos fuerit translatus, anno 1583.

Ex Annalibus Vallis Christi Joachim Alfaura.

JOANNES AUBOUTZ

SACRISTA AURELIANENSIS

Cartusiæ Parisiensis alumnus. Primus Sacrista hujus novi monasterii; cujus paupertatem et alia incommoda religiose sustinens, dum suavem apud sæculares suæ sanctitatis fragrantiam spargeret, Christi bonus odor factus, ibidem pie decessit, anno 1637, die 12 Decembris, ætatis suæ 45; in sacello tumulatus. Erat oriundus ex oppido de Suilly Aurelianensis diœcesis; egeratque ante Ordinis ingressum apud Capucinos per aliquot menses Novitium.

XIII DIE DECEMBRIS

PONTIUS DE BALMEY

EPISCOPUS BELLICENSIS

Hujus beati Præsulis Vitam habuimus ex Manuscripto Majorævi; quæ sic incipit:

Beatus ac gloriosus Dei Pontifex D. Pontius de Balmeto, in Lugdunensi diœcesi pago qui Balmetum dicitur, patre Northoldo ejusdem pagi Domino oriundus, generis nobilitatem moribus et vitæ sanctimonia præclare illustravit. Cum igitur, ab ipsis infantiæ rudimentis studiis liberalibus adhibitus, magna ingenii ubertate, brevi summum eruditionis gradum conscendisset; et multiplicibus adornatus gratiis, maximo suis honore esset, adeo ut nihil literarum in eo desiderari posset; Lugdunum profectus, primæ Ecclesiæ Canonicos adiit, ut reciperetur: quod et obtinuit. Inter quos ita profecit, ut brevi tempore, propter singularem morum ac animi prudentiam, eximiamque facundiam et doctrinam, Magister atque Pœnitentialis extiterit: omnem in orationibus et exhortationibus operam ponens, ut animas Deo lucrifaceret.

Sed quoniam exempla magis sonant quam verba, factis demonstravit quod verbis docuit. Ipse enim prius Christi præco, plene informatus de Vita quam in eremo Cartusiæ monachi anachoretice viventes sanctam ducebant, anno Domini 1116, de consensu et voluntate nobilium fratrum suorum, Garnerii domini de Balmeto et Willelmi domini de Dorchia, vallem Majorævi (alias a congerie arborum modo Mariacam dictam) sicut hæreditario jure parentum possederat, cum omnimoda proprietate et jurisdictione ac omnibus appenditiis in ea et ex ea emergentibus, Fratribus Ordinis dictæ Cartusiæ, Fatri scilicet Stephano patrio sibi charissimo, uni ex septem primis Eremitis Cartusiæ pro Priore ibi misso, cum duobus Conversis Bonofilio et Gaufrido, ad cœnobium construendum contulit et concessit coram toto Capitulo Lugdunensis ecclesiæ, nihil sibi vel suis retinens.

Interea cum hoc construeretur ædificium, Pontius rerum humanarum pertæsus, totusque cœlestis Vitæ desiderio accensus, Cartusiam petiit, ut ibi sub Religionis habitu soli Deo vacaret, maturo prius habito consilio cum Domino Willelmo Lugdunensis ecclesiæ decano. Præerat id temporis Cartusiæ vir potens opere et sermone, Guigo Magnus, qui Magistrum Pontium ad se venientem

perquam benigne excepit; et convocatis monachis, de licentia R. Præsulis Lugdunensis Gauceranni, ipsum Novitiali cuculla induit, cellæque ac silentii observationem in remissionem peccatorum injunxit. Tum ille, qui summa quæque animo suo proposuerat, ne umbras virtutum potius, per imprudentiam, quam veram lucem solidasque virtutes sectaretur, ante omnia indefesso studio regularibus disciplinis et exercitiis imbutus, usque adeo profecit, ut non solum ejus Eremi Fratribus, quamvis sanctitate conspicuis, sed etiam exteris præclarum de se ipso vivendi exemplar præberet.

Factum est ut eo tempore, anno scilicet 1118, quarto Januarii, Domno Stephano Burgensi, Protopriore Majorævi, e vivis sublato et ad Beatorum consortium translato, Fulcodus Vicarius [*potius* Procurator] ac cæteri Fratres a Magno Guigone sibi dare in Priorem Fundatorem suum, etsi noviter professum, postularent. Guigo eorum desideriis et postulationibus annuens, Domnum Pontium Prioris officium suscipere cogit, et a se non sine lachrymarum imbre ad patrios lares dimittit. Quanta cum charitatis et lætitiæ significatione a Fratribus fuerit exceptus, dicere nemo potest. Quibus ipse tanta discretione salutaria animarum fercula administrabat, ut cuncti, se talem nactos esse Priorem maximopere gratularentur. Aderat omnibus ipsius conatibus misericors Dominus, ejusque verbis tantam vim efficaciamque præstabat, ut non modo præsentes eum obsequenter audirent, sed multi... (*Hic multa desunt*)... perfusus, illico languore convaluit, sanusque ac incolumis ad Rubeum montem rediit.

Contigit vero post biennium [circa annum 1120] Bellicensium Antistitem humanis rebus excedere. Mœrens itaque grex Pastore orbatus, Pastorem quærit et invenit. Quidam enim virtutis fulgor ex Majorævi montibus, sanctus videlicet Pontius ei apparet, quo illuminati Clerus et populus hunc eligunt, et deposcunt instanter. Sed eo renuente Magnum Guigonem Cartusiæ Priorem adeunt, electionem D. Pontii exponunt, consensum efflagitant et obtinent. Quibus ad Majorævum reversis, Pontium invitum et plane reluctantem secum abducunt, et in cathedra Episcopali collocant.

Itaque volens nolensque Pontificali infula decoratus, ecclesiæ Bellicensis gubernacula suscepit, se seque non modo normam et specimen recte faciendi cunctis exhibuit, sed et omnibus amabilem ac reverendum, suavem ac mire jucundum : quod fecit, ut subditorum animos ad quævis pietatis opera subeunda promptos paratosque haberet. Quod enim aliis pompæ et fastus fomenta subministrare solet, huic majoris abjectionis studium attulit, prorsus ut, Pontificio fastu posthabito, Nobilium spreta frequentia, famulorum obsequiis postpositis, pauperum et monachorum consortiis semper delectaretur.

Cæterum, cum alios ad peccati fugam hortaretur, tum corpus proprium rigore Cartusiano domabat : duro ad carnem cilicio utebatur, renes cannabina reste constringebat; lectus non mollibus plumis pictisve tapetibus, sed vili stramine et grossioribus pannis patriæ stratus, corpus vigiliis et jejuniis defatigatum excipiebat. Ipse enim, feriis secunda, quarta et sexta, pane, sale et aqua contentus erat; cæteris vero, legumina vel aliquid ejusmodi, et aliquando caseum, et vinum bene lymphatum sumebat : semper tamen, tam infirmus quam sanus, ab omni esu carnium abstinebat. Et quidem cum tanta severitate in suum ipse corpus sæviret, alios stupenda benignitate fovebat; nam nihil ei erat charius, quam ut egenis et miseris consuleret, piave omnibus viscera misericordiæ aperiret.

Igitur bonus egregiusque Pastor commissis sibi ovibus, adhibita duplici cura, exhortationibus et exemplis, iter ad æternam vitam quærendam et spiritualium morborum diram pestem vitandam demonstrans, eximium ex eis lucrum acquisivit. Multos etenim ab iniquitate, multos a vanitate convertit, ac rectitudini vitæ restituit. Quorum unus, Nanthelmus Bellicensis ecclesiæ Secretarius, dignitates respuens, et vias duras Cartusiæ apud eremum Portarum sequens (qui et in eodem Episcopatu successit et miraculis claruit), ostendit quantum incrementi Ecclesiæ Dei attulerit.

Porro erga superbos tumidosque peccatores justitiæ severitate [agens], lapsos tamen quanquam gravissime nequaquam despiciebat; sed in spiritu lenitatis corripiens, summa ope ad rectam Legis semitam reducere conabatur. Ordines vero sacros Beneficiaque ecclesiastica ita conferebat, ut nulla conditionis, favoris vel precum habita ratione, solos mores scientiamque discuteret, eosque solos Ordinibus initiaret et Beneficiis ornaret, qui cæteris et gravitate morum et prudentia ac operum pietate præstarent.

Haud exiguæ ei suberant curæ de reparandis ecclesiæ divi Joannis muris, et sacerdotum ac pauperum reædificandis ædibus, sub suis antecessoribus aut nimia vetustate collapsis, aut igne consumptis. Hinc suæ diœceseos vigilanter terminos lustrabat, summisque viribus perniciosissimas consuetudines profligabat, multos a dæmonum castris ad Christi stipendia perducebat, opes pauperibus distribuebat, eorumque miseriam et verbis leniebat et factis sublevabat. Quot et quanta operatus fuerit miracula, nullus sermo ad integrum explicare valebit; nam infirmarias omnes infirmis vacuabat, claudos erigebat, myopes ac cæcos illuminabat, surdos ac elingues curabat, cunctisque energumenis sanitatem conferebat. Visitationibus peractis, ad suam civitatem revertebatur, in qua cum gaudio et honore a suis Clericis et civibus peramanter excipiebatur; quibus vicissim panem verbi Dei quotidie frangebat.

Anno autem 1128, a Reverendissimo Apostolicæ Sedis Legato Humbaldo, Lugdunensi archiepiscopo, ad Domum Portarum vocatur Præsul noster Pontius, ut ei una cum S. Hugone Gratianopolitano episcopo in consecratione ecclesiæ inferioris dictæ Domus Portarum adsisteret. Qua peracta, et exhortatione ad plebem per Humbaldum habita, Eulogias hi sancti Præsules largiuntur, Domumque superiorem repetunt de æternitate confabulantes.

Tum, capta occasione, Pontius propositum de abdicando Episcopatu venerandis senibus aperit. Cui respondens Hugo, ait : « Memento, frater charissime, quomodo olim a Magistro Brunone, quando talia pertractarem, correptus fuerim, ut sæpe sæpius tibi dixi. Cave ergo, cave ne hoc facias, ovesque, quas Dominus custodiendas tibi tradidit, ne derelinquas; sed usque ad mortem sta super gregem tuum, ne fiat præda leoni rugienti. Rachelis amore hæc ita loqueris. » Sermonem suscipiens Humbaldus : « Sed scito, quia susceptum semel gregem tuum non potes impune dimittere, ut multis Scripturæ sententiis patet. » At Pontius : « O Patres amantissimi, eone me redire ibique manere consulitis, ubi fructum animarum faciam nullum, detrimenta vero salutis meæ capiam maxima ? »

Attamen post mortem istorum sanctorum Pontificum, ab Innocentio Summo Pontifice, quanquam difficultissime, licentiam ad Eremum redeundi obtinuit. Qua facultate adepta, ne commissum sibi gregem sine Pastore relinqueret, annuente Pontifice Maximo, Berlionem, vita venerabilem ac cunctis virtutibus mirifice ornatum, Clero populoque eligente, successorem sibi Pontificem pronunciavit; omnibusque amabiliter valedicens, post diuturnam concionem, populo luctu ac lachrymis discessum ejus deploranti Berlionem commendavit. Ipse vero gaudens conscenso equo Majorævum revisit ; et quasi post pericula maris quassa navis optatum portum occupavit. Sicque secretos monasterii sinus charam requiem intravit.

Ibi pulchram et sibi dilectam Rachel amplexabatur, sacrisque delitiis animam esurientem noctu diuque sedulus pascebat. Ibi, spreto Episcopalis dignitatis supercilio, posthabitoque propinquorum et Nobilium consortio, totum se Cœlesti magisterio subdebat ; et ad exequenda Cartusianæ Vitæ instituta, mira animi promptitudine et alacritate, non solum Domno Stephano, quarto Majorævi Domus Priori, miræ patientiæ et admirandæ simplicitatis viro, sed etiam Fratribus se se subjiciebat; tantaque inter eos virtute ac sanctitate versabatur, ut facile in quovis pietatis humilitatisque studio primas sibi vendicaret. Unde et factum est, ut multi Nobiles donis amplissimis Domum ampliarent, et eremitice cum ipso vivere felicitatem suam æstimarent.

Cum autem frater ipsius Pontii, nobi-

lis Garnerius de Balmeto dominus, cerneret in dies magis magisque pietatem ab hominum malitia præfocari, nihilque amplius sanctum, nihil sincerum in hominum moribus inveniri, statuit exemplo charissimi fratris, relictis omnibus hujus turbulentæ vitæ negotiis, in tranquillum Religionis portum secedere. Quod animo statuit, opere complevit; et Majorævi habitum Conversorum induens, in ea Domo plusquam centenarius sanctissime vixit, et obiit.

Interea vir angelicus Pontius, peracto jam militiæ certamine, cum se ad alteram vitam vocari a Domino intelligeret, præclara admodum pietatis monita monachis dedit : monuitque, ut antiqui hostis insidias devitarent, et bonis semper operibus intenti, ad bravium æternæ gloriæ viriliter aspirarent, ac in vocatione sua usque ad finem patienter perseverarent. Et sic demum munitus Ecclesiæ Sacramentis felicem animam in manus Creatoris, cantantibus Angelis ac monachis flentibus, tradidit, Idibus Decembris anni 1140, sub Innocentio II Romano Pontifice, tota regione illius obitu consternata et afflicta.

Quantis autem post mortem Dominus Sanctum suum miraculorum insigniis glorificaverit, non est meæ parvitatis, ob nimiam prolixitatem, singulatim hic explanare. Ego autem ipse expertus sum in meis continuis afflictionibus et infirmitatibus, et in quodam negotio maximi momenti hujus Domus, quanti meriti sit apud Dominum ejus intercessio.

Opera quædam scripsit pia et docta, quæ asservantur in thesauro Bellicensis ecclesiæ : *De Æternitate, De vitandis Schismaticis, De Pace concilianda, et De Contemptu vanitatis sæculi.*

Præpositus Bellicensis Joannes ejus laudes eloquenter in Oratione ad Petrum Lugdunensem contexuit, et se Pontii precibus a cæcitate sanatum asserit.

Hactenus Vita ms. — Apud Galliam Christianam fit etiam mentio Pontii.

JOANNA BACHELER

MONIALIS GOSNAY

Quæ cum septuaginta annos, vigiliis, orationibus et jejuniis dedita, in hoc parthenio transegisset, collectis bonorum operum manipulis, ad vitam immortalem migravit, anno 1517, die 13 Decembris. Alii ad diem 14 obitum ejus assignant.

Ex Mss. hujus Domus.

JOANNES BENNIER

VICARIUS PARCI

Per 24 annos Vicarium agens, cum diu exemplariter in Ordine et in suo officio vixisset, spiritum Deo reddidit, die 13 Decembris, anno 1571.

Ex Kalendario hujus Domus.

PETRUS BARBO

PRIOR XERITII

Simplici quidem, sed multum in Petri laudem stylo commendabili, Elogium illius describitur in quodam manuscripto Priorum de Miraflores Catalogo; quod de verbo ad verbum hic damus.

« D. Petrus Barbo fuit præclarus quidem et insignis Religiosus, tam in cella, sive officiis Mariæ vitam exercens, quam in Marthæ ministeriis per obedientiam occupatus. Poterat quidem, secundum omnium opinionem, totum Ordinem gubernare; patetque, ex eo quod non solum Domum hanc, verum etiam totam Provinciam per quatuordecim annorum spatium prudentissime rexit : ita quod omni laude sit dignissimus. Suo tempore hæc Domus in temporalibus maxime crevit, et in spiritualibus floruit laudabiliter. Magna enim ei Dominus ad gubernandum talenta dederat. Qua de causa, omnia negotia tam Castellæ quam Cataloniæ Provinciæ ab ipso pendebant, et secure in eisdem R. P. Generalis suas ei committebat vices.

« Fuit observantissimus, internæ plurimum deditus orationi; et ita tempore sui Prioratus ordinavit, sequens Statutorum nostrorum intentionem, ut post Missas privatas, per unius horæ spatium porta claustri ita clauderetur, ut nulli personæ pateret aditus; nec ullis negotiis alioquin etiam necessariis Religiosi implicarentur, ut omnes soli Deo vacarent, et in illo tempore specialiter, velut magis accommodato, animarum tantummodo negotia tractarentur cum Illo qui nos dignatur invisere et nobiscum delectari. Quod quidem exercitium, etsi omni momento utilissimum sit, et secundum vitæ nostræ normam a nostris Statutis plurimum commendetur, et in omnibus Domibus nostris magnopere observetur, tamen sine ulla dispensatione, hujus venerabilis Patris cura et diligentia, illa hora specialiter, ut Deo vacaretur, deputata est.

« Alia etiam multa pro utilitate utriusque status strenue ordinavit. Et cum in Priorem Domus de Xeritio translatus esset, post primum in ea ingressum, ibidem feliciter obiit, anno Domini 1594. »

Hactenus Manuscriptum. Decessit autem die 13 Decembris, relicta sanctitatis opinione. Erat Visitator; præfuitque multis Castellæ monasteriis.

DEODATUS WISCHER

MONACHUS BRUXELLENSIS

De quo sic agit Chronicon ms. Cartusiæ Bruxellensis :

« In festo sanctæ Catharinæ, anno 1614, ad habitum receptus fuit D. Deodatus Wischer, Embdanus, nobili prosapia progenitus et liberaliter educatus,

annos natus solummodo 17; cujus pater ex hæresi ad Catholicam Fidem conversus fuerat. Anno sequenti, 1615, eodem die professionem emisit prædictus Deodatus; cujus parens dedit 300 aut 400 florenos.

« Anno 1617, 13 Decembris, obiit D. Deodatus Wischer Embdanus, professus hujus Domus, Subdiaconus, Religiosus austeræ et abstractæ vitæ, qui in brevi complevit tempora multa. Silentii amans; abstinentias Ordinis in pane et aqua servabat. E lecto etiam stramina amovebat; focum raro struebat, ut infirmus vix ad hoc cogi potuerit. Studiis et lectioni semper deditus fuerat. Legerat Vitas Patrum, atque eorum austeritatem æmulabatur, quamvis corpore satis tener.

« Sic de eo scripsit D. Joannes Richardus ad Vincentium : « Reverende in Christo Pater, amicorum optime, posteriores literæ mihi redditæ sunt, inclusæ aliis literis ad me ab admodum reverendo Patre Visitatore. Ex quibus, sicut ex vestris, cum optimo testimonio intellexi nobis charissimum Confratrem nostrum Deodatum Wisscherium in Petri Piscatoris reti Deo reddidisse spiritum ipso S. Luciæ die, ut, hujus lucis caliginosæ usuram relinquens, ad candorem lucis æternæ remearet. Ita enim credere pium est, cum ex omine tum ex amplissimis ejus sanctioris vitæ testimoniis R. P. Visitatoris et tuarum literarum seriei insertis; quibus tantam fidem adhibeo, ut de transitu etsi desideratissimi atque, supra quam possum scribere, charissimi Confratris, non solum non doleam, sed perfusus gaudio ei congratulabor... etc. »

ANTONIUS TIXIER

PRIOR TOLOSÆ

Quatuor fratrum natu minimus; ex literarum scholastico fit virtutum et Religionis nostræ candidatus apud Vallem claram, adolescens vix natus annum ætatis septimum decimum. In ipso sui tyrocinii tempore a V. Patre Antonio de S. Paul, Priore Tolosano, Tolosæ ob vocem canoram evocatur. Erat autem egregium videre juvenem, seu Novitium, seu nuncupatis votis velitem, et nondum perfecte assuetum ascetam, decenti corpore, pulchra facie, modestis oculis, verecundo gestu, sacra pertractantem, scientem jubilationem, labiis mellifluis et gutture suavissimo divina cantica depromentem. Ibidem vota nuncupavit monastica, in divinis laudibus decantandis indefessus cantor.

Cujus rei admiratione V. Antonius de S. Paul permotus, dixit aliquando, de Antonio Tixier loquens : « Vidi et audivi per Ordinem Cartusiarum cantores sine numero, bene, fortiter ac devote jubilantes; sed qui jubilando et cantando nullo unquam tempore, nulla occasione, nulla imbecillitate frangatur aut

flectatur, nihil unquam, nihil omnino literæ aut notæ sacræ canendo dimittat, semper statu suo fortis, vigil et attentus, ac ex omni parte fidelis obsequio perseveret, ad istius comparationem aut similitudinem, non inveni, nunquam habui, non vidi, nunquam audivi. »

Sacristam primum, deinde Coadjutorem egit Tolosæ. Postea factus Procurator Villæfrancæ sub D. Pacifico Tixier Priore germano suo, ex hoc munere revocatur Tolosam, ibidem Procurator ordinatus. Anno 1617 inauguratur Prior Ruthenensis; quo exacto in hac Præfectura, transfertur ad moderamen Cartusiæ Caturcensis. Anno 1643 Burdegalensis Prior institutus, anno exacto, restitutus est Caturcensibus : cum Burdegalæ per morbum et frequentes languores nec agere, nec degere nisi cum præsenti vitæ suæ periculo posset. Caturcum reversus, extincto Pacifico Tixier, Priore Tolosano et Aquitaniæ Visitatore, in fratris sui locum sufficitur Antonius : vir religione, scientia Dei, pietate, prudentia celebris; virtutum autem et naturæ dotibus omnimodis excellens, fronte latus, naso rectus, benevolus oculis, blandus ore, angelicus vultu, membris apte dispositus, bene compositus gestu, moribus gravis, plenus majestate, verbis comis, placidus actione, consilio prudens, deliberatione maturus, proposito fortis, toto homine venerabundus.

Cui Deus præ cæteris contulerat, ut, quæ vix unquam in uno et eodem homine concurrunt, cum judicio scilicet memoria et ingenium, hæc in eo ita apprime convenirent, ut hinc inde librata, et appensa in pondere, nullius inæqualitatis momenta paterentur. Ipse talis et tantus, in angusta licet cella positus, ut ad eum omnes confluerent : nobiles, plebeii, laici, clericales, Episcopi, Præsides, Consules; omnesque omnis omnino ordinis viri ab ejus consiliis et ore penderent; res et lites suas definirent ejus moderamine, ac dissidia mutua componerent, quacumque lege ac pace statuisset; et ipsum quidem pacis Principem, Domum autem ejus Aulam pacis esse dictitarent. Quoque illum prosequerentur honore ac foverent amore, lachrymis ac gemitibus etiam Proceres et Doctores, bina ejus Burdegalam et Tolosam discessione, profusissime testati sunt.

Suos autem omnes, non solum continebat in officio, sed insuper in multa sui veneratione, timore pariter et amore sibi conjunctos, plenus ipse majestatis et amoris, habebat. Quinimo Provinciam ipsam Aquitaniæ, fratre suo Pacifico Visitatore et alio Priore collega gaudentem, sic conjunctis ipse fratri suo viribus sustinebat, ut eo inconsulto vel improbante vix unquam, ac ne vix quidem quicquam fieret. Denique fratre suo per senectutem et quietis amorem Visitationis labores et honorem detrectante, ipse labenti velut cœlo excelsos fortesque supposuit humeros.

Jam septuagenarius, annis, meritis,

dignitate, auctoritate ac æstimatione intus et foris clarus, forma senili ac corporis valetudine ultra consuetum præstans, cum ampliationem claustri Tolosani ex illustrissimi Baronis de Grava fundatione prosequeretur, febre correptus continua per quinquaginta dies, coram cunctis filiis suis, Deo semper intentus et omni Ecclesiastico ritu apprime lustratus, obdormivit in Domino, die 12 Decembris (et die 13 juxta Chronicon hujus Domus), anno 1655. Ad cujus funus tota fere civitas cum Senatoribus confluxit. Multo honore, multo gemitu depositus est juxta D. Pacifici fratris sui reliquias. Hæretici etiam Calvanistæ ita religiosam Antonii conversationem venerabantur, ut pro incolumitate animam agentis Deo preces fudisse in Conventiculis communis sit opinio.

Ex Chronico.

XIV DIE DECEMBRIS

HUGO

PRIOR MAURBACH

De quo V. P. D. Leopoldus Brenner, Walditz Prior, amicus noster singularis, in Chronico Maurbacensi a se conscripto et ad nos transmisso agit his verbis :

« Hugo facundus quidem ecclesiastes ad ædem divi Stephani Cathedralem Viennæ, postea Prior Cartusiæ Maurbacensis, regimen adiit anno 1397; vir plane celeberrimus, et quem nulla satis posteritas celebrarit. Etsi enim difficillimo tempore, quo sancta Mater Ecclesia, et cum ea Ordo noster dirissimo schismate scindebatur, et intestina etiam discordia laborabatur in Austria, præesset : potuit tamen, vir ad utilitatem Cartusiæ natus, ea dexteritate hac uti temporum malitia, ut tam in spiritualibus, quam etiam temporalibus maxima fieret ad Cartusiam accessio. Habuit enim Religiosos octodecim, pluribusque acquisitionum titulis præ omnibus prædecessoribus memoriam suam consecravit in Archivo. Rapuit in sui admirationem viros Principes, ipsumque adeo ducem Austriæ Albertum IV. Et cum esset omni genere scientiarum excultissimus, facilem sibi viam aperuit ad intimam cum præstantissimis viris Henrico de Hassia et Joanne de Ogtta [al. Henrico de Oica *vel* Oyta] familiaritatem, adeo ut ambos habuerit supremis tabulis sui monasterii benefactores : quibus nempe plantatoribus Universitas Viennensis, veluti filia, debet quod ad ideam Parisiensis Athenæi, ut matris, ab Alberto III Alberti II Fundatoris Gemnicensis filio, magnis sumptibus sit instituta.

« Porro cum Hugo venerandus, declinante jam ætate, se se ad Prioris munus obeundum imparem cerneret, anno 1420 exauctoratus ab officio, dum se se præparat ad Christi Judicis adventum, de Domo sua bene meritus, vitæ stadium absolvit supramemorato anno 1420, die 14 Decembris. Diu fuit suæ Provinciæ Visitator. »

WILLELMUS

MONACHUS TREVIRENSIS

Vir simplicitate Christiana haud vulgari et rectitudine exornatus, paupertatis amator; diuturna probatus infirmitate, in refrigerii locum educitur, anno 1460, die 14 Decembris.

Ex Catalogo Trevirensi.

JOANNES VALERO

PRIOR SCALÆ DEI

Segobricensis Nobilis ; literis navavit operam, generis sui splendorem doctrina commendaturus. Per adolescentiæ gradus diligenter imbutus omni scientiarum genere, eam sibi comparavit famam, ut P. Michael Juliano, Societatis Jesu sacerdos, in epistola ad Joannem scripta, sic eum alloquitur : « Sufficit discipulo, si sit sicut Magister ejus ; sicut revera fuisti. »

Solemni ritu in Academia Salmanticensi Doctor inauguratus in utriusque Juris et Theologiæ disciplina, rediit Valentiam. Ubi cum in dies ejus eruditio innotesceret, perillustris Dominus Martinus de Salvatierra, in utroque jure Doctor non incelebris et Episcopus Segobricensis, eidem Provisoris officium obtulit : quod tamen ille recusavit. Postea obtinuit vacantem quemdam ecclesiæ Segobricensis Canonicatum. Verum, intenta propter nominationis jus lite, primum coram Metropolitani tribunale, deinde in foro Valentino, postea Matriti, tandem Romæ coram Patribus purpuratis causam docte ac diserte peroravit. Re tandem ad concordiam adducta, Joannes competitori suo cessit Canonicatum, sibi tamen annuam pensionem excipiens. Dum Romæ versaretur, anno videlicet 1590, quædam negotia maximi ponderis administravit ab Episcopo Segobricensi sibi commissa.

Ex Urbe in Hispaniam iter navigio faciens, cessurus periculosæ tempestati, una cum sociis se se recepit in desertum quemdam portum proximiorem. Ibi incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim ; nam a piratis interceptus, ducitur a barbaris in Algerium. Expositus publicæ venditioni, pretio emptus, tam crudelem omnique humanitate vacuum dominum sortitus est, ut, cum nulla illi opera, ministerio, famulatu, officioque satisfaceret, male ab eo haberetur. Alligabatur aliquando Joannes ad columnam strictioribus vinculis, cum leo

famelicus, nescio quo casu, in hunc erumpens locum, devorasset captivum, ni Deus succurrisset opem suam inclamanti. Nam fera pessima, non secus ac si Joannis sanctitatem fuisset subodorata, ipsum et ejus socium intactos relinquens, statim recessit.

Interim herus leone ferocior jussit servum tam immaniter excipi fustibus, ut in extrema salutis linea fuerit constitutus. Tantæ autem barbariei hæc causa fuit. Laborabat aliquando Joannes acutissimo stomachi dolore. Quem domina conspiciens ingemiscentem, quid haberet ille, sciscitatur. Ægrotus non solum verbis, sed etiam signis explicaturus morbum, nescio quo gestu, ventrem suum indicat. Illa Hispani idiomatis prorsus ignara, existimans se ad impudicum quid a servo esse sollicitatam, irata conqueritur apud conjugem suum; qui nimium credulus, in animadversione factus durior, immeritis innocentem pœnis mulctavit. Verum Deus totius consolationis Pater, ut perpessorum malorum dolorem leniret, ipsum in pristinam non solum sanitatem, sed etiam in libertatem restituit. Nam persoluto redemptionis pretio, liber dimissus remeavit Segobricam.

Joannes Baptista Perez, Præsul sanctissimus ecclesiæ Segobricensis, probe noscens eximias Joannis Valero hujus diœcesis Curionis dotes, ipsum Canonicatu donans, suum instituit Provisorem. Summa cum laude Joannes noster suum implebat ministerium, cum, rerum humanarum pertæsus, sæculo valedicens, secessit in Eremitorium S. Juliani juxta Segobricam constructum. Sese hic inclusit, amore otii ac tranquillitatis.

Otium porro cum dico, non quisquam molle quoddam ac delicatum otium suspicetur, cujusmodi est hominum luxu ac delitiis diffluentium; nec languidum pigrumque, quale servulorum esse, ac nullius pretii hominum, solet. Longe aliud est otium sapientum; quos nunquam minus otiosos videas, quam dum sunt otiosi : quippe qui probe intelligunt, non solum negotii sui, sed etiam otii reddendam esse rationem. Itaque illorum otium aliorum negotiis longe anteponendum est. Nec sine causa Socrates dicere solebat, non cujusvis hominis esse in otio agere, sed solius sapientis : qui, cum omnia rectissime faciat, tum belle imprimis otio uti novit.

Hujusmodi igitur otium Joannis fuit. Quod ille totum in rerum cœlestium contemplatione consumpsit, et in literis; conversusque ad praxim primo, deinde ad virtutum descriptionem, otium suum Ecclesiæ utilitatibus consecravit. Duo siquidem Volumina in folio contexuit; quæ lucem aspexissent, ni vulgaris nimium materia, editioni librorum interposuisset impedimentum.

Per id temporis Vitæ eremiticæ pericula Joannes perpendens, et cœnobitici status commoda, migravit ad Cartusianos Scalæ Dei; ubi, annum agens ætatis trigesimum, die 13 Aprilis, anno 1596,

inter Novitios adscribitur. Magno cum spiritus fervore tempus probationis exigens, vix professionem emiserat, cum officio Procuratoris admovetur. Barcinonæ curabat negotia coram Regio tribunali, sæpiusque invisebat Doctorem Salvatorem Fontanet, qui postea Regens fuit supremi Consilii Aragoniæ, cui Joannes suum Volumen *Differentiarum utriusque fori* inscripsit. Hic Doctor nominatissimus singulari Joannem prosequens amore simul et honore, gratia et ope sua multum eum juvit. Habebat Cartusia Scalæ Dei litem inextricabilem, quam suo studio, doctrina et industria Joannes obtinuit in suæ Domus utilitatem.

Anno 1599, mense Januario, cum in actu Visitationis per Domnum Petrum Serval Commissarium et D. Marcum Briçuela Priorem Portæ Cœli, Cataloniæ Convisitatorem, D. Franciscus Monroig Prior Scalæ Dei exauctoratus fuisset, Conventuales Reverendo Patri scripsere in hunc modum :

« Patre Priore hujus monasterii ad suas instantissimas preces per Visitatores in Ordinem redacto, coadunati sumus ad eligendum successorem. Cumque nullus occurrat ad regimen aptior, quam V. P. Joannes Valero, secundus noster Procurator, omnes in eum oculos unanimiter conjecimus, propter eximias ejus animi dotes. Vir etenim spectatissimus est ob morum et ætatis maturitatem, in rebus agendis peritiam et singularem eruditionem. Doctor quippe est in utroque Jure, Canonicus et Officialis Segobricensis, et qui, per totum fere vitæ spatium, Cartusianis Vallis Christi usus est familiariter; non longe etenim distat a civitate Segobricensi hæc Cartusia. Unum obstat, videlicet quod nondum exegerit a sua professione tres annos in Ordine. Verum cum ejus ætas, experientia rerum, totque animi ornamenta supplere debeant, hunc in Superiorem postulavimus, freti fiducia benignitatis Reverendæ admodum Paternitatis vestræ, quæ nos ab hoc Statutorum articulo eximens, suo etiam suffragio confirmabit eum quem instantissimis precibus petimus nobis in Priorem ordinari. Ex vestra Domo Scalæ Dei, die 11 Januarii, anno 1599.

« Vestri humillimi filii, Conventuales Scalæ Dei. »

Horum votis annuente summo Ordinis Præfecto, Prior Scalæ Dei institutus, clavum tenuit usque ad annum 1601; quo, mense Januario, abdicavit regimen. Postea Moderator factus Domorum Vallis Christi, Ulyssiponensis et Majoricarum, jam secundo electus fuit in Priorem Scalæ Dei; verum hanc recusavit dignitatem.

Hos honores promerebatur venerandus Joannes insigni vitæ sanctimonia. Nunquam etenim in virtutis itinere fatiscens, semper se extendebat ad anteriora; se se renovans spiritu fervoris, semper suis exercitiis adjiciebat novum aliquid. Corpus suum cruentis macerabat flagellis. Antiqua Ordinis jejunia

religiosissime servans, ter in hebdomada solo pane et frigida victitabat : vix cæteris diebus, quibus licet per Statuta cœnare, modicum quid cibi sumebat. Brevi admodum somno ante Matutinas utebatur super asserem; reliquam vero noctem in oratione, in vigiliis et rerum sacrarum lectione transigebat. His exercitiis illibatum conservavit virginitatis florem : interioris simul et exterioris hominis mortificationi deditissimus, sedulaque sui ipsius abnegatione suos sensus coercens; unde quoties utebatur medicamento, lente potionem sumebat, diutius gustaturus ejus amaritudinem.

Humilitate, patientia charitateque præcellens, summe affectus erat erga Christi Passionem, in cujus meditatione totus liquefiebat lachrymis ; præsertim dum ad vitæ occasum vergeret. Vix enim sacrosanctum Missæ celebrabat Sacrificium, quin statim genæ illius maderent. Modo sub Missæ exordium, modo sub finem his torrentibus irrigatus subsistebat; nec poterat ulterius progredi, donec cohibuisset lachrymarum impetum. Cumque omnes hoc lachrymarum dono ditari peroptaret, juniores alloquens, dicebat : « Num, charissimi, fletis super Jesum Salvatorem nostrum ? »

Prolixissimæ erant Joannis orationes. Huic exercitio multas quotidie impendebat horas. Cumque præ senectute non valeret amplius genibus flexis cor suum effundere in conspectu Domini, cum bona sui Superioris venia, decenter compositus super mattam laneam, in oratione diu perseverabat, inebriatus torrente voluptatis. Tanto autem fervore in divinis laudibus decantandis inflammabatur, ut, omnes antevertens ad ecclesiam, ibi nunquam suæ voci parceret, sed pro virili suo munere fungeretur. Nunquam apparebat somnolentus, sed totus in Dei præsentia absorptus.

Vir ita Deo conjunctus per orationem, quantum in se erat, hominum familiaritatem declinabat; unde nunquam exibat e cellula, nisi obedientia duce vel necessitate. Exoneratus a Prioratus sarcina, stricte silentium servabat et solitudinem ; adeo ut a suo Superiore interrogatus aliquando, cur non sæpius ipsum inviseret, responderit quod olim Macarius Alexandrinus dixit Palladio : « Propter amorem Domini custodio hujus cellulæ parietes. »

Quamdiu habuit moderamen, invigilavit pro regulari tuenda observantia; sicque verbis simul et factis unumquemque provocabat ad virtutis amorem. Imprimis autem commissum sibi gregem exhortabatur ad orationis studium; atque ideo, post Missæ Sacrificium, lustrabat cellulas, exploraturus an monachi pro tanto beneficio debitas Deo dicerent gratias. Si quem interdum aliis rebus occupatum deprehenderet, ipsum paterne monebat ut instaret orationi. Nonnunquam etiam cellulæ fenestras claudebat ipse, dicens : « Fili, fenestram occlude, juxta illam divi Bernardi sen-

tentiam : « Lux interior est exterioris impatiens. » Si quis autem ad gradum altaris prostratus, gratiarum actionem protraheret diutius quam per spatium Dominicæ Orationis, statim Joannes illum ad cellulæ oratorium ire cogebat suaviter : ibi satius esse ducens orationi vacandum. Pia hæc et laudabilis servi Dei sollicitudo Cartusiam Scalæ Dei reddidit domum orationis et devotionis domicilium.

Quamvis, quamdiu præfuit, multis occupationibus distraheretur, inter negotia tamen, quasi otiosus, assiduus erat in Sacræ Paginæ et Patrum lectione; et in hoc etiam otio scribebat sapientiam.

Porro venerandus senex jam Cœlo maturus, quo plus vergebat ad vitæ occasum, tanto majori suæ dissolutionis et esse cum Christo flagrabat desiderio. Tandem extrema correptus ægritudine, promisit librum medico, suam ultimam instare diem nuncianti, pro tam fausto nuncio; sicque morbo ingravescente, et extrema suæ vitæ hora appropinquante, cum sui Superioris licentia medico librum dono dedit. Interim se se per ferventissimas orationes accingens ad æternitatis iter, Sacramentis rite munitus, quasi securus suæ felicitatis identidem dicebat : « Christi Natalitiis in domum Domini ibimus. » Sicque jam efflaturus animam, salutiferum Crucis vexillum manu gestans, oculis cordeque Christo confixus, inter Salvatoris nostri brachia placidissimo mortis somno feliciter expiravit, anno 1625, die 14 Decembris. Cujus facies tanquam Angeli facies apparuit post pretiosam ejus in conspectu Domini mortem.

Ex Vita ejus Castellano sermone descripta a D. Joseph de Valles, quam transtulimus Latine.

ANTHELMUS GINODI

MONACHUS CARTUSIÆ

Professus Cartusiæ, anno 1594, die 4 Februarii; alias Prior Trisulti et Capri. Fuerat antea Vicarius Padulæ. Decessit hospes in Domo Romæ, anno 1636, die 14 Decembris. Erat insignis Mathematicus, Patribus purpuratis percharus; sed quod magis laudandum, zelator Ordinis, et valde religiosus.

Avunculum habuit Joannem Gotofredum Ginod, quondam in supremo Sabaudiæ Senatu consiliarium et postea Episcopum Bellicensem. Qua dignitate laudabiliter functus, in summa senectute, postquam bene vixit, Deo spiritum reddidit, pridie Idus Aprilis, anno 1604; cum vixisset annos 87, menses octo, dies novem, magno omnium, præcipue pauperum, mœrore.

GABRIEL GONZALES

CONVERSUS GRANATÆ

Faber carrucarius; anno ætatis trigesimo professionem emisit, die 8 De-

cembris anni 1604. Singularis in illo illuxit otii odium, paupertatis amor, reverentia erga Religiosos, pietatis exquisitæ donum, in victu austeritas, sæcularium ac parentum fuga, sui despectus, vita exemplaris, angelica castimonia : cujus florem cum semper conservasset prorsus incontaminatum, sancte animam efflavit, die 14 Decembris, anno 1636.

GABRIEL LE ROY

MONACHUS VALLIS DEI

E Capreotia (*vel* Caprosia, *vulgo* Chevreuse), Belsiæ villula, oriundus. Hujus parentes et fortuna temporalibus et gratia cœlestibus donis abunde cumulaverant. Gabrielis mater, dum eum in utero gestaret, ecclesiam ingressa, inter orandum audivit interius vocem sibi dicentem : « Beata es mulier, quia paritura es filium futurum causam salutis plurium suorum affinium. » Hoc patuit postea in suo patruo, qui jure vel injustitia in Gabrielem e pubertatis annis egressum sæpe sæpius excandescens, multis eum affecit dammis. Qui tamen ad mentem pacatiorem deductus mansuetudine, humili veniæ petitione, reverentiæ et pietatis officiis a Gabriele exhibitis, se se recepit apud Cartusianos Vallis Dei ; ibique sub habitu sæculari vivens religiosissime, pie pariter defunctus est.

Soror item ipsius Gabrielis, matrona tum præclaris animi dotibus tum corporis pulchritudine præstantissima, multum addicta vario vestium splendori, moribus aulicorum tota deserviens, in eo ponens omne studium ut esset exornata extrinsecus, homine interiori plane neglecto; illa, inquam, unica visitatione et afflata divino Numine, reprehensione fratris sui subito mutata in alteram, et soli Deo placere studens, in sublimem adeo perfectionis Evangelicæ gradum conscendit, ut charismatibus divinis et visionibus illustrata, variis examinata tum animi tum corporis pressuris et angustiis, relicta sanctitatis opinione decesserit Lutetiæ Parisiorum.

Gabriel autem, post navatam egregie in scholis operam, Cartusiensis Instituti tyrocinium magno cum spiritus fervore peragens in Cartusia Vallis Dei, vota professionis emittit anno 1618, die 29 Junii. Vix autem unius anni emenso cursu, corpus ejus jejuniis, vigiliis aliisque molestiis attritum indiguit fræno; sicque necesse fuit ipsum relaxari ac eximi ab iis quæ carni illius, maxime vero capiti, contraria erant : spiritu nihilominus perseverante in arrepto proficiendi desiderio. Hinc officium Coadjutoris ei fuit demandatum ; in quo, contra omnium spem, in administratione rerum sibi creditarum, in negotiorum consultatione, strenuum æque ac discretum ita se præbuit, ut nihil postea in Domo ageretur inscio Gabriele nostro et inconsulto.

Sed dum incaute juvenis totus his exterioribus occuparetur, commixtus inter gentes, didicit opera eorum; et pereunte viri Religiosi animo, induit sæculares mores; passionumque æstu abreptus, non sine Fratrum suorum dolore, multum a se ipso mutatus apparebat. Dum aliquis monachus e vivis excedebat, eamdem sibi sortem imminere non dubitans Gabriel, semper ad se, a quo exierat, redibat ad horam; sed paulo post, cum memoria mortis evanescebat suæ conversionis desiderium.

Mentem vero ejus sic sauciam, ægritudine immissa, scilicet frequenti ephialte, Medicus cœlestis sanare proposuit. Cum enim sæpe sæpius, malignis hujus morbi oppressionibus, nihil certius quam mortem sibi imminere cerneret, saltem Christo ire obviam non dormiendo sed vigilando desiderans, universorum peccatorum exomologesi viam Domino parare studuit, consilio sui Superioris suasus, licet ab ea facienda per plures menses abhorruisset. Dum Prior super ea consulturus Gabrielem convenisset, et ambo miscere sermones inciperent, ecce Deus adfuit modo mirabili, et effectu suam comprobavit præsentiam. Nam Gabriel sensibili plaga cor suum vulnerari gemitu maximo et clamore magno testatus, totus extra se raptus, sive cernuus sive prostratus ad terram, sive etiam stans, mira de miserationibus Dei et de ejus oculo super vias electorum eructavit. Ter a se, id est a sensibus suis et libera facultatum suarum operatione abreptus,toties ad se rediit; donec Prior timens ne corporis vires supra modum deficerent, authoritate Dei,qua propter Superioris officium fungebatur, jussit cessare ab hujusmodi operationibus: cujus mandatis Gabriel, licet a sensibus alienus, eodem instandi obtemperavit.

Evanescentibus ex hac operatione Divina pristinis vitiis, evasit in virum alterum; et in ejus conversatione mundi contemptus, sui ipsius despicientia, perfectissima resignatio, obedientia, charitas in Deum et proximum apparuerunt. Quæ quidem virtutes magis eluxere, cum in Confessione generali, post aliud tempus, denudaret arcana cordis. Sublimiori etenim modo, quo supra, raptus iterum, sublimiora de Deo rebusque divinis enarravit; ejusque Confessarius testimonium perhibuit se vidisse Deum, ut flumen pacis et torrentem inundantem donorum spiritualium, illapsum in Gabrielem. Unde in novum hominem transformatus,cuncta terrena fastidire, delectari in Domino, ipsique soli adhærere cœpit.

Rerum temporalium curis pertæsus, opportune importune instabat, ut ab officio Coadjutoris absolveretur. Interim per medium corpus perculsus repentina paralysi, expectatam diu desideratamque obtinet absolutionem, solitudinisque quieti redditur. Plane incredibile est quantam ibi interioris hominis curam haberet, deposita negotiorum sol-

licitudine; quam purum ob omnibus rerum humanarum imaginibus animum servaret; quo studio Deum ubique præsentem habere satageret. Imprimis autem perfectissima sui ipsius abnegatione, nihil in terris volebat nisi Divinam voluntatem. In lætis et tristibus, in dulcibus et amaris Deo semper erat conjunctissimus. Hinc oratione ac rerum Cœlestium contemplatione adeo oblectabatur, ut, totus simplici ineffabilique modo in Deum effusus, invictum ab hoc exercitio animum nunquam relaxaret.

Demum post diuturnam illam infirmitatem, qua per quatuor annos lecto affixus decubuit; post molestissimam surditatem, qua neminem nisi signis et literarum instrumentis ad id præparatis poterat audire; post eximiam animi moderationem, patientiam, tranquillitatem, miram in omnes affabilitatem; post cæteras virtutes Christianas egregie patratas, Sacramentis rite perceptis, vitæ tandem cursum, anno 1654, die 14 Decembris, feliciter confecit, sanctitatis fama clarus.

Hujus religiosissimi Patris Vitam vulgari sermone descripsit fusissime venerabilis Pater D. Hieronymus Picquet, Vallis Dei Prior, testis oculatus et fide dignus eorum, quæ in præfata Vita enarrantur.

XV DIE DECEMBRIS

ANONYMUS

PRIOR IN BRABANTIA

Hujus obitum ad hanc diem recenset in suo Martyrologio Ganneronius noster; qui collegit hunc Priorem ex Libro 5 Chronici Cartusiensis Dorlandi, cap. 15. Sic autem loquitur Dorlandus:

« Fuit ante nos in una Domorum Ordinis nostri in Brabantia (quam idcirco silentio volui præterire, ne propalatam laudem, injuriam putet) quæ habuit Priorem divinarum Literarum Theologum singularem; cujus sanctimonia tam clare resplenduit, ut longe lateque suum jubar effunderet. Hic, sicuti erat omnibus admirabundus, ita apud se (quod in viro virtutis præcellentissimum judicatur) omnium se vilissimum reputabat. Hic visus est aliquoties inter celebrandum, altius a terra suspendi, ut spiritum in sublimia atque ad Divina porrectum, ipsa in altum corporis elevatio denotaret. Quidam autem Conversus Frater, vir admodum bonus, qui huic Patri ad Missas solitus erat deservire, hoc ipsum ejus post obitum patefecit, dignus cui pro meritis haberetur fides. »

PETRUS ODORISIUS
PRIOR NEAPOLIS

Novum hujus monasterii claustrum construere cœpit. Vir fuit ob probitatem vitæ ac morum integritatem spectatissimus; cujus interiora, post aliquot annos, incorrupta reperta fuerunt. E vivis excesserat anno 1626, die 15 Decembris.

JOANNES COMMOTIUS
CONVERSUS MONICHUSEN

Decessit in Domo S. Sophiæ circa finem anni 1627. Hic Domum suæ professionis nec integram aut florentem vidit, sed professionem emisit in præsentia D. Andreæ Loodt, Prioris Monichusen, tunc e sua Domo expulsi ab Hæreticis et in Cartusia Coloniensi manentis; cujus quidem meminimus ad diem 3 Septembris, qua naturæ debitum persolvit, in præfata Cartusia Coloniensi sepultus. Hunc Joannem Commotium Petræus noster, Cartusiæ Coloniensis alumnus, in Epistola dedicatoria præfixa Chronico Cartusiensi Petri Dorlandi, laudat, vocatque singularis industriæ ac pietatis virum. Sed Arnoldus Raissius Duacensis, sive potius Gerardus Eligius Cartusianus Bruxellensis, qui sub nomine Arnoldi Raissii edidit in lucem Libellum Originum Cartusiarum Belgii, his Joannem laudibus prædicat :

« Ultimus hujus Domus (videlicet Monachorum seu Monichusen) professus, Frater Joannes Commotius, Conversus, vir fuit vitæ venerabilis. Hic, peragratis plurimis Germaniæ Superioris ac Inferioris, Galliæque locis, terra marique sæpe jactatus, et immensis pro Ordine susceptis exhaustisque laboribus, dissimulato habitu sæpius inter Hæreticos alium se facere coactus, prodente eum vultus gratia, suspectumque eum reddente de sacerdotii nota, haud raro vitæ discrimen incurrit. Nam et abundantia cordis (ut hoc obiter dicamus in commendationem ejus) transierat in decus corporis, et in faciei venerandam pulchritudinem candor splendorque quidam animi exundabat. Cujus oculi raro tacebant per noctem aut diem ; sed sicut piscinæ in Hesebon frequentes edebant voces, et suo modo misericordem invocabant Dominum in voce cataractarum suarum. Requiescat ergo jam a laboribus suis, per immensam ipsius Omnipotentis misericordiam, in perpetua pace, fidelis, devota ac Deo placens anima. Nec obliviscatur apud Deum se diligentium Fratrum. »

Hactenus Arnoldus Raissius.

ARCHANGELUS DE CLAVARIS
MONACHUS LUCÆ

A dicto Religionis sacramento ad annos 50 Cartusiæ Lucensis inquilinus,

ejusdem alumnorum perfectionem multo tempore nec modicis incrementis promovit. Qui nimirum, graviorem ob senectam, cellam extra claustrum habere et monasticis jam a muneribus feriare valens, maluit (ejusmodi otium oblatumque commodum exosum habens) duos deligi ex Conversis, quibus incumberet singulis per noctem diemque horis eum ad chorum deferre; ubi, si non labiis, quibus jam psalmodiæ canendæ impar, saltem corde enunciaret justificationes Domini, in loco suæ peregrinationis maximopere sibi cantabiles, quoadusque mortalitatis stamine abrupto Cœli Psaltibus jungeretur.

Ex Thesauro Chronologico Caroli Josephi Morotii.

Obitus Archangeli notatur in Charta anni 1635 ; decessit autem 1634.

XVI DIE DECEMBRIS

BERNARDUS DE PORTIS

EPISCOPUS BELLICENSIS

Bernardus de Portis (sive de Porta) sic dictus a familia, quæ cognomen hoc habebat a quodam hujus vocabuli prædio (eodem ipso fortassis, in quo Portarum Cartusia fundata est), jam nostrum Institutum in hac Domo professus fuerat anno 1127, quando S. Bernardus Clarævallensis et S. Petrus Cluniacensis Abbates, Bernardum seniorem Protopriorem Portarum invisendi gratia, ad hanc Cartusiam accessere. Ibi tunc illustris ille Clarævallensis monasterii, immo totius Ecclesiæ lumen Bernardus, inter alios vidit humilem monachum Bernardum de Portis, « Virum, inquit ipse Abbas, dilectum Deo et hominibus ; » in quo tantam suspexit sanctimoniam, ut ab eo tempore singulari sit eum complexus amicitia. Fuit nempe posthac inter utrumque dulcis et indissolubilis amor, germana societas, et vinculum suavissimæ charitatis.

Hac fretus sancta familiaritate noster Bernardus, qui beati Abbatis doctrinæ insignis experimentum fecerat, ab ipso post annos aliquot enixe petiit per epistolas, ut *Cantica Canticorum* exponeret. Cui ille prætendens tenuitatem suam, velut tanto operi et expectationi aliorum imparem, sic inter cætera respondit :

« Petis instanter, et ego constanter abnuo, sed parcens mihi, non te spernens. O utinam tuo studio ingenioque dignum aliquid elaborare possem ! Lumen oculorum meorum, et ipsam quoque animam, si fieri posset, partirer tibi, amice carissime, et in Christi visceribus mihi potissimum in omni ple-

nitudine dilectionis specialiter [al. spiritualiter] amplectende Frater... » Et post pauca : « Tibi studii est, utpote otioso et vacanti, undecumque perquirere incentiva igni quo ardes, ut ardeas magis et impleas voluntatem Domini tui dicentis : *Et quid volo, nisi ut ardeat?* Laudo; sed si illic ea quæras, ubi te frustratum postmodum non queraris. Erras, si apud nos quæris. Ego potius illa abs te mendicare debuerim.... etc. »

Deinde promittit quosdam in prædicta Cantica jam a se dictatos Tractatus ad eum citius transmissurum. Quod et paulo post fecit, vehementiori ejus spiritu (ut ait) crebrisque epistolis animatus. Hoc patet ex Epistola 154; in qua, præter præfatos Sermones quos mittebat, sic se excusare conatur quod non steterit promissioni, de invisendis iterum Portarum Cartusiensibus :

« Dissimulare non valeo tristitiam cordis mei, nec patior ultra latere te cruciatum quem patior, Bernarde carissime. Memor antiquæ meæ promissionis, propositum habui et desiderium magnum transire per vos, revisere quos diligit anima mea, itineri meo solatium, laboribus levamen, peccatis remedium postulare; et culpis meis exigentibus factum est, non ut nollem, sed ut non possem. Pœnam siquidem hoc agnosco culparum, non culpam. Certus sis, homo Dei, minime prorsus amici fuisse incuriam, non pigritiam, non negligentiam; sed causam obstitisse plane non negligendam, et causam Dei... Ecce aperui vulnus amico. Tua, Frater, interest compati mihi, hoc est, portare mecum quod patior, ut relever ego. Tuas et per te sanctorum, cum quibus es, orationes supplex flagito. Sermones super principia Canticorum, quos tu petiisti, et ego promiseram, transmitto tibi. Quibus lectis, peto ut quam citius opportune poteris, tuo rescripto moneamur vel ad procedendum, vel ad supersedendum. »

Hæc ille. Quod sane donum, a Bernardo Claravallensi profectum, quam gratum Bernardo Cartusiensi fuerit, facile dici non potest. Donum sane pretiosissimum, mutui verique amoris inter Bernardos egregios pignus immortale; donum denique, quod jugem totius Ecclesiæ gratiam utrique merito debet conciliare : sancto Abbati, tanquam tanti tamque divini operis parenti; nostro vero Bernardo, quod suis sollicitationibus illud meruerit, et, ut ita dicam, suo auctori adspiraverit.

Dum autem illum ignem, quo totæ ardebant hujusmodi expositiones, in se accendere et fovere solummodo cogitaret Bernardus de Portis, ecce ex inopinato aliis etiam lucere cogitur, electus in Episcopum Bellicensem.

Hic antea ab Innocentio II, ad cujus aures virtus ejus et pietas, industria et charitate amici sui Bernardi Claræ-vallensis, pervenerat, ad Præsulatum quemdam in Lombardia designatus fuerat. Ad quem tamen non perrexit:

Summum Pontificem ad illius preces dehortante S. Bernardo per epistolam, in qua fatetur quidem eum esse dignum eo honore, sed tali loco minus idoneum, ideoque rogat ut alteri convenientius reservetur.

« Dilectum, inquit, Deo et hominibus Bernardum de Portis, Pater Venerande, vocatione vestra cogi ad opus et onus Episcopale audivimus. Probabilis res, ac digna plane vestro Apostolatu, ponere in lumine lumen absconditum, nec sibi soli vivat, qui et alios ad vitam trahere possit. Usquequo namque latet et ardet tantummodo, qui et lucere valet? Levetur, si placet, super candelabrum, ut sit lucerna ardens et lucens; sed sane ubi non prævaleat vis ventorum, ne forte, quod absit, extinguatur. Siquidem insolentia Lombardorum, et inquietudo eorum, cui non est nota? aut cui magis quam vobis? Nobis melius nostis, quam sit ille Episcopatus dissipatus, quamque domus exasperans. Quid putamus esse facturum juvenem, viribus corporis fractum et quieti eremi assuetum, in populo barbaro, tumultuoso, procelloso? Quando poterit convenire tantæ sanctitati et tantæ perversitati, tantæ simplicitati et tantæ dolositati? Reservetur, si placet, congruentiori loco atque alteri populo; cui sic præsit ut prosit, et festinatione non pereat fructus, quem poterit dare in tempore suo. »

Nec diutius posthac sub modio latuit ardens hæc et lucens adeo lucerna. Eodem quippe tempore, suo ex placido secessu, in quo hactenus privatus vixerat, abstractus, in solium Pontificale Bellicensis ecclesiæ vacuum subvectus est. At post aliquot annos, abjecta Pontificia dignitate, ad claustrum rediens præ solitudinis amore, Bernardum primum eremi Portarum Priorem, jam senio jejuniis, vigiliis aliisque macerationibus attritum, in munere Prioratus excepit, circa annum Domini 1147. Et sexennio post, relicta ingenti apud omnes sanctitatis opinione, ad emeritam processit lauream meritorum, anno 1152, die 16 Decembris.

Ejus obitus signatur in antiquo Necrologio Cartusiæ Majorævi his tantum verbis: « Obiit Bernardus de Portis, monachus et episcopus Bellicii, 1152, 17 Kalendas Januarii. »

De Bernardo egerunt Dorlandus, qui eum perperam dicit fuisse Episcopum Diensem; Sutor et alii. Consule Dissertationem nostram.

HENRICUS DE HAGIS

MONACHUS DIEST

Post multos in Ordine laudabiliter exactos annos, e vivis excessit in hac Domo. Ejus obitus signatur in Charta Capituli generalis anni 1457. Ad Ordinem susceptus fuerat a R. P. D. Goswino Comhair Priore, postea episcopo Scalholtensi. Henrici conversionem

narrat Thomas de Campis in Vita B. Lidewigis, lib. 2, cap. 13, [al. *juxta Act. SS.* cap. 5, n. 48], his verbis :

« Erat quidam juvenis, Henricus nomine, de Hagis villa Ducis Hollandiæ ortus, quem Virgo [supra nominata] prius nunquam viderat; qui gratia Dei inspiratus, nescientibus parentibus ejus, habitum sanctæ Religionis apud Cartusienses in partibus Brabantiæ prope Diest quæsivit et accepit. Cujus pater, Willelmus nominatus, nesciens quid circa filium suum actum fuerat, ingressus est ad Virginem, forsitan aliquid quæsiturus. Qui, statim proprio nomine et agnomine ab ea vocatus, audivit Virginem prospera filio suo imprecantem, et super bonis a Deo ei factis congaudentem. Super quo ille miratus, causam hujus congratulationis sciscitatus est. At illa, stupori ejus verbum jucundum adjiciens, respondit, eum in supradicto monasterio sanctæ Religionis habitum induisse. »

AGNES DORESMIEUX

MONIALIS GOSNAY

Hujus parthenii senior ; postquam universum agrum Attrebatensem odore suæ sanctissimæ conversationis perfudisset, ad Christum Sponsum feliciter evolavit, anno 1539, die 16 Decembris. In Charta Capituli generalis anni 1540, ubi ejus obitus signatur, dicitur vixisse in Ordine annos 59 religiose et laudabiliter. In Catalogo vero Monialium vixisse in Ordine annos 62 dicitur.

PETRUS BRUNO

CONVERSUS VALLIS CHRISTI

Miræ devotionis et fervoris Religiosus ; vota professionis emisit anno 1553, in ipsa divi Joannis Christi Præcursoris solemnitate. Ita se addicebat Obedientiæ suæ muniis, ut nihil unquam de spiritualibus exercitiis detraheret. Vacabat etenim assidue orationi : ubi divina luce illustratus, alios salutaribus consiliis instruebat, non sine audientium admiratione. Porro cum ex nimio labore et ætate grandæva cæcitatem contraxisset, hanc oculorum jacturam patientissime sustinuit, factus in rerum Cœlestium cognitione perspicacior. Singulari cultu prosequebatur Undecim mille Virgines; quarum conspectu aliquando recreatus, ita terrena fastidire cœpit, ut, ad beatam æternitatem semper anhelans, tandem pia morte voti fuerit factus compos, anno 1600.

Ex Annalibus Vallis Christi.

HIERONYMUS DURBAN

DONATUS VALLIS CHRISTI

Valentinus, ex obscura quidem sed honesta familia progenitus. Quamvis acri præstantique polleret ingenio, literarum studiis operam non navavit, pro-

pter domesticarum facultatum tenuitatem. Adolescens autem, caute mundi pericula declinans, habitum Donati postulavit a Patribus Vallis Christi; a quibus, ob eximias quæ in Hieronymo elucebant dotes, fuisset adnumeratus inter Fratres Conversos, ni ipse, non altum sapiens sed humilibus consentiens, elegisset esse in domo Dei abjectior.

Indutus itaque Donati veste, novum induens hominem, erat in monasterii totius exemplum; adeo ut Confratres suos erudiret ad scientiam salutis, iterque ad virtutem verbo simul et exemplo demonstraret. Assiduus erat in oratione, et ex frequenti continuaque Christi Salvatoris cogitatione extra se rapiebatur. Præcellebat imprimis Christiana simplicitate, mansuetudine et singulari modestia, quæ, conjuncta cum religiosa quadam gravitate morum, conciliabat ei omnium venerationem; unde, quamvis tantum inter Laicos esset adscriptus, vulgo tamen Pater Hieronymus appellabatur. Igne charitatis exæstuans, non solum homines, quibus omnia impendebat officia, diligebat, sed etiam creaturas irrationabiles : quod quidem nonnullis Sanctis commune fuisse legimus.

A teneris annis Beatissimam Virginem Mariam coluit tenerrima devotione; cujus opem in extrema suæ vitæ hora expertus est. Cum enim jam sexagenarius, lingua ejus diro carcinomate tabefacta, multum cruciaretur, tulit patientissime hunc morbum. Cumque monachi vices ejus dolerent, ipse, vultu ad lætitiam composito, illos hortabatur ut se se ad Dei voluntatem accommodarent. Interim extremis confortatus Sacramentis, exesa licet cancro lingua, eructabat tamen verbum bonum, et in Dei laudes effundebatur. Suumque obitum prænuncians, jubet, quos diu antea collegerat, cereos accendi; terque distinctissime recitans *Pater noster, Ave Maria, Credo,* et *Salve Regina,* statim, velut cygnus in morte canorus, Virginis Mariæ hymnos decantans expiravit, anno 1601, die et hora qua prædixerat.

Annales Vallis Christi.

XVII DIE DECEMBRIS

PETRUS DE NANCLARES

PRIOR DE MIRAFLORES

Hujus monasterii alumnus, vir miræ patientiæ in infirmitatibus diuturnis. Qui cum Sacristæ, Procuratoris, Vicarii et Prioris munia strenue et laudabiliter obiisset, nondum exacto in Prioratu anno, præmatura morte præripitur, anno 1560, 17 Decembris.

Ex Catalogo Priorum hujus Domus.

JOANNES TORRALBA
PRIOR AULÆ DEI

De quo Manuscriptum e Cartusia Aulæ Dei ad nos transmissum meminit his verbis :

« Domnus Joannes Torralba, primo professus Scalæ Dei, secundo professus et primus Prior hujus translatæ Domus. Vir fuit omnium virtutum nitore præfulgens, imprimis regularis observantiæ acerrimus æmulator, orationi ac internis exercitationibus summe deditus ; quibus ut liberius vacaret, qua precibus, qua lachrymis absolutionem a suis officiis petere non cessabat. Qua tandem obtenta, in desideratam solitudinem secedens, plenus ætate et meritis migravit ad Christum, anno 1578, die 17 Decembris. Fuit præterea virtute patientiæ mirabiliter insignitus, cum crebros diuturnæ infirmitatis dolores Christi amore infatigabiliter sustineret. Quantus vero fuerit Passionis Dominicæ cultor, patet ex quodam Tractatu devotissimo æque ac doctissimo de Passione Christi ab ipso edito. Scripsit etiam erudite ac pie Sermones ad monachos ; qui in hac Domo asservantur.»

GUILLELMUS ORLANDINUS
CONVERSUS FLORENTIÆ

Vir eximiæ devotionis ; ad cœlestem patriam evolat anno 1656, die 17 Decembris.

Ex Kalendario Cartusiæ Florentiæ.

XVIII DIE DECEMBRIS

MICHAEL SAURI
MONACHUS SCALÆ DEI

Patria Gerundensis; in utroque Jure versatissimus. Scire supereminentem scientiæ charitatem Christi desiderans, discipulus efficitur in Domo Scalæ Dei, anno 1510, die 11 Martii. Ibi tam miros fecit progressus, ut ad culmen monasticæ perfectionis studio orationis et solitudinis Statutorumque observantia conscendens, debitam sibi a Domino retributionem promeruerit. Ejus obitus signatur in Charta anni 1553. Aliquandiu officio Procuratoris laudabiliter fuerat perfunctus.

Ex Annalibus Scalæ Dei.

JOANNES BAPTISTA BELLOT
PRIOR PORTÆ CŒLI

Hujus Vita extat in Chronico Portæ Cœli, cap. 27, his verbis :

Fuit in oppido Brias hujus Valentinæ Provinciæ, quidam Notarius honora-

bilis ac devotus, cujus nomen erat Joannes Bellot; ejusque uxor Violans sive Violanta vocabatur : ambo timentes Deum, bonumque de se populo præbentes exemplum. Qui aliquot annos vixere maritaliter absque liberis; enixeque Deum precabantur, ut ad ipsorum solamen fructum benedictionis e matrimonio largiri dignaretur. Hoc ipsum instanter per servorum Dei preces postulabant; et ad Eremitoria, quæ circumcirca erant, devotas faciebant in honorem Sanctorum peregrinationes. Neque oratio sola offerebatur Divino conspectui; sed largas eleemosynas ei associabant, ut efficacius divinam Clementiam implorarent.

Quibus omnibus exoratus Dominus, ejus fœcundavit uxorem; quæ, jamjam instante partus tempore, audivit in utero quasi latratus canis cujusdam. Qua rei novitate perculsa et perterrita, putabat portare in utero aliquod horrendum monstrum; hæsitabatque quid hoc esset, quidve hoc insolito præsagio vellet Deus indicare. At octavo post die, quinta videlicet mensis Aprilis, in festo S. Vincentii Ferrerii (qui etiam in utero, significans quis futurus esset, latravit), ab hæsitatione et pressura feliciter fuit liberata, quia peperit elegantem puerum; et jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Quem in sacro Fonte Joannem Baptistam appellarunt.

Post quem alios habuere filios et unicam filiam; quos omnes in sancto Dei timore educaverunt. E quibus duo sanctæ Inquisitionis hæreticæ pravitatis a secretis fuerunt Valentiæ. Filia vero non vano fastu cultuque mundano ornabatur; sed omni virtute sanctimoniaque erat induta. Florem præcipue virginalem usque ad mortem servavit; et ne æstu carnalis libidinis marcesceret, ad custodiam illius voto se astrinxit.

Noster tamen Joannes, sicut in nativitate, ita in virtute primogenituram obtinuit. Quem cogitabant parentes caput cognationis constituere, ut ipsorum nomen et memoria a progenie in progenies conservaretur. Hic humanus affectus in causa fuit, ut vellent ipsum omnis scientiæ omnisque literaturæ esse ignarum; eo usque, ut nec quidem discere legere paterentur : hac via prævenientes ne Religioni aut ulli Ecclesiastico statui se donaret, et sic illorum desideria complerentur.

Deus vero, qui scrutator est cordium et animorum intima rimatur, quique scit cogitationes hominum quoniam vanæ sunt et dissipat consilia gentium, eorum consilium dissipavit; et ab infantia ejus animam ad literas inclinavit, simulque modum inspiravit, quo absque parentum impedimento hoc posset assequi. Furabatur namque ipsorum aspectum præsentiamque fugiebat, et in abscondito prima elementa, illis insciis, didicit. Nulli parcens labori, quando fratres ejus somno indulgebant, surgebat ipse, et eorum capiens scriptoria, exemplaria imitabatur; et, Domino co-

operante, evasit scriba perfectus. De cujus manu propria sunt apud nos libri quidam graphice exarati.

Ad omnia vero alia, quæ animum ipsius possent relaxare licite et honeste juxta ætatem et personæ qualitatem, licentiam amplam præbebant parentes. Puer tamen, qui sortitus est a Deo animam bonam, hac libertate, non ad ea quæ volebant parentes et permittebant, sed ad devota et pia exercitia utebatur. Aliquando, prætextu venationis, canes et viverram retiaque secum deferens, solus ipse ad montana pergebat, canes alligabat, et in montium recessibus ad vacandum Deo quietius et devotius se abscondebat. Et orabat paternam Clementiam, ut ab adolescentia super se jugum suum suave imponeret; simulque gratiam donaret, ut intrepida cervice illud usque ad mortem portaret; animoque et corpori vires infunderet ad portandum onus suum, ne caro infirma deficeret in via, ad currendam viam præceptorum suorum.

Videntes autem ipsius parentes nihil aliquando reportare de venatione sua, causam voluerunt cognoscere, et quid in deserto faceret. Ideo post eum miserunt speculatorem, qui celatim contemplaretur ejus occupationem. Qui cum hoc, quod diximus, renuntiasset eis, noluerunt de cætero illi prohibere literarum studia, ne Spiritui Sancto resistere viderentur, videntes optimas sui nati inclinationes, conversationem non juvenilem, sed maturam et canam.

Studiorum igitur causa missus fuit Valentiam, ut illic illis operam navaret : et perfectius faciliusque, quia ibi est omnium disciplinarum omniumque scientiarum emporium et panegyris. Inibique, ab illius Scholæ magistris Grammaticam, Logicam et Philosophiam didicit; a Domino vero Jesu, qui de Cœlo venit Magister, ad dandam plebi suæ scientiam salutis, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis, bonitatem, disciplinam et scientiam est edoctus, ut in sanctitate et justitia illi serviret omnibus diebus suis. A pueritia cum illo crevit devotio, corporisque incrementa ipsa participabat; et quasi congenita erat illi omnis sanctimonia. Condiscipulos suos exemplo suæ modestiæ retrahebat a malis, et ad bona facienda incitabat; eosque, expletis lectionibus, secum extra civitatem ducebat, et sub aliqua arbore, præmissa devota lectione, monita salutis dabat : Deum diligere tanquam Patrem, ac veluti Dominum timere hortabatur.

Hoc tempore advenerunt Valentiam, quasi e Cœlo missi, quidam discipuli illius Apostolici viri, Magistri Joannis Avila; quorum cœlestibus admonitionibus et prædicationibus crevit mire populi devotio ad frequentanda Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ. Quibus statim adhæsit Joannes Bellot. Et consummatus in brevi, explevit tempora multa; quia propter continuam orationem et Sacramentorum frequentiam, fecit in modico tempore grandes in

virtute progressus; et obliviscens quæ retro erant, ad anteriora se extendebat. Hinc ferventius cœpit ad perfectionem anhelare, et ad ea omnia, quæ conducere cernebat ad illam capessendam, animum tradidit.

Et ut telam perfectionis perfectius ordiretur, incœpit ab illo consilio, quod Dominus cuidam cupienti animam salvam facere dedit, dicens : *Si vis perfectus esse, vade et vende universa quæ habes et da pauperibus ; et veni, et sequere me*. Pauculos libellos, et meliores vestes quas habebat, vendidit, et eorum pretium pauperibus erogavit; et accersito alio ejusdem spiritus ejusdemque propositi socio, de medio Babylonis secesserunt in solitudinem juxta mare, et in quodam Eremitorio Beatæ Mariæ Virginis (vulgo de Albuxech dicto) manserunt.

Ubi devotionis exercitiis, orationi mentali et vocali vacabant jugiter, mediaque nocte surgebant ad confitendum Domino; et Officium B. Mariæ voce et spiritu cantabant, ut Filii per Matrem in suo virtutis tirocinio auxilium captarent. Victum ostiatim per vicinas villas et oppida quærebant. Quando aliquos a piscatoribus accipiebant pisciculos, Apostolico more super prunas assos, fame et benedictione Divina (de qua dicitur, *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus*) opipare conditos, comedebant. Eorum exemplari vita moti vicini oppidani, videntesque sacellum et Eremitorium mundum et omnia religiose composita, cuncta quæ illis essent necessaria ministrare pollicebantur, modo illic perseverarent. Sed in hac vitæ forma non diu perdurarunt, quia viri illi, qui in Dei servitio illos primo instruxerant, requirentes, eos in civitatem revocarunt, ut incœpta studia debito fine concluderent.

Noster autem athleta, cui abundantior gratia collata fuerat, vel cui, ut ipse dicebat, spiritus solitudinis a Deo infusus fuerat, e vestigio misso socio missaque civitate, ad totius orbis celeberrimum monasterium S. Mariæ Montis Serrati, ad quærendum locum sibi solitarium in illo Monte sancto, sine sacco et pera ac sine ullo viatico festinus perrexit; ut ibi, absconditus in abscondito faciei Dei, cœlestia meditaretur terrenaque despiceret.

Sed in itinere deveniens ad quemdam vicum (nostra lingua *Galera,* Latina vero *Triremis* nuncupatum), Deo sic permittente, nullam potuit eleemosynam invenire. Egressus igitur inde, iter perrexit, agens Deo gratias pro non inventa eleemosyna; et in quodam invio antro ad capiendum somnum, quo famelica et lassa membra repararentur, quievit. Expergefactus tandem a somno, invenit novus Elias ad caput suum duo fragmenta panis de Cœlo præstita; quæ cum gratiarum actione sumens manducavit. Cognovitque quam vera esset promissio dicentis : *Jacta cogitatum tuum in Domino ; et ipse te enutriet.* Hanc secum Dei misericordiam factam,

cum esset jam Visitator Provinciæ, et ad visitandas Scalæ Dei et Montis hilaris Domos iter faceret, perveniensque ad locum Mandræ, socio Converso enarravit ingenti cum pietate.

Tandem devenit ad monasterium B. Mariæ Montis Serrati, cui se devote commendavit ; et postea cœpit diligenter investigare, si posset invenire locum ad habitandum suo proposito idoneum. Quem cum non reperisset, ad patrium solum, a quo exierat, est reversus. Ubi susceptus fuit cum lætitia a suis spiritualibus magistris ; quibusque ea, quæ sibi acciderant in via, aperuit.

Illis etiam suum spiritum solitarium, suumque desiderium in solitudine vivendi communicavit. Qui bonum ei dederunt consilium, dicentes : « Si vere et ex corde cupis mundo nuntium remittere, et in solitudine Deo servire, quid, inquiunt, per mundum, non inveniens requiem tibi, erraticus viator peregrinaris ? Num tu solus ignoras a multis retro sæculis tibi, tibique similibus, præparatum a Deo esse Institutum cœlos transiens, Angelicæ puritati simile ; in quo non omnis sanctitas, sed etiam est omnis perfectio sanctitatis ? Cartusiensem videlicet Ordinem intelligimus, qui cæterorum Ordinum caput et vertex esse judicatur. Illuc igitur incunctanter perge, si vis perfectus esse in solitudine, et sub merito obedientiæ, in abscondito unius cellæ, Dei contemplationi assidue vacare. »

Acquievit igitur statim humilis adolescens expertorum consiliis tanquam de Cœlo missis, et ad deserta montium hujus Domus venit. Vidensque hanc vastam solitudinem, devotamque eremum, ubi omnia quæ in eis sunt laudant nomen Domini et devotionem excitant, dixit : « *Vere Dominus est in loco isto ; non est hic aliud nisi Domus Dei et Porta Cœli.* Si enim laciniæ vestimentorum hujus Domus tantam habent virtutem ad sanandum cordis teporem, quam devotionem et virtutem sentient, qui eam habitant, a qua hæc virtus emanat ? »

Contentus autem eam a longe salutasse, non ausus est intrare ; sed per abrupta montium, per concava vallium, per fossa terrarum, aliquot dies errabundus permansit, a pastoribus tunc victum amore Christi accipiens. Vere terribilis est ut mors dilectio : omnia superat, omnia spernit, omnibus dominatur, et non est, quod se abscondat a calore ejus. Quid durum, quidve asperum, quod amor igneus non emolliat ? Quid insipidum, quid amarum, quod præ amore non dulcescat ? Quid opus est verbis, ubi sunt rerum exempla ? Ecce adolescentem tenellum ætate, viribus debilem, exilem artubus ; quomodo potest hic paternas divitias maternasque delitias aspernari ? solus inter feras intrepidus commorari ? montium excelsa cacumina et juga habitare ? fame et inedia cruciari ? Quia diligit, quia amat, quia fortis est ut mors dilectio.

Cognoverunt ipsius magistri adhuc

adolescentem fervidum, incerto domicilio, in solitudine divagari; ociusque ad perquirendum eum venerunt et invenerunt. Cui, post pacificam salutationem et amplexus, postque divina colloquia, dixerunt : « Audivimus tamdiu te hæc montium supercilia incolere, et non credebamus; sicut audivimus, ita et nunc vidimus. Meminisse te oportet, quanta tibi retulimus de laudibus celeberrimi Ordinis Cartusiani, cujus est hæc Domus benedicta; et si tibi illa parva visa sunt, adjiciemus multo majora in ejus commendationem. Sed quia certi sumus quod illa, degustata corde propriisque visa oculis, apparebunt tibi multo majora, consulto ea missa faciamus. Et induere fortitudine, et cor tuum corrobora; et ne cuncteris ingredi in requiem tuam, quia Dominus benefaciet tibi in ea. »

Quibus dictis, nihil moratus descendit cum eis in monasterium; et ad pedes Prioris provolutus, ante conspectum ejus effudit cor suum, et ad sanctum habitum recipi precatus est. A quo benigne et hilariter fuit receptus. Videntesque Prior et Conventuales deprecantis modestiam, congruam ætatem, sufficientiam literarum, bonamque indolem, ad probationem eum admiserunt. Sed quia Deus segregaverat ipsum ab utero matris suæ, precumque et orationum voluerat esse potius filium quam naturæ, Joannis Baptistæ (non sine mysterio) nomine decoravit, ut per omnia illi assimilaretur, essetque magnus coram Domino.

Ideo sapiens Architectus, ad sustinendam tantæ virtutis tantæque sanctitatis ædificii molem, prius humilitatis alta fundamenta jecit : ordinans per Prioris ordinationem, ut non, sicut cæteri qui ad monasticum habitum recipiuntur, statim in cella claustri reciperetur; sed, quasi Conversus aut Donatus aliquis, ad serviendum hospitibus per annum aut plus deputaretur, adjuvans Conversum jam senem qui hospitii curam gerebat. Quod ministerium hilariter acceptavit, hilariusque exercuit. Hospitium enim verrebat ipse et emundabat, sternebat lectos, mensas parabat, comedentibus ministrabat, aliaque id generis officia exhibebat. Post talem tantamque probationem, ædificatis non modice Conventualibus, summo cum gaudio et devotione sanctum habitum suscepit, die 10 Junii, anno 1541, ætatis vero suæ 19.

Sequenti vero anno, professionem suam distulit usque ad Nativitatem S. Joannis Baptistæ, propter congenitam devotionem, quam simul cum naturali vita in utero, cumque vita spirituali gratiæ in Baptismo una cum nomine, hausisse videbatur. Necnon spiritum solitudinis vitæque integritatem et sanctimoniam adeptus est. Novitiatum suum peregit sub disciplina curaque venerandi Patris D. Jacobi Pujalt, sanctitate insignis. De quo tantus Magister dicere solebat, nunquam se vidisse conscientiam tam puram niveoque candore decoratam. Huic venerabili Patri hu-

militer sua obsequii officia per viginti annos præstitit, quos post ipsius professionem supervixit.

Novus autem Christi miles apertum bellum contra carnem suam indixit, eam crucifigens cum vitiis et concupiscentiis; et ne recalcitrare liceret, tam tenue ac modicum alimentum ei præbebat, ut duos aut tres dies sine ullo cibo et potu transigeret. Unde factum est, ut hoc tanto rigore ita corpus suum attenuaret, ut cum S. Job dicere posset : *Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum*. In quo licet haberet zelum virtutis et perfectionis, sed non secundum scientiam. Quia omnia exercitia mortificationis, ut sint proficua homini Deoque grata, prudentiæ sale debent esse condita. Erat adhuc novus in Ordine, inexpertus in virtute; et ducebatur illo primitivo suæ sanctitatis fervore, et nutu sui spiritus et propriæ voluntatis regebatur : quod in via perfectionis (maxime in Religione) quam imperfectum, quamque sit periculosum, nemo est qui nesciat.

Unde huic rigori habenas imponere necesse fuit, ne inutilis ad Ordini serviendum efficeretur; et ipsemet cognovit, quod ita fieri oportuisset. Deinceps senum et expertorum requirebat consilia, ne suam faceret voluntatem, sed pericula vitaret et securus incederet. Quia monachus, ut ait S. Ephrem, etiamsi in cœlum propria voluntate ascendat, non est securus. « Si videris, inquit, monachum in cœlum propria voluntate ascendere, tene eum; expedit enim ei. » Nemo est enim, qui ignoret orationem jejunio præstantiorem esse; et ita ad perseverandum in ea, debent jejunia moderari, ne corporis vires deficiant.

Hoc sequens consilium noster novellus miles, semel in die ad solis occasum reficiebatur moderate; hora namque consueta (ut singularitatem vitaret) accipiebat pitantiam sicut cæteri monachi per fenestellam, et ante Completorium in cella sua solus manducabat. Et hoc modo copiosum tempus habebat orationi vacandi. Nam ab hora diei nona (finita Missa) usque ad Vesperas perdurabat in ea : dum enim cæteri prandebant, ipse orabat. Fuit etenim huic divino exercitio valde deditus. Vigilias quoque protrahebat, adeo ut a Matutinis usque ad diem jugiter vigilaret, exercitiis spiritualibus occupatus : præsertim se se ad sacrosancta Missæ Sacrificia celebranda præparans. Desiderabat namque hanc præparationem ab omnibus fieri, et ad illam faciendam omnes hortabatur.

Charitatem super omnia dilexit, tanquam totius Legis divinæ finem et complementum ac perfectionis vinculum. Et ut diligeret proximos non verbo et sermone tantum, sed etiam opere et veritate, in quantum potuit et licuit juxta arctam solitudinem Ordinis nostri, senibus et infirmis sollicite ministrabat : maxime duobus, qui propter antiquam ætatem et debilitatem chorum jam non sequebantur.

Obedientiam Sacristæ exercuit septem annos; in qua pingues fructus percepit ob præsentiam Sanctissimæ Eucharistiæ et sanctarum Reliquiarum. Quæ, ut ipse dicere solebat, cor suum ignivit et inflammavit; nullamque aliam Obedientiam fructuosius ac dulcius exercuisse in tota vita sua. Obedientiam enim Procuratoris modico tempore administravit.

Fervidos Dei servos valde diligebat ac reverebatur; quorum conversationem et ignita colloquia sibi procurabat ad loquendum de Deo horis debitis, sciens quod hujusmodi colloquiis, tanquam flabello, devotionis flamma ardentius exurgit, ut accendat ardor proximos.

Singulariter autem intimæ amicitiæ percussit fœdera cum illo sanctissimo viro, F. Ludovico Bertrand, Dominicanæ familiæ alumno (quem postea Clemens VIII, ob præclaræ vitæ sanctitatem et ingentia miracula, anno 1608, in Album Beatorum retulit); qui ex urbe Valentina ad istam Domum Portæ Cœli aliquoties adventabat, ut suum spiritum, et ea, quæ in oratione a Deo acceperat, cum illo conferret et communicaret. Ejusque cognoscens cordis puritatem, solidamque virtutem et sanctitatem, quamque parvulus esset in oculis suis et humilis, et quam magnus coram Deo; reversus in domum suam, dicere solebat: « O Cartusiani! nescitis donum Dei, et quam magnum bonum latet in D. Joanne Bellot. Non enim scitis quantum thesaurum in viro illo habetis, qui vobiscum loquitur, vivit et conversatur. » Et cum esset Magister Novitiorum, dicebat discipulis suis, ad eorum ædificationem et instructionem, monita et sententias atque documenta quæ ab eo audierat, et referebat exempla quæ viderat.

Tantam enim de illius sanctitate conceperat opinionem, ut ad nostrum Ordinem transire vehementer desideraret; et inter alias causas, præcipuam assignabat, ut tanti viri convictu frueretur, ejus disciplina instrueretur, ejusque magisterio in anno Novitiatus potiretur. Quæ major probatio et testimonium quæri desiderarive potest sanctitatis hujus servi Dei? Et quamvis in hac Domo jam fuisset a Conventualibus receptus ad habitum nostrum, noluit tamen Deus, propter privatam ipsius consolationem et profectum, universam Ecclesiam, Religionem Dominicanam, ac civitatem Valentinam ipsius matrem ac nutricem, tanto Patrono ac protectore privare: cum, sicut jam diximus, per Sedem Apostolicam inter Divos relatus fuerit.

Multa B. Ludovicus Bertrand amico suo corde prophetico nota fecit, antequam evenirent: ut ex quadam epistola ipsi scripta seu directa videre licet. Inter alia enim prædixit ei multas in Ordine habiturum Prælationes, ut ad earum onera portanda eminus animum roboraret. Quia sciebat hæc illi jacula cor transverberatura, ideo voluit ut tempestive ea prævideret, ut postea minus ferirent.

Anno 1569 institutus fuit Vicarius ac Magister Novitiorum. Hos lacte devotionis et pietatis suæ enutrivit et instituit præclaris vitæ suæ exemplis, in grandem ipsorum, hujus Domus et Ordinis profectum et ornamentum; eosque suæ virtutis et sanctimoniæ reliquit hæredes et successores.

Anno 1572 electus fuit in Priorem hujus Domus; cujus regimen biennio moderatus est cum utriusque status evidenti utilitate et incremento, quia per ejus orationes misit Deus abundantiam roris cœli et pinguedinis terræ. Attamen ipse plus amans regi quam regere, obedire potius quam præesse, plus otiari cum Maria, quam sollicitum esse cum Martha; propterea R. P. Generalem rogavit, ut per viscera misericordiæ Dei nostri eum absolveret ab officio, vel præberet sibi facultatem renuntiandi Prioratui. Cujus precibus annuit Reverendus Pater. Sed quia iste justus et timoratus erat, noluit gratiam sibi factam executioni mandare inconsulto suo amico B. Ludovico Bertrand; cui scripsit, ut negotium hoc cum Deo tractaret, et quid magis expedire videretur, sibi renuntiaret. Quod libenter fecit.

Postquam autem responsum accepit a Spiritu Sancto, venit ad hanc Domum, dixitque ei : « Voluntas Dei est te in officio perseverare, cujus onus suscepisti; nam a Deo fuisti vocatus tanquam Aaron. Et quia hoc anno visitanda est Domus tua, tunc poteris causas et rationes, quæ te movent, Visitatoribus significare (qui vices Dei agunt), animoque indifferenti et resignato eorum expectare dispositionem. » Qui auditis causis allegatis, et re mature considerata, illas approbaverunt, et ab officio ipsum absolverunt; sed curam et ædificationem Novitiorum illi commendaverunt.

Anno 1576, cum in Cartusia Vallis Jesu Christi esset eligendus novus Prior, Patres illi nostrum Joannem unanimi consensu elegerunt. Qui eo profectus, Vallem illam Jesu Christi, omnium virtutum feracissimam, valde admodum excoluit. Coluit aratro monasticæ disciplinæ, omnem regularem observantiam ex parte lapsam in integrum restituendo; seruit verbo Dei, docendo, hortando, prædicando; sarrivit et truncavit sarculo exercitiorum spiritualium, mortificationis, pœnitentiæ, suavi paternaque correctione; rigavit fonte lachrymarum suarum imbreque suæ orationis, implorando Divinam gratiam, ut omnibus esset cor unum et anima una. Aliqua ædificia summe necessaria a fundamentis erexit, erectaque jam reparavit. Domum multis onustam debitis alleviavit.

Cumque in principio sui regiminis antiquiores Patres instarent, propter pecuniæ penuriam, ad faciendas opportunis temporibus provisiones Conventui necessarias, ut quærerentur inter sæculares divites quingenta vel mille scuta, quæ (solutis debitis annuis pensionibus) Domus accipere posset ad succurren-

dum præsenti necessitati; et pro tractando hoc negotio convenissent jam in cella Prioris; iis V. P. Joannes dixit cum magna fiducia : « Commendemus Deo hoc negotium interim, et postea deliberabimus quod magis judicabimus expedire. »

Et hoc dicto vocavit ad se Procuratorem, introduxitque eum in interius cubiculum, ubi ipse dormiebat; et aperta quadam arca, saccum pecunia divinitus missa plenum tradidit ei; et exiens foras, dixit : « Ecce! Patres mei mille scuta cogitabant et instabant quærere; jam opus non erit, quia Deus nobis provisit ac subministravit. Agamus ei ingentes gratias. » Quod videntes (quemadmodum referebat D. Onuphrius Ripoll ipsius Domus professus et Prior), obstupuerunt et mirati sunt, dicentes : « Quia vidimus mirabilia magna hodie, et quia Deus visitavit Domum istam. » Nusquam enim sciri potuit, unde potuisset devotus Pater tantam pecuniæ quantitatem colligere. Quapropter omnes pro certo crediderunt ministerio Angelico illis fuisse provisam.

Anno 1581, videntes Patres hujus Domus Portæ Cœli benedixisse Dominum Domui Vallis Christi ad introitum devoti Patris, sicut per Jacob domui Laban, et per arcam domui Obededon; sancta quadam æmulatione acti, iterum Fratrem suum in Patrem elegerunt, et adduxerunt in Domum suam. Quo cum primum pervenit, inter alia multa bene ordinata et laudabiliter disposita, ordinavit, ut post Missarum celebrationem Religiosi inviolabiliter, ad agendum gratias pro recepto beneficio, toto corde se recolligerent, et ad tractanda sua negotia cum Eo quem in pectore habebant. Ideo januam claustri præcipiebat claudi, ne illa hora aliquis extraneus ingrederetur : quod usque modo servatur. Neque ipse, nisi necessitate cogente, aliquem illa hora cellam suam ingredi permittebat.

Quidam monachus, hac ipsa hora, quadam vice intravit ad loquendum cum eo. Quem ut vidit, interrogavit si jam celebrasset. Qui respondens se sacra Mysteria peregisse, ait illi V. Prior : « Vade igitur in cellam tuam, Pater mi, et age gratias Deo, quem tecum in corde portas; quia nulla est hora hac aptior ad tractanda negotia nostræ salutis, et ad inflammandum cor in contemplatione tanti Mysterii tantique beneficii. Et ego, per Dei gratiam, sic facio ultra sexaginta annos, spatium trium horarum quotidie. Qui enim similiter faciet, gustabit et experietur in se quod dicit David : *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* »

Quamvis in suo regimine esset blandus ac dulcis, tamen quando Religiosi recognoscebant culpas suas in Capitulo, aliquos multum reprehendebat pro levibus culpis et causis, maxime juniores in Ordine, exercitationis seu mortificationis causa. Dicere enim solitus erat virtutem sine exercitatione mortuam esse.

Accidit etiam hoc tempore casus memoria dignus. Nam famulus quidam revertebatur a civitate Valentina, agens mulam onustam provisionibus Conventui necessariis. Quem invasit in via quidam grassator et crudeliter vulneravit, adeo ut crederet esse mortuum; et mulam secum ducens, abiit celeriter. Totum hoc, Priorem in cella sua consistentem, cum esset transacta hora una noctis, non latuit; dixitque Converso ibi astanti : « Vade cito versus Valentiam, quia famulo nostro in via magnum accidit infortunium, ac vitæ discrimen. » Conversus autem videns eum adhuc non tardare, quia tardius venire solebat, neglexit ire. Sed paulo post, Prior videns eum non ivisse, increpavit inobedientiam ejus, dixitque ei: «Vade igitur nunc saltem usque ad monasterii portam, et videbis quid ibi agatur. » Ivit igitur ille, et invenit memoratum famulum fortiter tintinnabulum pulsare, totumque sanguine conspersum ex multis vulneribus sibi inflictis, ac pene exanimem. Et cognovit Priorem per prophetiæ spiritum illum antea vidisse. Locus autem ubi latro illum invasit, distat a Conventu per tria milliaria; et erat hora nona noctis.

Anno sequenti, visitavit Domum hanc D. Petrus Barbus, professus et Prior Domus de Miraflores Provinciæ Castellæ. Qui durante Visitatione voluit ascendere ad frigidum et salutiferum fontem Llentiscle, qui intra terminos Domus emanat; et cum eo ascendit noster Prior. Descendentibus illis de monte, in regressu contigit mulam nostri Prioris offendere, et super eum cadere. Et cum surgere non valeret præ itineris angustia, arbitrati sunt omnes aliquod grande damnum recepisse propter loci fragrositatem et arctitudinem, propterque mulæ pondus quam supra se habere videbatur; sed a famulis adjutus, hilaris atque illæsus surrexit. De quo admirantes omnes sciscitati sunt, quomodo illæsus evasisset? Dixit : « Quia Angelus Dei supposuit se inter me et mulam, ne mole ejus opprimerer; et custodivit me, ne calcibus suis noceret mihi. » De quo beneficio Deo gratias agentes, iter suum persecuti sunt.

Existimantes autem Patres Visitatores sanctum Priorem incurrisse in casum absolutionis, propter venditionem pecorum, de officio eum deposuerunt. Sed in sequenti Capitulo generali declaratum fuit male intellexisse Visitatores, et minus prudenter egisse, eum absolvendo. Ipse autem gavisus est gaudio magno ob cellæ quietem et tranquillitatem, quam summopere optabat; et quam tam exacte coluit et observavit, ut tribus annis pedem non extraxerit extra portam monasterii.

Anno 1588, Capitulum generale eum jam tertio in Priorem huic Domui destinavit, simulque Provinciæ Visitatorem instituit. Et brevi tempore nonnulla damna, quæ præsens Domus in spiritualibus et temporalibus perpessa fuerat, reparavit, et ab ære alieno rede-

mit; quia revera per ipsius devotas preces secundabat Deus omnia adversa prosperaque augebat, et ad ejus umbram cuncta inolescere videbantur.

Erat quippe speciosus forma, elegantis proceræque staturæ, mitis et humilis corde, animo benignus et misericors, spiritu fervens, eloquio dulcis et suavis, omnibus naturæ gratiæque muneribus exornatus. Habuit etiam donum lachrymarum, quas frequenter effundebat, sed præsertim in præsentia Sanctissimi Sacramenti. Et hinc erat, quod post assistentiam in Missa conventuali, et dicta a se Missa privata, audiebat quotidie aliam, quia nunquam satiari potuit Dei præsentia et fruitione. Quapropter, cum ibat ad visitandas Domos Provinciæ, quotidie celebrabat, licet propter hoc breviorem dietam facere oporteret.

Redeunti illi ex Visitatione Cartusiæ Aulæ Dei, se adjunxerunt ei in via quidam mercatores de nundinis revertentes, onusti multa pecunia, et non minori metu illam servandi. Advesperascente autem die pervenerunt omnes simul ad quemdam vicum, in quo causa celebrandi sequenti mane devotus Pater voluit pernoctare. Mercatores vero non acquieverunt; sed ad proximum hospitium per unam leucam distans transierunt. Visitator autem noster celebravit mane Missam; et recepto itinere ibat per viam gaudens et gratias agens pro recepto beneficio. Sed ecce occurrerunt ei mercatores, flentes ac lachrymantes, pecunia vacui, vulneribus afflicti ac metu pleni; quia media nocte supervenerant quidam latrones in hospitium et expoliaverant eos.

Quotidie cum magno dolore sacramentaliter confitebatur; sacrumque Mysterium peragebat, præmissa alta meditatione tanti Sacramenti. Et hinc est quod tanta pinguedine spirituali delibutus fuerit.

In quadam die Octavarum festi Corporis Christi, orante ipso in ecclesia, casu supervenerunt quidam citharœdi, qui multa dexteritate coram Sanctissimo Sacramento pulsaverunt tantisper citharas suas. Pius autem Pater, ut audivit harmoniam et consonantiam, cœpit abundanter flere præ gaudio; et, ut ab oculis ibi assistentium abscondere se posset, festinus cucurrit in sacristiam, ibique altis vocibus et copiosis lachrymis clamabat, dicens : « Si hæc in hac valle lachrymarum fiunt, quid erunt in Cœlo ? Si hæc in exilio, quid in patria ? Si tam dulciter canunt homines mortales, quomodo cantabunt Angeli immortales ? O bone Jesu ! quando te videbimus ? »

A requirentibus eum pro tractandis negotiis occurrentibus semper inveniebatur genu flexus in præsentia Sanctissimi Sacramenti, orans per fenestellam, quæ est in cella Prioris versus altare majus. Conversus, qui illi ministrabat, sæpissime eum celebrantem vidit divina quadam luce et splendore circumdatum. Unde ad devotionem et

reverentiam ei exhibendam valde provocabatur.

In sequela Conventus fuit exactissimus : primus qui veniebat, et ultimus qui recedebat. Quidam monachus, qui adhuc vivit, refert quod, dum esset Novitius, proposuit in animo suo prævenire citius adventum Prioris ad Matutinas et alios actus conventuales; et licet hoc studio esset vigilantissimus, nunquam tamen prævenire valuit dictum Patrem Priorem.

Aliquando Prorex aut Archiepiscopus Valentinus pro sua devotione veniebant ad hanc Domum, ut in solitudine sine sollicitudine vacare possent divinis exercitiis. Si, quando cum eis loquebatur, pulsaretur campana, cum omni reverentia et urbanitate hilarique vultu dicebat : « Ab alio majori Domino vocor; liceat mihi videre quid jubeat; » et hoc modo recedebat ab eis cum grandi ædificatione ipsorum.

Et dum esset deinde in ultima ætate constitutus, nempe octogenarius, viribus ac oculorum lumine destitutus, surgebat quotidie mediis noctibus ad Matutinas; et manibus ad parietes tentans, pergebat ad ecclesiam. Sed quadam nocte ita sensum perdidit, ut ostium claustri, quod ducit ad ecclesiam, nullo modo invenire potuit; licet diversis vicibus per parietes viam ad chorum quæsierit. Sed neque ad cellam suam redire scivit. Quapropter sedens super terram, ibi permansit orans, donec monachi exierunt a Matutinis; qui supra modum ædificati viso eo, duxerunt eum ad cellam suam. Fervor namque spiritus, bona et tam longa consuetudine adjutus, naturales vires, quas tempus edax absumpserat, supplebat.

Paupertatem semper dilexit et procuravit in omnibus ad suum usum pertinentibus. Nusquam habuit plusquam duo vestimenta mutatoria, quæ Statuta concedunt. Si aliqua dabantur ei opipara vel delitiosa, recusabat accipere, ne illi diceretur in futura vita, *Fili, recepisti bona in vita tua.* « Et quid, aiebat, respondebo hæc mihi dicenti? » Omnis murmuratio longe fuit ab ore ipsius, neque de re aliqua sibi minus grata aliquando conquestus fuit, præcipue de cibis sibi ministratis. Si comedere ea nollet, utpote stomacho suo molesta, ea cum omni modestia relinquebat; sed tamen defectum ullum habere non dicebat. Quando, propter aliquam indispositionem, sumebat aliqua medicamenta purgativa, sensim ea absorbebat; imo et vas ipsum, in quo continebantur, lingua lingebat, ut eorum amaritudinem, acrimoniam, aliumve insulsum saporem vel fœtorem melius sentiret et gustaret. Vestes suas ipsemet lavabat et emundabat, dum esset Prior; et si aliquis e junioribus vellet e manibus tollere, non permittebat.

Summa erat modestia et urbanitate præditus. Et tanquam vere humilis corde, quando veniebat aliquis ad cellam suam ad loquendum cum eo (etiam si fuisset de junioribus), si tunc sedebat,

statim surgebat, et stando loquebatur demissis in terram oculis, quasi si fuisset ipse subditus et non Prælatus. Aliqui superciliosi et corde tumidi existimant quod humilitas in Prælatis reddit eos despicabiles et contemptibiles. Carnalis certe et mundana est ista cogitatio, ideo Veritati contraria, quæ dicit : *Quanto major es, humilia te in omnibus; et sic habebis gratiam coram Deo et hominibus*. Exemptiones ullas nec ipse quæsivit, nec ultro a Superioribus oblatas acceptavit, dicens : « Ego non veni ad Religionem ad dissipandas leges ejus et solvendas, sed adimplendas. »

Per id tempus F. Joannes Alameda, Conversus noster, vir pius et devotus, ivit Valentiam pro tractandis quibusdam negotiis ; sed gravissima præventus infirmitate, brevi tempore decessit in dicta civitate. Per Divinam tamen revelationem V. Prior in ipso momento hoc scivit; dixitque Converso, qui prope astabat : « Vade cito Valentiam, quia F. Joannes mortuus est, ut associes corpus ejus in via, quando adducetur huc ad sepeliendum. » Ivit ille, et sicut prædixerat, ita invenit : glorificans Deum, quia Propheta magnus surrexerat in nobis. Eodem Spiritu revelante, scivit mortem F. Dominici Amedon Dominicani, et ipsi charissimi, eadem hora, qua obiit Valentiæ, anno 1602, magna cum opinione sanctitatis. Habebant enim mutuam communicationem et fraternitatem meritorum.

D. Theutonius a Bragantia, archiepiscopus Eborensis, in regno Lusitaniæ Domum nostri Ordinis fundaverat anno 1588. Qui, audita fama sanctitatis nostri Prioris, desiderio desideravit habere illum in sua nova fundatione, ut religione atque prudentia sua illam novam plantationem excoleret et irrigaret; et sic copiosos fructus Dominus perciperet ex ea, fundamentaque illius ædificii essent in montibus sanctis virtutum omnium. Ob quam causam scripsit R.P. Priori Cartusiæ, rogans eum ut dictum Joannem Bellot, ad effectus quos diximus, sibi mitteret. Qui ejus annuens precibus, præcepit ei ut pergeret illuc, atque Archiepiscopo morem gereret.

Sanctus vero senex, obedientiæ norma et exemplar factus, hujus Domus deposito regimine, prompto animo obedivit. Licet caro infirma, jam senio confecta, tanto itinere, tanto solis ardore cœlique illius regionis sibi adversa temperie, multisque aliis incommodis terreretur ; sed sciens, quia nihil pretiosius abnegatione propria in Religioso, et quia Dominus noster Jesus Christus factus est obediens usque ad mortem et mortem crucis, obedivit et ipse alacri voluntate. Pergit autem iter suum per Curiam regiam Philippi II regis Hispaniarum; quia ita ordinaverat R. Pater Cartusiæ, ut salutaret Regem suo nomine, et deprecaretur eum pro bona directione Domus ædificandæ Ulyssiponæ in proprio regno Lusitaniæ.

Odor autem bonæ opinionis V. Patris nostri jam pervenerat ad Regiam

Majestatem. Propterea eum recepit et audivit auguste, placido vultu, serenaque fronte; et in ejus venerabilem aspectum ita fixit oculos, ut eos non averteret ab eo, dum præsens fuit (ut D. Joannes Miralles socius ejus nobis deinde referre solebat). Se suosque filios et sua regna orationibus ejus commendavit. Et quantum ad negotium fundationis, Rex dixit : « Ego meo scribam consobrino,ut vobis in omnibus se præbeat favorabilem; » conversusque ad D. Christophorum a Mora Regi charissimum, præcepit statim assignari ad dictæ Domus fundationem mille scuta quotannis ex Regio patrimonio exsolvenda.

Illustrissimus Marchio Denis, ob singularem devotionem et amicitiam erga Patrem, voluit eum hospitari in palatio suo; sed ille urbane renuit, eo quod ibi esset Domus Ordinis, in qua decentius ac religiosius hospitaretur. Sed ne eum contristaret ac Marchionissam sibi amicissimam, semel comedit cum eis.

Peractis igitur quæ agenda erant in Curia, e vestigio inde profectus est, et post aliquot dies itineris pervenit in Lusitaniam. Et ante omnia salutavit Principem Cardinalem, Regiæ Majestatis consobrinum ac illius regni Gubernatorem. A quo est valde honoratus, non solum hac prima vice, sed quoties illum invisit. Nam juxta se sedere faciebat, et familiarissime cum eo colloquebatur; ipsiusque conscientiæ intima manifestabat, et æqualem se illi in omnibus præbebat. A Ducibus Bragantiæ et aliis Magnatibus ecclesiasticis et sæcularibus valde æstimatus fuit, præcipue tamen ab Archiepiscopo Eborensi, cujus causa illuc advenerat, quia erat cupiens ex multo tempore illum videre et juxta se habere.

Reclusus tamen devotus Pater in angulo cellæ, horum omnium Principum, nisi ad orandum pro eis, nullam memoriam habebat; quia non erat cupidus mundanæ gloriæ, nec, ut chamelæon, populari alebatur aura. Non adhærebat pavimento anima ejus, neque conglutinatus erat in terra venter ipsius; sed hæc omnia quasi quisquilias et stercora reputabat.

Duobus annis Domum hanc gubernavit; quo tempore multa laude digna gessit. Post biennium visum fuit Capitulo generali, ne lucens adeo et ardens lucerna esset sub modio, eum ad hanc Provinciam revocare et Priorem Domus Vallis Christi ac Provinciæ Visitatorem instituere.

Anno 1593 visitavit Oriens ex alto Domum illam hac secunda vice, tam sanctum ac venerabilem Patrem mittendo : quam invenit sub debitorum sarcina gementem, omnibus necessariis destitutam. Sed iis omnibus cito remedia opportuna attulit, quia ipse secum videbatur portare ubertatis abundantiam : etenim manus Domini erat cum illo (quia et ipse Joannes Baptista dicebatur). Dominus Franciscus Martinez,

professus et Correrius illius Domus, affirmare solebat magna cum asseveratione, horrea frumenti evidenti miraculo augeri et crescere aliquoties. Quando campis aquæ penuria erat et magna siccitas, rogabant eum ut ad grangias ascenderet ac illic celebraret ; quia experimento noverant hoc esse unicum et certum remedium. Ipse enim, velut alter Elias, nubibus imperabat. (Ad cujus etiam caput panis inventus et subministratus fuit divinitus, quem surgens comederat, sicut jam supra diximus.) Ad hujus veritatis probationem rem æternæ memoriæ dignam referam.

Habet Cartusia Vallis Christi tria rura seu grangias; in quibus, tempore magnæ siccitatis, per ordinem in tribus diebus celebravit, et recitavit unam Litaniam Sanctorum et alias preces. Et in qualibet earum, post celebrationem et Litaniam, pluit sufficienter et abundanter, non sine grandi admiratione F. Joannis Oloberri Conversi qui sociavit eum.

In prædicta Domo multa fabricavit utilia atque necessaria. Omnia ornamenta cultui divino dicata renovavit; et cuncta ad meliorem statum restituit.

Sed cum jam esset grandævus, cupiens onerosis Ordinis honoribus renuntiare, deprecatus est R. Patrem Cartusiæ pro officiorum absolutione. Cujus precibus R. Pater satisfacere noluit. Quapropter ascendit illo anno ad Capitulum generale, ubi ab omnibus fuit honoratus, et impetravit tantum absolutionem officii Visitatoris. In via autem multos labores et incommoda sustinuit, præcipue animi angustias, per Hæreticorum terras transiens : quia videlicet ditioni subjacent Principis tenebrarum, ubi veræ lumen fidei non intrat ob caliginosam hæresum densitatem. Pro quorum illuminatione tanto fervore et mentis affectu orabat, ut, quemadmodum referebat F. Joannes Guillem Conversus, socius itineris, semel in aera raptum seu elevatum vidit corpus ejus, altitudine quinque aut sex palmorum, sequens spiritum Cœlestia meditantem.

Tam assidua meditandi orandique consuetudine et tam longo usu, pervenit hic famulus Dei ad altissimum orationis gradum, et per ipsam super omnium virtutum culmen ascendit : cujus vita abscondita erat in Christo. Ideo sæpe raptus in extasim reperiebatur; et quamvis fortiter vocaretur aut moveretur, nihil sentiebat. Quis ergo dubitavit tam excellenti oratori multa non fuisse revelata arcana, multas non habuisse Civium supernorum visitationes? Sed humilitas ejus, et ingens se se in abscondito faciei Dei occultandi desiderium, Cœlestes hos favores absconderunt. Nihilominus, in confirmationem hujus veritatis, dicam quod contigit F. Joanni Oloberri, Converso Vallis Christi.

Videns enim quadam nocte illum non venisse ad Matutinas, ivit ad ejus cellam, ut sciret quæ esset causa (erat

enim ipse infirmarius ac minister ejus specialis). Cumque ad ostium appropinquasset, audivit eum recitantem divinum Officium alternatim cum socio: cujus socii vox fœminea videbatur. Hoc cum audiisset, noluit ipsum inquietare et privare Cœlesti illa visitatione; sed benedicens Deum, abiit. Et post modicum spatium rediit, et similiter audivit ambos psalmodiam frequentantes; et non audens accedere ad sanctuarium illud, recessit glorificans Dominum.

Altera autem die hora consueta, post solis occasum, cibum illi subministravit, dixitque ei : « Pater Prior, Paternitas vestra hac nocte non ivit ad Matutinas. » Cui respondit : « Neque ivi, neque dormivi. » Rursus Conversus, « Ego, ait, veni ad requirendum Paternitatem vestram ; et cum audiissem recitantem divinum Officium, et etiam vocem cujusdam fœminæ tecum psallentis, nihil dixi, sed abii in cellam meam. » Quod cum audiisset V. Pater, perfusus pudore, videns palam esse factum verbum illud, dixit illi : « Præcipio tibi ut nemini hoc dicas, et imposterum non venias ad scrutandum quid ego facio; quia non permittam te amplius intrare in hanc cellam. » Quod videns Conversus, veniam petiit, et non est ausus amplius interrogare, quis esset ille Cœlestis socius, qui cum eo pernoctabat et psallebat.

Singulari prærogativa castitatis et pudicitiæ ornavit eum Dominus. Sicut enim aliis affectata est castitas, ipsi innata et congenita esse videbatur. Omnia quæ huic Angelicæ virtuti aliquid non solum nocumenti suspicionisve quoad proximos, sed etiam ea quæ ipsi soli minus decentiæ videbantur, vitabat. Inde est quod nunquam permisit, ut Conversus qui ei ministrabat, quando jam præ senio nullam fere actionem exercere poterat, tunicam interiorem vestiret vel eum adjuvaret, ne carnem ipsius videret tangeretve; quia dicere solebat, nullam humanam personam eum nudum vidisse, nisi matrem suam dum esset infantulus. Si commode et absque magna nota posset occursus fœminarum vitare, eas a longe fugiebat, et multo magis earum colloquia. Quæ si inevitabilia essent, aliqua exigente rationabili causa, fixis in terram oculis durante colloquio perseverabat.

Ipsius soror, et ætate provecta et virtute ornata, visitavit eum dum esset Valentiæ causa negotiorum. Quæ superveniens hora prandii, quando jam ipse comedebat, ad loquendum et videndum eum propius accessit ad mensam et sedit. Sed ille statim surrexit et dixit : « Non comedam donec a mensa recedas ; eminusque me potes videre et loqui. Non enim decet ad mensam Cartusiani fœminam, licet sororem, sedere. »

Eodem anno, quo fuit absolutus ab officio Visitatoris, ut diximus, paucis deinde decursis mensibus, absolutionem quoque ab officio Prioris propter extremam senectutem obtinuit; de quo

summopere gavisus est optimus senex. Et prima die Dominica recognovit in Capitulo culpam primus omnium (sicut solent hospites facere in hac Provincia) ; deinde vertens se ad Conventuales, petiit humillime ignosci sibi culpas, et defectus in administratione Prioratus commissos. Et dixit hoc tanta cum humilitate et mansuetudine, ut omnes fleverint uberrime; et hoc facto exiit a Capitulo.

Reversus jam ad quietem et pacem cellæ suæ, liberque a sollicitudine officiorum, quasi modo Deo servire inciperet, cœpit se præparare ad reddendam rationem transactæ vitæ. Expostulatus a monachis Cartusiæ Portæ Cœli, ut ad Domum suæ professionis, ad persolvendum vitæ completorium, rediret, et sepeliretur in sepulchro Patrum Fratrumque suorum, honoraretque Matrem suam ossibus suis ; licet hoc ipsum valde optaret; quia tamen Patres Vallis Christi amabant eum ex corde, geminatis vicibus obnixe eum rogaverunt, ne eos desereret : quibus, ne ingratus videretur, compulsus fuit acquiescere.

Per id tempus Illustrissimus ac Reverendissimus Archiepiscopus Valentinus, ipsi valde devotus, sciens venerandum Patrem graviter infirmari, scripsit Episcopo Segobricensi, ut infirmum suo nomine visitaret; et, si ex illa infirmitate decederet, procuraret ejus corpus ad se mittere, ad sepeliendum honorifice in ecclesia sui collegii Valentini : credens ejus Reliquiis honorari. Fecit Episcopus, veniens ad Domum Vallis Christi, quod sibi mandaverat Archiepiscopus; et inter loquendum, ex inadvertentia, dixit illi cuncta quæ sibi scripserat. Hoc autem audiens humillimus senex, cœpit humiliter et fortiter tundere pectus suum, et cum lachrymis dicebat : « Heu me! heu me! vilissimum peccatorem, sanctum arbitrantur. Infelix ego homo! quia non me cognoscunt, bonum existimant. »

Omnes pene virtutes corporis deficiunt in senibus, et ut D. Hieronymus ait, crescente sola sapientia, decrescunt cætera. Quod accidit devoto nostro seni. Cui, cum jam pervenisset ad ætatem laboris et doloris, et haberet jam præcursores sive nuntios mortis ad januam, defecerunt vires ac visus et memoria; sapientia vero, mens, ratio et judicium illæsa, imo aucta, usque ad mortem perseverarunt. De quo valde lætabatur, agebatque Deo gratias et dicebat : *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.*

Et licet ex tot annis tam religiose ac sancte transactis magnam haberet confidentiam vitæ æternæ, nihilominus valde contristabat eum consideratio defectuum, quos putabat commisisse in tot officiis administratis. Ideo cum ad memoriam veniebant stricta Dei judicia, toto corpore et corde contremiscebat, eo quod redditurus esset rationem de toto vitæ suæ tempore. Hac de causa fere semper totus erat in lachrymis, petens a Deo misericordiam : aliquando

propter nimiam humanitatem et facilitatem qua subditis indulserat, aliquando quia nimis erga illos se rigidum exhibuerat. Interrogatus autem, quæ esset tantarum lachrymarum causa, dicebat: « Num causa gemendi potest deesse ei, qui ad limina mortis usque onustus Ordinis officiis pervenit? Et quamvis per Dei gratiam non recorder fecisse omisisseve aliquid respectu carnis vel sanguinis motus, sed secundum conscientiam gubernasse, tamen *Deus est, qui judicat me,* ut Apostolus dicebat, cujus judicia sunt valde extimescenda. *Est* enim *horrendum incidere in manus Dei viventis.* »

Quando jam divinum Officium recitare non poterat propter cæcitatem oculorum neque celebrare, recitabat multos psalmos memoriter, et ad quoddam sacellum quotidie ibat ad audiendam Missam; in qua Dominicis diebus et quintis feriis quibusdamque solemnitatibus, quasi pro viatico, communicabat. Quadam die callidus hostis voluit eum, ne communicaret, impedire; ac in tantum ejus gravavit corpus, quod nec adjutus, a lecto prævaleret surgere. Cognovit senex hoc in digito Dei non fieri, sed malitia diaboli. Invocato igitur Divino auxilio, cum magno labore surrexit, et adjutus a ministro cœpit versus sacellum ire. Quod videns inimicus, recessit confusus. Et deinde absque ullo fulcimento potuit pergere, et quo ibat, pervenire celeriter. Sed ille, statim ut reliquit eum diabolus, dixit: « O inimice! usquequo me persequeris? et quamdiu molestus mihi eris? »

Rosarium Beatissimæ Virginis, cujus erat devotissimus, jugiter portabat in manibus. Orabat etiam assidue pro animabus Purgatorii; et hortabatur omnes ad tam piam et sanctam devotionem, sciens quod dicit S. Birgitta, lib. 4, cap. 7: « Benedictus sit ille, qui in mundo juvat animas orationibus et bonis operibus laboreque corporis sui. » Totus ipsius sermo et locutio erat de morte, de gloria et felicitate Sanctorum: quam avidissime desiderans, rogabat Dominum, ut vel saltem cum publicanis et peccatoribus ipsum admitteret in alio sæculo.

Duobus mensibus ante mortem ejus, post Matutinas Infirmarius visitavit eum, quem invenit in terra flexis genibus et junctis manibus positum. Dixitque illi: « Quare, sæviente frigore et tali hora noctis, ita manes, Pater? » Et ille respondens, ait: « Neque si in terra sive in lecto sim, scio; hoc tantum scio, quia ad suscipiendum Sanctissimum Sacramentum, quod mihi allatum fuit, genua flexi. » Et Infirmarius volens scire quis ei attulisset corpus Dominicum, iterum interrogavit; sed sanctus senex dixit: « Sinamus hoc, quia forte decipior. » Et hoc modo tam singularis Dei favor incompertus remansit.

Marchionissa a Villamisar, proregina Valentiæ, misit ad visitandum eum in illius infirmitate quemdam Clericum;

cui mandavit, ut ab infirmo rosarium suum peteret. Et ita fecit Clericus. Sed infirmus dixit illi : « Dicatis Dominationi suæ, quod ego per digitos rosarium recito. » Et post aliquot dies, videlicet die Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ, venit præfata Domina, cum Prorege viro suo, qui ad cellam sancti Patris intravit, humiliterque ejus benedictionem petiit ; simulque rogavit ut ad portam monasterii egrederetur pro consolatione Marchionissæ. Quod ille recusavit facere. Sed præcipienti Prælato obediens, exivit : ex parte consolatus quia, cum esset cæcus, non videret mulieres.

Devota autem Domina ut primum vidit eum, sedere fecit illum in sella. Ipsa vero ad pedes ejus genibus flexis perseveravit per grandem moram, audiens salutaria monita et documenta ejus; qui cum esset cæcus, videre non poterat quomodo staret pia Domina : ideo non dixit ei ut surgeret. Quando autem discessit, Pater Prior dedit ei unum cilicium servi Dei, quod pro magna Reliquia accepit.

Tandem post dies octo aggravavit eum infirmitas. Receptisque Sacramentis, recitando Psalmos, præcipue dicens: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Adhæsit anima mea post te; me suscepit dextera tua. Dextera Domini fecit virtutem; animam meam suscepit,* et alias devotas orationes frequentes, dierum ac meritorum plenus, in sancta senectute obdormivit in Domino, die 18 Decembris, anno 1605 ; cum esset ætatis 85, et Religionis 65 annorum.

Remansit facies ejus tanquam facies Angeli, provocans aspicientes ad pietatem et devotionem. Et quam primum divulgatus fuit ejus obitus, accurrit maxima multitudo sæcularium ac Religiosorum ex locis circumvicinis ad videndum eum et exosculandum manus ejus; et felices se putabant, si vel particulam aliquam vestium ejus possent adipisci. Reverendissimus D. Felicianus a Figueroa, episcopus Segobricensis, misit nuntium ad Priorem, rogans ut differret sepulturam, donec ipse veniret; quia ipsemet volebat facere Officium. Sed propter tot sæcularium concursum, noluit expectare adventum ejus; sed ipse Prior Ludovicus Mescarel sepelivit eum juxta sepulturam B. P. Bonifacii Ferrer, ut convenienter dici posset : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum!* Manus et omnia membra hujus servi Dei, donec in sepultura depositus fuit, permanserunt adeo blanda atque tractabilia, ac si viveret.

Descripta jam utcumque Vita hujus devoti Patris, restat ut de miraculis, quæ per ipsius merita operatus est Deus, agamus breviter.

Jam supra scripsimus quantam amicitiam et familiaritatem habuerit cum S. Ludovico Bertrand Dominicano, et quam eximiam æstimationem et opinionem conceperat ipse Beatus de sanctitate nostri P. Joannis Bellot. In confirmationem igitur hujus opinionis accidit

ut (ipso adhuc vivente) Domnus Caudete, Procurator Vallis Christi, Valentiæ residens, iret ad visitandum dictum D. Ludovicum Bertrand. Cumque in cella ipsius verba faceret de sanctitate et virtutibus D. Joannis Bellot, surgens S. Ludovicus et aperiens quamdam arculam, protulit quemdam pileum laneum, et tenens eum dixit : « Hic pileus est mei charissimi Patris D. Joannis Bellot. Et ego scio quia cum ipso facta sunt nonnulla miracula ; quapropter servo illum pro magna Reliquia. »

Joannes Munnoz, Notarius Valentinus, habebat unum brachium paralyticum, ita ut eo minime uti posset ad quascumque actiones. Sed veniens in Cartusiam Vallis Christi, et colligens de herbis quæ supra sepulturam sancti Patris ortæ erant et cum illis brachium fricans, invocavit patrocinium ejus et merita ; et in conspectu duodecim astantium perfectam sanitatem est adeptus : ita integre, ut in testimonium veritatis pugno fortiter percuteret parietes, et laudans ac benedicens Deum, supra petras alapas daret valenter. Et ad rei memoriam, fecit scripturam manu propria, cum subscriptionibus duodecim testium, qui præsentes aderant, et servatur in dicta Domo Vallis Christi.

F. Antonius Ortin, Conversus hujus nostræ Domus, dum infirmaretur, ac magnis febribus teneretur per multos dies, nec medicamentis humanis juvari posset ; postquam bibit parum aquæ in calice vitreo, in quo sanctus Pater bibebat, simul cum potu hausit integram et repentinam sanitatem, glorificans Deum.

Alia multa audivi miracula per eum patrata ; sed quia de illis usque modo non potui perfecte certificari, ideo nunc missa facio.

Hactenus Chronicon Portæ Cœli.

XIX DIE DECEMBRIS

GUILLELMUS DE FENOLIIS

CONVERSUS CASULARUM

« Doctrina, sapientia et scientia simplex, sed vita spirituali moribusque doctissimus. (Sunt ipsamet verba Petri nostri Dorlandi.) Hunc ferunt innumeris claruisse miraculis in vita hac et morte pariter. »

Uno dierum cum pro negotio emissus iter ageret, contigit, ut super eum prædones repente irruerent, et asinum quo vectabatur rapere molirentur. At Sanctus sciens asinum auferri non oportere, quippe quem ipse accommodatum suo reddere oporteret Conventui, post brevem orationem advocato Christi subsidio, pedem aselli cernentibus ocyus

avulsit; quem manu corripiens, minitanti similis in prædones vibrans intorsit. Illi nimio terrore agitati, quippe quos Dei furor præsens tremefecit, in turpem omnes fugam conversi sunt seu lapsi sunt. At Dei servus, Domino adjutore benedicto, pedem avulsum suo mox loco restituit, et asellum conscendens, suum iter permeavit.

« Hic Vir beatus (pergit Dorlandus), solitus erat magna devotione sæpe affici ad Christum Deum nostrum Crucis ligno affixum. Uno dierum cum profusis [al. infusus] lachrymis staret ante Crucifixi imaginem, et tanquam cum Deo præsente ac patiente dulci murmure mussitaret, Christus ostendere illi volens gratam sibi esse hanc pietatis industriam, de Cruce cœpit benignissime Guillelmum alloqui, et cor ejus consolari immensa dulcedine; ac se se in viscera ejus animæ trajiciens, spiritum servi sui secum plenissime crucifixit. Hinc factum fuit, ut totus illius spiritus Christo imbibitus ac penetratus, nunquam posset, nisi cum maximo fletu, crucifixi Salvatoris meminisse. »

Extant plurima Instrumenta donationum scripta in membranis, in quibus exprimitur nomen S. Guillelmi Casotuli. Omnes enim qui hujusmodi donationes huic monasterio fecerunt, singulari pietate affecti erga Virum illum religiosum, testantur ejus sanctitatem. Cujus gratia possessiones monasterii atque facultates augere conati sunt. Floruit autem sanctitate Guillelmus anno 1200.

Hæc excerpsimus ex quodam Manuscripto Cartusiæ Casularum, ubi multæ referuntur multorum attestationes de patratis a Guillelmo miraculis; ex quibus unam hic subjicimus:

« Nos... Olivero, Bartholomæus Ragnaschino, omnes incolæ de la Torre; qui unanimiter testificati sunt verum esse, quod in hoc loco Guillelmi Conversi Cartusiæ Casularum nomen multum ab omnibus celebretur, cujus imago vetustissima depicta conspicitur in ecclesia parochiali, foras etiam extat supra templi primariam portam. Affirmaruntque ab antecessoribus suis accepisse, quod secundum vulgi opinionem hic beatus Frater domicilium sibi construxerat in monte qui etiam nunc appellatur Mons Damito, in confiniis istius loci. Superest adhuc parietis tractus, ubi Guillelmus Vitam agebat eremiticam, unde discessit pulsus a meretrice, quæ illum pelliciebat ad peccandum; seque apud Cartusianos Casularum recipiens, huic Religioni suum dedit nomen.

« Feruntque postquam præfatum Montem Guillelmus deseruisset, singulis annis tempestates in illis confiniis excitari fuisse solitas. Quapropter cives de la Torre, in monasterio Casularum beatissimum hunc Fratrem adeuntes, certam lignorum mensuram huic Cartusiæ obtulerunt, in gratiam sanctitatis et religiosæ conversationis Fratris Guillelmi, quatenus tranquillitas fieret: quod quidem mediantibus sancti Viri precibus impetrarunt.

« Præterea præfatus Guillelmus Bozano speciatim testatus est audivisse a patre suo, quod post mortem beati Guillelmi (quamvis alibi sepultus fuisset) repertum nihilominus fuisset ipsius corpus in Correria antiqui monasterii Casularum : quod quidem multoties contigerat, nam sæpe sæpius translatum fuerat in novam Cartusiam... etc. »

Aliam etiam hic subjicimus attestationem, cujus tenor talis est :

« Nos, qui præsentes literas subscripsimus, attestamur et fidem facimus, quod intra terminos de Modovi sacellum est divo Jacobo dicatum, in quo multorum Sanctorum imagines depictæ sunt, atque imprimis S. Guillelmi effigies ad latus sinistrum in pariete sacelli conspicitur; qui quidem albo Conversorum Cartusianorum habitu indutus, ætate provectus, cum prolixa barba et diademate coronatus apparet, in dextera manu tenens asini pedem et in sinistra coronam,cinctus ense in vagina concluso.In qua capella fit frequens populi concursus, singulisque diebus festis ibi Sacrum peragitur. Ad latus dextrum istius imaginis, depicta est S. Catharina, et ad sinistrum S. Constans, multique alii Sancti repræsentantur. Et supra memorata certificantes, perspeximus quod hæ omnes picturæ perantiquæ essent. Hoc patet quia in imagine S. Guillelmi hæc leguntur : M.CCCC.VIII, die 18 Maii. De quibus fidem facturus hodie, ego Notarius... etc.

« Datum Villænovæ, prope urbem de Modovi, anno 1616, die 11 Aprilis. »

Reliquas attestationes Lector poterit videre in nostro Volumine rerum Cartusiensium Provinciæ Lombardiæ propinquioris.

De Guillelmo egerunt Dorlandus, lib. 5, cap. 2; Catalogus sanctissimi Ordinis Cartusiani Georgii Garnefelt; Canisius in suo Martyrologio ad diem 19 Decembris.

ADRIANUS MONET

PRIOR LEODII

Professus Montis S. Gertrudis in Hollandia; divinarum humanarumque literarum cognitione apprime instructus, ac SS. Theologiæ profundissimus Doctor. Cujus elogium Sutor, lib. 2. Vitæ Cartusianæ, cap. 7, attexuit his verbis :

« Adrianus Sacræ Paginæ Doctor præstantissimus, et humanis quoque literis nobiliter doctus, vitæ sanctimonia spectabilis, et zelo animarum admodum fervidus : animadvertens sapientiæ thesaurum non sibi pro se duntaxat, sed ut cæteris impertiretur, collatum fuisse, diligenter curavit, et verbo præsentes instituere, et absentibus posterisque scripto prodesse. Cohortatus siquidem est auditores suos voce vehementi spirituque fervido fugere vitia, virtutes sectari, mortis habere memoriam, Tartareas pœnas exhorrere, et demum

Cœlestem ad gloriam totis votis anhelare. Scripsit quoque nonnulla, quibus nomen suum immortalitati donavit; inter quæ est opus commendandum *De utriusque fortunæ remediis,* validissimis assertionibus communitum, quod se magni schismatis tempore confecisse notavit. »

Hactenus Sutor. Petræus etiam in sua Bibliotheca de Adriano agit, sicut et Swertius et Raissius. Porro Adrianus, cum per septem circiter annos Leodiensem Cartusiam administrasset, Prioratui cedens, diem extremum clausit anno 1411, die 19 Decembris.

HENRICUS VAGHIERS

MONACHUS MONTIS DEI

Vulgo dictus de Brugis ex natali solo, monachus professus et sacerdos hujus Domus, vir præcipuæ compunctionis; qui ultra 40 annos vixit in Ordine, et pluribus annis officia Procuratoris et Coadjutoris exercuerat cum honore, non tamen sine aliquorum scandalo.

Cum enim aliquando ordinate et ex licentia proprii Prioris ivisset in Belgium pro expediendis sibi demandatis quibusdam negotiis, dum Coadjutor esset, accessit ad Dominam Margaritam Eboracensem, Burgundiæ ducissam, totius Ordinis insignem benefactricem; quæ D. Henricum benigne excipiens, ipsi invito et renitenti dedit trecentos florenos argenteos et tres pannos optimos pro indumentis omnium monachorum Montis Dei. Cum vero ista ad aures quorumdam monachorum Capellæ pervenerunt, hi zelo minus discreto incensi, apud generale Capitulum Henricum accusaverunt tanquam gyrovagum et qui pecunias contra Ordinis decorem mendicato quæreret.

Quamobrem per Chartam anni 1475 Capitulum generale prohibet sub pœna absolutionis eidem Henrico, ne deinceps ad partes inferiores iret mendicatum, sicut fecerat, vita minus religiosa servata. Ex quo Henricus vehementi affectus dolore, absolutione impetrata, petivit ut sibi liceret accedere ad Domum S. Audomari; sed per Chartam anni 1476 missus ad Cartusiam Valencennarum, anno 1477 subsequente, ad Montem Dei reversus est. Interea tectum odium adversus monachos Capellæ fovens, multa eis intulit damna; et inter cætera, furtum aliquod, non tam furandi quam furendi animo, et alia deinde mala commisit.

Verumtamen, qui eum ad horam reliquerat Deus, non permisit eum diutius in insaniæ fæcibus computrescere: injunctam ob talia pœnitentiam carceris libenter et æquanimiter implevit, ab anno 1478, quo Capitulum generale mandaverat ut de Henrico monacho fure justitia fieret, usque ad annum 1479, quo de ejus eductione commissum est Visitatoribus. In eo enim carcere tantam exhibuerat compunctionem, ut dicti Visitatores, attenta ejus humili

satisfactione et ejus laudabili priori vita, eodem anno 1479 eum e carcere liberaverint.

Hoc autem totum pro majori parte ab ipso Henrico scriptum est, qui historiam suam prodidit, ac suum propalavit peccatum ex animo vere compuncto et ad sinceram sauciato pœnitentiam. Et vere vir erat religiosus, pius, doctus; qui, quamvis ante scelus commissum bonæ et laudabilis famæ esset inter suos, alter tamen a se ipso post casum hujusmodi factus est, ita ut unus ex illustrioribus monachis Montis Dei extiterit ex vitæ doctrinæque exemplis. Obiit autem anno 1497, die 19 Decembris : vir venerabilis et devotus, magnum in se et de se non fictæ pœnitentiæ exemplar usque ad singultus mortis ostentans.

Reliquo vitæ tempore ab illo casu, orationi, contemplationi vacans, tum scribendis necnon et describendis libris se occupans utiliter, in quo labore ita profecit, ut merito possit annumerari inter Scriptores egregios. Inter cætera vero quæ marte proprio edidit, reperiuntur sequentia: Psychagoge et Medulla omnium spiritualium Doctorum ; Meditationes valde devotæ, quæ per singulos anni dies digeruntur, quæ valde conducunt ad concipiendas pietatis scintillas. Opera autem illa digessit eo modo, quo postea Ludovicus Blosius et R. P. Joannes Michel Cartusiæ Prior fecerunt. Scripsit etiam Volumen Epistolarum omnigenarum pro omnibus negotiis, quæ in Ordine Cartusiensi accidere solent. Scripsit etiam alia quamplurima ; in quibus reperitur fuisse Religiosus magnæ compunctionis.

Ex antiquis Monumentis Montis Dei.

LAURENTIUS VILLIERS

PRIOR LIGETI

Alumnus Cartusiæ Parisiensis; morum probitate, conversatione religiosa, et prudentia multum spectabilis. Cum Ligeti Domum et Franciæ Provinciam, cujus erat Visitator, administrasset, ex hac calamitosa vita educitur ad immortalem, anno 1537, die 19 Decembris, de Ordine optime meritus.

CLEMENS FRAXONUS

VICARIUS BONONIÆ

De Monlono oppido Mutinense; professus et olim Procurator, Vicarius et Novitiorum Præfectus hujus monasterii. Adhuc in sæculo litteris humanioribus operam navans, pœnitentiæ ac mortificationis exercitiis animum et corpus suum exercere cœpit. Verum ut se immaculatum servaret ab hoc sæculo, suum Cartusianis dedit nomen ; inter quos adscriptus, unice satagebat austeriorem vitæ normam amplecti, mentem a sæculi memoria penitus abstrahere, acre bellum suæ carni indicere, Deo per contemplationem et charitatem ad-

hærere. Ob tot egregias virtutes admotus primo muneri Procuratoris, deinde Vicarii,postremo Magistri Novitiorum, cum se se prudentem Œconomum, vivum observantiæ regularis exemplar, et religiosissimum commissi sibi gregis Pastorem exhibuisset, pie animam efflavit anno 1637, die 19 Decembris.

Ex Chronico Cartusiæ Bononiensis.

ANTONIUS GARROT

VICARIUS VALLIS DEI

Vir doctus, humilis, devotus, totus exemplaris ; inter calculi dolores, et alios morbos, quibus diu a Deo probatus fuit, patientissimus, sancte decessit, anno 1672, die 19 Decembris.

XX DIE DECEMBRIS

HENRICUS KALKAR

PRIOR COLONIENSIS

Dictus Egher [al. Æger], natus, anno 1328, Kalkariæ in ducatu Clivensi. Adolescens Coloniæ literis cum instructus fuisset, Lutetiæ Parisiorum postea Theologiam egregie didicit. Cohonestatus Magisterii laurea, revertens in patriam, opimis ecclesiarum Collegiatarum S. Georgii Coloniæ et S. Swiberti in Cæsaris Insula Præbendis ditatur. His aliquandiu perfruitus, fallaces sæculi honores ac divitias spernens, matura jam ætate (agebat siquidem trigesimum septimum annum) Cartusianis Coloniensibus nomen suum dedit, anno 1365.

Ita autem profecit in omni genere virtutum, ut, anno 1368, præfectus fuerit Arnhemii monachis. Quinquennio autem expleto laudabiliter in hoc munere, cum, circa annum 1373, nova cœpisset ædificari Cartusia Ruremundæ in Geldria, ipse ad regimen electus fuit, ut, primus hujus cœnobii Moderator, prima jaceret observantiæ regularis fundamenta. Vix autem illic quinquennium exegerat, cum, anno 1377, cogitur suscipere administrationem Cartusiæ Coloniensis. Anno 1384, per generale Capitulum translatus ad Argentinensis Cartusiæ moderamen, ibidem præfuit duodecim annis. Insuper per viginti annos Visitatoris munus exercuit; quin etiam ex speciali mandato visitavit aliquando Domos Picardiæ, Galliæ et Alemaniæ Inferioris, similiter Domum Pragensem in Bohemia et Brunensem in Moravia. Ternos habuit diversis temporibus sermones in Ordinis nostri generalibus Comitiis.

Denique, anno 1396, ab omnibus officiis liber, rediit Coloniam, ut ubi spiritu cœperat, ibi finiret, nec altera illum

terra tegeret mortuum, quam ea, in qua Christo Salvatori vitam suam sacris votis consecrarat; vitæque residuum piis operibus impendit.

Fuit toto vitæ suæ spatio cultor piissimus Beatissimæ Virginis Mariæ. Et quia miro modo eam diligebat, in die, aperta visione, inter cætera colloquia B. Virgo docuit illum, quomodo Psalterium sibi componere posset, dicens : « Primo recitandum unum *Pater noster,* deinde 10 *Ave Maria,* rursum unum *Pater noster,* deinde 10 *Ave Maria;* et sic consequenter usque ad 15 *Pater noster* et 150 *Ave Maria.* » Quam revelationem ipse communicavit uni Priorum Ordinis nostri in Anglia; et exinde per totam quasi Angliam sic divulgatum fuit hoc Psalterium, sive modus iste colendi Deiparam, ut pene nullus civis foret ibidem, qui non haberet Rosarium 15 decadum, nec cibum gustaret, nisi prius Sanctissimæ Dei Genitrici persoluto hoc devotionis suæ penso.

Altera quoque cœlesti visione cohonestatum asserit Dorlandus noster, lib. 5 Chronici Cartusiensis, cap. 10, his verbis :

« Legi ego apud veridicum Scriptorem, fuisse olim Coloniæ in nostra ibidem Domo monachum, Henricum nomine, virum magna præditum pietate et gratia copiosa. Hic erga Sacratissimam Virginem Dei Genitricem maximis æstuabat incendiis. Post hanc, et beatissimam Ursulam cum undena sua turma miro venerabatur affectu. Unde quadam nocte, cum sopori se dedisset, quædam ex istis Virginibus, immenso lumine coruscans, e cœlo illi apparuit, in hæc verba prorumpens : « Misit me divus Virginum Chorus, cui tu semper afficeris, ut te doceam, qua debeas laude singulis diebus, Dei salutare ac benedicere Genitricem. Dic :

O Virgo, Regina Virginum,
Summum Trinitatis sacrarium,
Angelorum speculum,
Scala Sanctorum omnium,
Tutum peccatorum refugium :
Cerne, o Pia, nostrum periculum,
In morte tuum placatum
Nobis ostende Filium,
Et tuum vultum gratiosum.

Hanc precem si assidue, inquit, dixeris, Divæ Mariæ ac omnium nostrum gratiam assequeris. »

« Ille statim post discessum Virginis evigilans, cum laudes ipsas totaliter non retinuisset, supplex cum lachrymis orat, ut rursum sua Doctrix appareat, laudes ipsas denuo canitura. Elabuntur dies aliquot; adest ipsa Virgo quæ prius, et obliviosum iterum iterumque informat. Laudis formulam ad integrum receptam, Cœli Reginæ quotidie decantat Monachus, non sine ingenti animæ suæ fructu. Enimvero expleto aliquanto tempore, illa ipsa, quæ hoc docuit præconium, numeroso Virginum comitata Choro, mirabilique concentu, Odam supra memoratam ad Fratris Henrici magnifice exultantis aures concrepuerunt. » Hactenus Dorlandus.

Quanta vero rerum cœlestium scientia præcelluerit, probant scripta quæ Petræus noster in sua Bibliotheca recenset.

Tandem venerabilis Henricus, uno ante obitum anno, nocte Circumcisionis tactus paralysi in coxa sinistra, sentiens se a Domino vocari, rite ad Agni Cœlestis nuptias præparatus, sanctissimo fine quievit, anno 1408, in pervigilio S. Thomæ Apostoli, ætatis anno 80, conversionis 43.

Chronicon Cartusiæ Coloniensis, Sutor, Bostius, Trithemius et alii.

WILHELMUS GRUTER

VICARIUS COLONIENSIS

Aquisgranensis; Collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ Trajecti ad Mosam, diœcesis Leodiensis, Canonicus, presbyter scholasticus. Et ipse considerans præsentis vitæ transeuntis occasum, pia accensus devotione ad Deum, sæculum dereliquit ac Nostris se sociavit Coloniæ; multisque annis ibidem laudabiliter vixit, ac bonis operibus plenus decessit Vicarius, anno 1428, 20 Decembris.

Ex Chronico Cartusiæ Coloniensis.

CHRISTOPHORUS RYNECK

PRIOR TREVIRENSIS

Cujus Elogium extat in Catalogo Priorum Trevirensium his verbis : « Christophorus Ryneck ex prosapia nobilissimorum DD. Comitum de Ryneck, professus hujus Domus, vir admodum devotus et sanctus; quasi miraculose adjutus a Deo, Cartusiam hanc per Lutheranos igne pene absumptam refecit: magnus benefactor hujus monasterii. Fuit Provinciæ Rheni Visitator, totus exemplaris, suavis et amabilis per omnia Deo et hominibus. Pie obiit anno 1556, die 20 Decembris, relicta sanctitatis opinione. Rexit per triginta duos annos. »

BARNABAS DE TORRES

PRIOR XERITII

Cartusiæ de Covis alumnus; factus primum Vicarius, deinde Procurator de Caçalla; tandem, anno 1574, institutus Prior Xeritii, paulo post decessit, die 20 Decembris, anno videlicet præfato, ætatis 64, Religionis vero 39. Vir fuit insigni patientia præditus, quam Deus variis tribulationibus probavit; singulari præcellens humilitate, studiosissimus paupertatis, summa in omnes affectus charitate, mœrentium consolator; assiduus in oratione, cui ita fortiter intendebat, ut extases pateretur et sæpius a terra elevatus orans appareret.

Ex Manuscriptis.

RODERICUS PIMENTEL

MONACHUS DE PAULARI

Nepos Comitis nobilissimi de Benavente; spretis sæculi oblectamentis, Cartusianis de Paulari nomen dedit, anno 1579, die 14 Septembris. Eo spiritus fervore tyrocinium adorsus est, suam macerando carnem, ut insisteret priscorum Patrum vestigiis. Tantum ardorem coercuere Superiores; verum Rodericus ita importune agebat apud eos, ut eidem frænum laxare fuerint coacti. Feriis secunda, quarta et sexta, solo pane et aqua contentus erat; feria tertia et Sabbato, victitabat jure et fructibus; die autem Dominica et feria quinta, de jejuniis aliquid remittens, se se Conventui accommodabat. Per totum autem anni spatium, semel tantum comedebat quotidie : ad cœnam nihil nisi paululum aquæ sibi indulgens. Panis illius secundarius erat vel nauticus; lectulus tabula cum vili admodum torali.

In his pœnitentiæ exercitiis perseveravit, donec admotus Procuratoris officio, iis adhibuit modum ob adversam valetudinem. Nihil tamen unquam detraxit de regulari observantia, cujus ita fuit tenax, ut in extremo etiam morbo nec dimiserit cilicium. Vir natalium splendore clarus, quo major in sæculo fuerat, eo minor in monasterio fieri desiderans et abjectior, inter Donatos postulaverat annumerari, ac juxta Evangelii præceptum in novissimo loco recumbere ; verum Superiores, ipsius votis haud annuentes, causati vitæ perfectioris statum, coegerunt monachi habitum suscipere. Paupertatem prorsus diligebat ut matrem, quam ne levissimæ cujusve rei dispensatione violabat : nihil in vestitu, nihil in supellectili habens nisi vile ac obsoletum. Silentium arctissime colebat : e cella non egrediens nisi ad pergendum ad ecclesiam, ubi erat tam assiduus, ut nonnunquam, fractus morborum vi, a Superiore remitteretur.

Cum jam Rodericus ad vitæ vergeret occasum, Comes de Benavente ejus frater, a Rege Catholico Neapolis Prorex nominatus, religiosissimum Patrem, cum bona summi Cartusiensium Præfecti venia, secum deduxit, quo facilius ejus uteretur consilio. Nec inutilis fuit ista Roderici absentia; qui postquam aliquandiu exemplariter admodum in Cartusia Neapolitana moratus fuisset, secum asportavit pretiosissima ornamenta et multas Reliquias, quibus ditavit suæ professionis Domum : quæ quidem duobus millibus quingentis ducatis empta fuere.

In pietatis autem suæ et charitatis luculentum testimonium, cum licentia Summi Pontificis pecuniæ summam, quam a parentibus suis collegerat, legavit Cartusiæ de Paulari, qua singulis annis captivi redimerentur, et orphanæ puellæ collocarentur in matrimonio.

Contractis ex vitæ nimio rigore variis infirmitatibus, post Italiæ reditum,

Granatam missus est Rodericus noster propter istius habitationis salubritatem. Ubi tamen, cum adversa illius valetudo prævaleret, postquam per duos annos languens morbum patienter, humiliter tranquilleque tulisset, ad extremum malis victus, sumptis Sacramentis, sanctissime spiritum Deo reddidit, anno 1613, die 20 Decembris.

PETRUS ANTONIUS PECQUIUS

PRIOR LYRÆ

Filius fuit magni illius Cancellarii Brabantiæ et ad diversos Magnates Legati, quem Henricus IV Galliæ rex, apud quem ejusdem legationis pro Principe Alberto fungebatur munere, tanquam oraculum propter facundiam et animi prudentiam suspiciebat. Avunculum habuit Reverendissimum DD. Jacobum Boonem, archiepiscopum Mechliniensem, magnum eleemosynarium et sanctæ vitæ virum. Ipse vero Pecquius, in juvenili adhuc ætate, pinguem in majori S. Michaelis in urbe Bruxellensi ecclesia obtinuerat Præbendam ; adeo ut etiam cum tempore ad infulas aspirare potuisset. Sed octodecim natus annos, contemptis omnibus, intra cellæ latebras Cartusiæ Capellæ se se per publicam professionem abscondit, sæculo in perpetuum valedicens.

Ibi talia spiritualis et regularis observantiæ dedit initia,ut paulatim ad varia meruerit promoveri Ordinis munia. Vix enim sacerdotali initiatus dignitate, ad Coadjutoris fuit cooptatus officium ; quo brevi tempore perfunctus, ad Cartusiam Bruxellensem translatus fuit acturus Vicarium. Et post paucos annos in eadem Cartusia obivit Coadjutoris munus ; in quo dum strenue per aliquot annos elaborasset, tandem super annum a Reverendo Patre Prior Diestensis institutus est. Postea admotus regimini Domorum Capellæ, Valencenarum, Antverpiensis et Lyræ, factusque primum Picardiæ Convisitator, deinde Visitator Teutoniæ ; collectis bonorum operum manipulis, placidissime spiritum Deo reddidit, anno 1679.

Ad cujus sepulchri caput Conventuales, in amoris testimonium erga optimum Patrem, altam e durissimo lapide erexerunt crucem, cum hac inscriptione :

D. O. M.

Venerandus Pater Petrus Antonius Pecquius, professus Capellæ, hujus ac diversarum Domorum Prior, Visitator Provinciæ, alias Convisitator Picardiæ... etc., obiit virtutibus plenus, XIV Kalendas Januarii, anno 1679.

Sortitus erat animam bonam, placidam indolem ; pietate, integritate morum, conversatione exemplari, modestia plane Angelica, summa in pauperes charitate præstans, ingens apud omnes reliquit sui desiderium.

XXI DIE DECEMBRIS

BOSO

PRIOR CARTUSIÆ

Professus Cartusiæ; ex Prioratu Vallis S. Hugonis ad totius Ordinis moderamen assumptus, anno 1278, clavum tenuit usque ad initium circiter anni 1313, quo fuit absolutus propter senium et infirmitates. Naturæ debitum persolvit eodem anno 1313, die 21 Decembris, prout notatur in Charta Capituli generalis; et in antiquo Kalendario Luviniaci legitur ad 12 Kalendas Januarii : « Obiit Boso quondam Prior Cartusiæ. »

Chronicon Majoris Cartusiæ, cap. 16, Bosonis meminit his verbis :

« Anno Domini 1278 eidem Domno Guillelmo in Prioratu Cartusiæ successit sanctæ memoriæ beatus Boso, monachus dictæ Domus. Hic fuit vir magnæ sanctitatis et vitæ, magnique meriti apud Deum et homines noscitur extitisse. Ipsius enim meritis et precibus, Deus hominem a mortuis (dum adhuc viveret) suscitavit. Cum enim quædam in Cartusia fabrica [id est sacellum cœmeterii] erigeretur, quidam de mancipiis de superficie altissimæ fabricæ corruens, collisus ad terram totusque confractus, expiravit. Cumque coram beato Bosone dictus mortuus fuerat delatus, fusa pro ipso ad Deum prece, immediate sanus ac incolumis surrexit, sicque ad opus suum ire perrexit.

Emit etiam grangiam de Foresta, quam Domus Cartusiæ tenet et possidet de præsenti. Cum enim Abbatia Calesii (quæ tunc erat de Ordine S. Benedicti) fere omnia bona sua ex malo regimine domino Aymaro de Bellovisu impignorasset, sive aliter alienasset (ita quod de cætero spes recuperandi non erat), vir Dei beatus Boso, zelo domus Dei accensus, dicta bona de manu ipsius redemit, supplicantibus et rogantibus Abbate et Fratribus monachis dictæ Abbatiæ. Postea, de consensu Papæ, dicta Abbatia fuit Ordini concessa.

Fuit ergo dictus Boso valde fervidus et zelans in juribus Domus suæ defendendis. Nam quadam vice (ut cætera prætermittam) cum mineria ferrea, quæ in monte de Bovinant sita, infra terminos Cartusiæ, extraheretur per quosdam sæculares numero copiosos, vir Dei senectutis oblitus, baculo imbecillia membra sustentans, Conventum Domus suæ secum adducens, dictum mon-

tem fere inaccessibilem hominibus (licet non pastoribus) cum magna difficultate conscendit. Cumque dulcibus verbis eos a cœpto opere cohibere non posset, durius alloquens, in comminatoria verba processit. Dicit enim eis, quod nisi a cœpto opere cessarent, illuc cum quinquaginta armatis venire non differret. Tunc virum Dei taliter allocutum admirantes, ipsumque scientes a Comite Sabaudiæ et Delphino Viennensi multum diligi et revereri, a cœpto opere desistentes, ulterius talia facere non præsumpserunt.

Hujus tempore Templariorum Ordo a Summo Pontifice fuit destructus, eo quod sub pelle vulpina pejores Sarracenis in fide Christiana erant affecti.

Vixit autem hic beatus Boso in Prioratu suo annis triginta quinque (et plus minus anno); mortuusque in senectute sancta, sepultus est in dicta Domo. Super cujus tumba nascitur herba, quæ multis præstitit et quotidie præstat sanitatis medelam, potissime contra febres. Nam a diversis partibus mundi sæpe adveniunt diversæ personæ, quæ de dicta herba, et etiam aliis herbis (super corpora aliorum Sanctorum existentibus) accipientes, multis curationis medela extiterunt; nam rustici illarum partium, fere in infirmitatibus suis alia medicina non utuntur. »

Binas ad Clementem V Pontificem Maximum Boso scripsit epistolas: quarum priori eum rogat ne quid exosæ novitatis introduci sinat; altera vero se excusat quod Concilio Viennensi interesse non valens, Procuratorem suum eo ablegaverit.

De Bosone egerunt Dorlandus, Sutor, Bzovius tomo 14 Annalium, Martyrologia Usuardi et Canisii ad diem 4 Martii.

DOMINICUS

MONACHUS TREVIRENSIS

Pruthenus natione; ad Ordinem suscipitur in Cartusia Trevirensi circa annum 1410. Vir miræ sanctitatis, strictissimæ pœnitentialis vitæ; per multos annos terribiliter vexatus a diabolo, tentatus, flagellatus, tortus; tandem superatis his omnibus tam atrocibus bellis, in sancta contemplationis quiete quasi continuo perdurans; functus in Domo suæ professionis officio Vicarii, postmodum per aliquot annos in nova plantatione Rutilana; ita clarus (pene dicam miraculis) vita et religione, ut Reverendissimus Otto archiepiscopus Trevirensis pro maximo munere habuerit, si ejus alloquio frui posset : in tantum ipse se Reverendissimus Archiepiscopus humilians, ut Dominicum reficientem suos soccos sive pedulia non dedignatus sit adjuvare.

Non solum pietate fuit celebris Dominicus noster, sed et plurima haudquaquam contemnendæ eruditionis opera conscripsit. Inter quæ præcipue *Liber*

Experientiæ eminet; in quo, suppresso suo nomine, varias recenset revelationes divinitus sibi factas : quem Librum descripsimus in nostro Volumine Provinciæ Rheni. Decessit autem post diuturnam ægritudinem, anno suæ ætatis 78, die 21 Decembris, anno 1460 ; non autem 1461, ut refert Petræus noster.

Cum autem res prolixior esset hic subjicere Librum Experientiarum, Dominici sufficiet apponere breve Elogium quod recitatur a Dorlando nostro, cap. 2, 3 et 4, lib. 7.

« Hunc comitatur, celebri memoria dignus, Pater Dominicus; qui in Domo Ordinis nostri,quam Treviris habemus, magnis fertur claruisse virtutibus. De hoc illustri viro, quæ scripta reperi,fideli narratione producam. Erat etenim devotione præcipuus,cujus omnis mentis ardor Deus erat, qui ejus in pectore et ore assiduus versabatur. Hunc namque habens vitæ suæ ducem, semper vel orabat, vel psallebat, vel meditabatur, vel contemplatione suspensus, mentis sabbatum celebrabat.

« Uno dierum cum solus in cella sederet ad mensam, quæ paupere erat cibo refecta, cœpit attente cogitare, quo pacto Jesus Infans voluit ubera Virginea sugere, panniculis involvi, fasciis stringi; quod flens et lachrymans Christus, nuce potuit vel pomo quietari,vel provocatus flosculis vel munusculis in gratiam reduci. Hæc vir sanctus pensitans, ad sua peccata oculis reflexis,orat obnixe parvulum Salvatorem, ut offensus sæpe ab eo, secum velit in gratiam redire, dicens : « Tu omnium dulcissime parvulorum, cum in virgineo Matris sinu recubares, passus te es pomis et nucibus mitigari. Quæso te, ut pro peccatis meis omnibus, quibus te, o Deus! offendi, tanquam duo viduæ minuta, et tanquam quædam mitia poma, pœnitentiæ meæ exiguum laborem libens lætusque suscipias, et tuæ me gratiæ reconcilies. » Hæc dicens, lachrymæ illi ab oculis decurrebant.

« Et ecce humilium Consolator a supernis adveniens, subjecto sibi cussino, super mensam ejus parvulus Jesus insedit, speciosus nimis et admirabilis. Tunc oculis lætissimis faciem Dominici mentemque respiciens, ingenti eum lumine et exultatione implevit; et loquens dulciter ad cor ejus, Scripturarum profunda, et quædam secretorum illi arcana, patefecit. Dehinc cum suavitatis fragrantia superna repetiit. Complevit Christus quod in Evangelio promisit: *Ubi sunt duo vel tres in nomine meo congregati, ibi sum ego in medio eorum.* Cum Patre Dominico erant oratio et meditatio congregatæ, atque ideo dignum duxit Dominus Jesus in medio earum esse.

« Hic Pater scripto post se reliquit, scisse se Fratrem, qui in Mariæ Virginis rosacea corona se se solitus sic exercere, addens cuilibet Salutationi unum articulum Dominici operis vel Passionis, prout nunc in multis libellis invenitur. Cumque hic Frater assiduus in hac

devotione ferveret, vidit uno dierum cœlos desuper aperiri, atque illuc attractus, conspexit Dei Genitricem Virginem, et universum Angelorum Beatorumque exercitum, dulcisona cum modulatione in conspectu Sanctissimæ Trinitatis hoc rosaceum Carmen concinere, et articulos, quorum supra memini, cum solemni *Alleluia* copulare. Porro ubi inter salutandum, sacrum MARIÆ nomen resonabant, omnes cervicem supplices submittebant. At cum dulcissimum nomen JESU felici intonabant ore, flexis reverenter poplitibus, Incarnationis mysterium adorabant. Deinde audivit omnes Dei Sanctos orare Altissimum, pro omnibus in terra Fidelibus, qui hæc pia serta Christo et piæ Matri concinerent ; dictumque est illi, « accipere peccatorum omnium remissionem omni tempore eos, qui iis se laudibus occuparent. » Vidit præterea felicibus oculis innumeras coronas auro et gemmis rutilantes, quæ parabantur iis, qui serta rosacea celebrarent.

« Has visiones non semel tantummodo, sed sæpius hic Frater intuitus est, quibus et suam et aliorum salutem posset cum gaudio cordis et fructu mentis acquirere. Pater Dominicus de hoc Fratre quod narrat, sibi certissimum est contigisse ; sed ideo humilitatis gratia se prodere noluit, ut humilitatis meritum integrum penes se custodiret.

« Iste idem honorabilis Pater, cum esset Sacratissimæ Virgini Mariæ admodum devotus, Carmen Hymnumque composuit, quod plurimi canere consueverunt, ita inchoans : *Te Cœli Reginam laudamus*. Hoc Carmen dulcissimum cum sæpe Virgini Genitrici psalleret, uno dierum raptus ad superna, audivit Angelos Dei hoc Carmen concinere, rursumque illud in organis cœlestibus et cymbalis bene sonantibus alternatim concrepare : omnibus, qui in Cœlo erant, mira alacritate gaudentibus. Quod dum Fratribus ibidem degentibus innotuit, cœperunt id ipsum Canticum frequentare, et ad laudem Altissimæ Trinitatis et Virginis Matris etiam aliis concinendum offerre, anno Salutis nimirum 1488. (*Hic error in numero irrepsit.*)

« Hinc completur sermo divi Bernardi Abbatis, dicentis cœlum et cellam, sicuti in nomine, ita et re ipsa plurimum convenire : quia quæ geruntur in cœlis, eadem sæpe geruntur et in cellis. Audivit autem hic Pater prædictam harmoniam cœlestem iis notulis insonari ab Angelis, sicuti Cartusienses *Te Deum laudamus* concinunt in templis.

« Non omittendum de hoc Patre Dominico, quod plaga illum Deus percusserit incurabili, vulnereque admodum crudeli, et multiplici dolorum flagello. Erat enim in corpore assidue miser, quem tam beatum Deus mente statuerat, ut secundum multitudinem dolorum suorum, consolationes Dei lætificaverant animam ejus. In iis corporum

passionibus decem et septem annis perseverans, compulsus est chorum deserere, et sibimet suisque meditationibus immorari. Erat quidem sibi istud instar crucis gravissimum, sed Sapientis sententia solabatur, qua dicitur : « Si non potes id quod vis, saltem velis id quod possis. » Erat tamen in iis ejus pressuris cernere hominis invictum animum, constantem spiritum, robur mentis immensum : et quo magis forinsecus premebatur, eo magis de mentis arcano Christi præconia resonabat.

« De hoc Patre Dominico, quæ sequuntur, certa narratione cognovi. Uno dierum cum corporis molestia premeretur, et, Priore absente, pisces non adessent, qui infirmo darentur, piissima Regina misericordiæ Maria, sui famuli benigne memor, pisces illi a superis transmisit, Angelico adjuvante suffragio : pisces certe et decore spectabiles et sapore præstantes, quos ut gustavit, cito convaluit.

« Tempore etiam quodam, cum usque adeo alterum crus haberet valido igne inflammatum et putri carne corruptum, ut necesse esset (ne ad vivum serpant contagia) amputari, veniens chirurgus cum ferramentis, ut crus tabidum resecaret, sanum illud, pulchrum ac nitidum reperit, non sine ingenti omnium admiratione. Oraverat nempe Dominicus Virginem Genitricem, quæ mox vocata summum illi periculum vertit in gaudium.

« Alio quoque tempore, cum oculum vehementer læsum haberet, et ipsam Christi Matrem pro antidoto precaretur, illa nihil morata, oculum illi sanum nitidumque restituit. Vice quadam cum per ignorantiam venenum hausisset et vitæ periculum immineret, oravit suam promptissimam Miseratricem, et dicto citius est liberatus. »

De Dominico egerunt Trithemius, Possevinus, Bostius, Sutor, Petræus, et multi alii Scriptores.

ADOLPHUS BRUWERS

PRIOR BASILEÆ

Patria Coloniensis, patre Adolpho viro Consulari genitus, anno 1412. Agens ætatis annum octavum decimum, cum multa sibi prosperitas arridere cœpisset, bono Spiritu afflatus, anno 1430 habitum Religionis in hac Cartusia suscepit. Post emissa vota professionis, ob morum maturitatem institutus Vicarius Coloniensis, fama virtutis illius ubique diffusa, quamvis natus esset tantum annos viginti septem, postulatur in Cartusiæ Basileensis Priorem. Transactis in hoc officio fere decem annis, tam ad supplicem, quam rationabilem suam petitionem, prætextu suæ lethalis infirmitatis qua diu et graviter laboravit, absolutus anno 1449 per generale Capitulum, rediit ad suæ professionis Domum ; ubi vitæ residuum in silentio et solitudine traducens, de-

mum fatis concessit, anno 1485, die 21 Decembris.

Multum commendatur in Chronico Cartusiæ Basileensis, cap. 29, ob eximiam morum qua floruit sanctimoniam. Fuit benefactor hujus Cartusiæ Basileensis, in cujus moderamine multa adversa sustinuit patientissime. De eo etiam agitur perhonorifice in Chronico Cartusiæ Coloniensis.

MARCUS FABRI DE CROVIA

MONACHUS TREVIRENSIS

Germanus patria, eruditus apprime liberalibus studiis. A teneris annis singularem gessit affectum erga cultum Beatissimæ Virginis Mariæ; quem ut facilius in aliqua Religione posset exequi, Mediolacense Benedictinorum asceterium, ad fluvium Saram in tractu Trevirensi situm, jam moribus maturus expetiit. In eodem monasterio suum affectum insinuavit, atque apud venerabilem Abbatem pro susceptione institit, religiososque ibidem Patres fatigavit precibus, donec voti compos efficeretur. Incredibili devotione novam illam vitæ semitam auspicatus, ita in via virtutum morumque probitate profecit, ut intra septennium suæ conversionis, Novitiorum magisterio fuerit admotus.

Paulo post, adactus Dei Spiritu, strictiorem vitam in Cartusiensium Religione apud Treviros cœpit voce et animo appetere, ad eum Ordinem aspirare et inhiare, idque tamdiu, donec Cartusiani propositi particeps fieret. Receptus est circa solemnitatem Apostolorum Petri et Pauli, anno 1477. Adeptus legitur concupitum solitudinis locum, cellam nimirum designatam sub littera M, a piissimo viro Joanne de Geismaria Priore. Qua commoditate accepta, præter alia devotionis exercitia, mox se tradidit librorum describendorum operationi : in quo labore laudatissimo per plures annos indefessam ac fidelem navavit operam. Multa volumina in hoc monasterio asservantur, ex quibus innotescit, quantum scriptioni, lectioni, exhortationi et doctrinæ fuerit addictus.

Exactissimus fuit temporis observator. Hinc quandoque cuidam Patri in epistola scripsit, se vix tantum habere temporis, ut debito tempore comederet. Quadraginta quinque vel sex annos in eadem cella M transegit religiosissime, se se præbens semper bonorum operum exemplar : vir certe insigni modestia præditus, sine fraude, sine dolo, sine ambitione, sine instabilitate: omnia ut stercora reputans ut Christum lucrifaceret. Septuagenarius ex hac vita ad immortalem migrat, anno 1520, die 21 Decembris.

Ex Manuscripto Cartusiæ Trevirensis.

FRANCISCUS TALEMAN

PRIOR LOVANII

Batavus; doctrina, eruditione, pietate, virtute et regendi peritia celebris; professus Lovanii, cujus Prioratum exercuit per septem annos magna cum laude. Fractus morbis, fato fungitur anno 1539, die 21 Decembris. Egerat antea Vicarium in Domo monialium Brugis.

Ex Manuscriptis.

ABEL GAULTIER

MONACHUS FONTIS B. MARIÆ

Vir devotissimus, pacificus, tranquillus, æquam in omnibus servans mentem, cibi parcus et paupertatis amator. Ad vitam meliorem migrat anno 1591, die 21 Decembris.

XXII DIE DECEMBRIS

ALVARUS

CONVERSUS DE COVIS

Qui postquam obedientia, humilitate et exemplari admodum conversatione præcelluisset, ad beatam migravit immortalitatem, anno 1447, die 22 Decembris, relicta opinione sanctitatis.

Ex Mss. hujus Domus.

JUDOCUS WIDENMAN

PRIOR BUXIÆ

Professus hujus monasterii, ubi Vicarii, Procuratoris, Sacristæ et bis Prioris officia ingenti cum omnium plausu exercuit; vir etenim erat summe religiosus, magnæ pietatis et doctrinæ, Artiumque Baccalaureus in celebri Academia Erfordiensi. Cumque filios suos verbo et opere ad scientiam salutis erudiisset, Domum ampliasset, meritis dives, obdormivit in Domino, die 22 Decembris, anno 1494.

Ex Chronico Buxiæ.

Electus fuerat Prior anno 1486. Cumque per triennium magna cum utilitate moderatus fuisset, Præfecturam abdicavit, anno 1489. Ad interruptum regimen reducitur anno 1492, electus die 29 Junii. Moritur anno 1494.

MATTHÆUS

MONACHUS BONONIÆ

E vivis excessit anno 1604, die 22 Decembris. Qui, ad assiduam chori frequentiam, illustrem animæ suæ mercedem adjunxit propter viginti duo volumina concinne scripta ecclesiæ in-

servientia. Vixit omnibus gratiosus, jucundus; vetustatis decorem suæ humilitatis atque charitatis corona cumulavit.

Ex Chronico Cartusiæ Bononiensis.

BRUNO GAMIS

CONVERSUS MONTIS HILARIS

E Tarraconensi tractu. Ad Donati statum admissus, cum per 7 annos se irreprehensibilem exhibuisset, suavissimum de se spargens odorem, postea inter Conversos adscribitur. Hujus memoria in benedictione est ob profundam illius humilitatem, cæcam obedientiam, ferventissimam charitatem, patientiam, mortificationem, pietatem, silentii studium cæterasque virtutes. Cumque per viginti annos in habitu Conversi vixisset, diem extremum clausit, anno 1636, die 22 Decembris. In defuncti cadavere nullum mors reliquit horroris vestigium ; imo, dormienti similis Bruno, vultus decore intuentes ad devotionem provocabat.

Ex Manuscripto Montis hilaris.

XXIII DIE DECEMBRIS

JACOBUS DE LEON

MONACHUS SCALÆ DEI

Legionensis Castellanus; Regii sacelli Cantor, misericordias Domini in æternum cantaturus, Institutum Cartusiense amplectitur anno 1481, in Vigilia S. Andreæ. Vocatus ad virtutis tyrocinium, a primo susceptæ Religionis exordio ad extremum usque spiritum tam perfecta Statutorum observantia, tantoque monasticæ perfectionis studio præcelluit, ut apud omnes sibi comparaverit haud vulgarem sanctimoniæ famam. Assumptus ad officium Procuratoris et Vicarii, eximia charitate et morum mansuetudine sibi omnium animos conciliabat; opereque simul et sermone potens, provocabat singulos ad sanctioris vitæ normam. Incredibilem pene patientiam inter morbos acutissimos demonstravit semper, seque facilem sibi famulantibus exhibuit et gratulabundum. Tandem cum diu propter verba labiorum Dei duras monasticæ disciplinæ vias tenaciter custodiisset, in senectute bona spiritum Deo Creatori suo reddidit, anno millesimo quingentesimo trigesimo tertio, die 23 Decembris.

Ex Libro fundationum Cartusiarum Hispaniæ Joseph de Valles, et ex Annalibus Scalæ Dei.

JOANNES ZULRE

PRIOR DIEST

Religione et observantiæ regularis zelo multum commendabilis; Teutoniæ Convisitator. Pie moritur anno 1543, 23 Decembris.

Ex Manuscriptis.

GREGORIUS DE GONNI

MONACHUS DE MIRAFLORES

Theologus insignis et in alma Parisiensi Academia Doctor inauguratus, optime Sacram calluit Scripturam. Cum vero esset insigni eruditione clarus, ea tamen præcelluit humilitate, ut non solum ad quælibet Ordinis munia inidoneum se reputaret, verum etiam se crederet ad Confessiones aliorum excipiendas prorsus insufficientem. Verum cum Superiores, aliter de Gregorio sentientes, ipsum Confessarium instituissent, opportune importune precibus instantissimis agens, tali munere bis exoneratus est. Aliquando cellæ gradus conscendens, humani generis inimicum serpentis formam mentitum conspexit; at cellam aqua benedicta statim lustrans, fugavit dæmonem. Ad cœlestem patriam evolavit feliciter, anno 1545, die 23 Decembris: tanta apud omnes relicta sanctitatis opinione, ut post ejus mortem multi suffragia precum ejus implorarent, velut ac si facti fuissent certiores ipsum jam Beatorum gloriam fuisse adeptum.

Ex Manuscripto Cartusiæ de Miraflores.

GOBELINUS LARIDIUS

PRIOR MOGUNTIÆ

Anno 1496, habitum Religionis in Cartusia Coloniensi suscipiens, ex hujus monasterii Procuratoris officio, per Chartam Capituli generalis anni 1523 assumitur ad moderamen Domus Moguntiæ. Quam cum in utroque statu plurimum adauxisset sua diligenti administratione, anno 1547 transfertur ad regimen Cartusiæ Friburgensis, ut eidem Domui tam in temporalibus quam in spiritualibus succurreret: quod egregie præstitit, donec laboribus et senio fractus, instanter petiit in Ordinem redigi. Anno igitur 1552 exauctoratus, rediens Coloniam, ibidem felici morte quievit, die 23 Decembris, anno 1556. Fuit Visitator Provinciæ Rheni; omnique genere virtutum excultus, vixit in Ordine nostro sexaginta annos.

Ex Catalogo Priorum Moguntiæ.

JOANNES MULNERUS

PRIOR HERBIPOLIS

Lusatius patria. Hujus monasterii professus, cujus Prior instituitur per Chartam Capituli generalis anni 1591

his verbis : « D. Joannem Mulnerum, a Visitatoribus Domui Herbipolensi (ob mortem D.Gerardi orbatæ Pastore) præfectum, instituimus in Priorem dictæ Domus; cui plurimum commendamus institutionem, secundum regularem observantiam, novellarum plantationum, quas idem pius Pater plantavit et rigavit. Deus autem incrementum dedit dabitque sua infinita gratia, ut cæteris Provinciis, si eidem Domino studeant diligentissime et ipsæ correspondere. »

Hic probitatis et humilitatis prototypon existens, eximia quoque prudentia, sagacitate stupenda rerumque usu incomparabili præcelluit. In utroque statu ambidexter, ita præfuit temporalibus, ut velut e pulvere excitaverit hoc monasterium, et ideo alter Fundator jure merito possit appellari. Spiritualia vero ita moderatus est, ut inde amplissimi fructus exorti fuerint. Postquam vero ipsi fuit demandatum Visitatoris munus, illud tanta vigilantia administravit et solertia, ut quidquid decorum et honestum tunc substitit per omnes Provinciæ Domos, Joannis pastorali sollicitudini sit adscribendum.

Nec hic tanti Patris egregia virtus solum constitit; nam Dominatoribus hujus orbis charus, datus fuit Commissarius Alemaniæ Superiori : quorum favore ac benevolentia, sua vero prudentia, industria et laboribus indefessis, eam (quod frequenter ab aliis tentatum, sed frustra) visitavit, reformavit, et, colonis in eam ex hac Alemaniæ Inferioris Provincia deductis, ab interitu vindicavit.

Qui tandem cum maximo suorum luctu ab hac luce subtractus est, anno 1606, die 23 Decembris, non autem 24 : ut habet Charta anni sequentis. Ejus tumulo hanc filii mœsti relicti in memoriam tanti Patris epigraphen inscripserunt :

« V. P. D. Joannes Mulner, Lusatius, Prior hujus Domus et Grunaw, Provinciæ Alemaniæ Inferioris Visitator et hujus eremi quasi alter Fundator; anno Domini 1606, Decembris 23, ætatis 50, regiminis 17, professionis 25, natus, renatus, professus, mortuus, Christi Dei nati dum instaret festa lux. In diebus suis suffulsit domum, et in vita sua corroboravit templum. Memoria ejus in compositionem odoris facta opus pigmentarii ; dilectus Deo, gratus hominibus. Et quis in omnibus similis illi? Nati sciunt, posteritas obstupescet. »

Ex Manuscriptis.

XXIV DIE DECEMBRIS

BENEDICTUS GARCIAS

CONVERSUS DE PAULARI

Paupertatis, silentii, mortificationis studiosissimus; addictus labori, cui sedulo vacabat magno cum devotionis spiritu. Occupatus etiam circa infirmos, omnia charitatis officia eis impendebat. Vir certe integerrimi ad vigilandum, ad orandum, ad laborandum exempli. Decessit anno 1602, die 24 Decembris, exactis in Ordine quadraginta duobus annis.

JOANNES SALEZ

VICARIUS SCALÆ DEI

Ex oppido S. Stephani in comitatu de Ribagorça natus. Cum sacræ Theologiæ operam navasset, anno 1571, die Augusti nona, Cartusiensem Ordinem ingreditur. Ubi sacris Confessionibus audiendis et spirituali domesticorum profectui intentus, aliquando summa cum benignitate excepit Confessionem hominis cujusdam, qui cum aliis fratrem nostri Joannis interfecerat.

Mira erga afflictos atque angustia aliqua pressos in eo elucebat pietas; tantaque in illos commiseratione afficiebatur, ut eorum casus et mœrores velut proprios defleret, nihilque, quo eorum miserias sublevaret, relinqueret intentatum. Unde neminem unquam afflictum alloquebatur, quem non dimitteret pacatum et interna perfusum consolatione. Per totum vitæ spatium, nihil voluit unquam præter Divinam voluntatem : ad cujus nutum compositus, magnam in gravissimis morbis semper exhibuit patientiam. Ob mores religiosissimos admotus Vicarii officio, maxima cum laude hoc ministerio perfunctus, e vivis sublatus est anno 1610, die 24 Decembris.

Hujus V. Patris sanctimoniam in hora exitus illius de corpore Deus testatam reliquit tali prodigio. Nam columna splendidissima e defuncti cellula egrediens, nubes penetrare conspecta fuit a Domno Ganalor Joannis discipulo et a duobus aliis Fratribus Laicis.

Ex Libro fundationum Cartusiarum Hispaniæ Joseph de Valles, et ex Annalibus Scalæ Dei.

LUDOVICA MASSÉ

PRIORISSA GOSNAY

Pater ejus fuit Joel Massé, ex antiqua apud Noviomæos familia, regius Consiliarius et Præfectus generalis Ballivi Viromandiæ apud Noviomum, vir gravis, literatus ac Græci idiomatis callentissimus ; quem Henricus IV Francorum rex titulo nobilitatis, ob merita et præstita regno multa obsequia, decoraverat. Nata est autem Ludovica circa annum Domini 1586. Inde infantiam et puellarem ætatem multa innocentia pertransiens, cum adolescentiæ primordia auspicaretur, genitore matreque mortuis, orphana remansit in domo vitrici junioris curam familiæ gerens.

Jam annum ætatis circiter octavum decimum compleverat, cum ex honestate morum et ex præconio virtutis nominari cœpit, tam intra quam extra natalis urbis districtum. Sic namque ad omnem honestatem ex eo tempore composita erat, ut ejus modestia et prudentia multos percelleret, et sic multos ei conciliaret procos. Sed nulli eorum acquievit. Jam enim ratum fixumque penes se habebat alicui monasterio se tradere; sed necdum de loco et Ordine quicquam apud se statuerat. Postquam diu multumque secum et cum viris Deum timentibus habuit consilium, placuit tandem, ut ad Carmelitanas virgines Excalceatas sub S. Teresiæ Regula militantes se reciperet. Verum divina Providentia ad aliud Institutum ipsam ab utero matris segregaverat.

Ea tempestate Cartusiam S. Ludovici ad Noviomum moderabatur V. P. Martinus Bleneau, vir doctus et in spiritualibus satis detritus. Cui cum Ludovicæ consilium de amplectendo statu Religioso innotuisset, spopondit omnem curam se habiturum, quatenus, si ipsa vellet, reciperetur in Ordinis nostri parthenio. Ad vocem Cartusianarum mire exhilarata, igniculosque hujus Vitæ statim concipiens, pacatis inter Francos et Belgas vetustis discordiis, pace Regni arridente, Gosnayum accedit, suscipitur, induitur, profitetur.

Huic Gynæceo tum præerat Antonia des Planques; quæ Ludovicam, literis commendatitiis et benedictione Martini de Bleneau Provinciæ Convisitatoris munitam, absque mora suo virgineo collegio adunavit : fuitque una ex primis juvenculis, quam ab initio sui regiminis recepit ad habitum, anno videlicet 1610. Hanc cum ætate florentem et bonis moribus præditam agnovisset, charam imprimis habuit, eique erudiendæ curam impendit plurimam. Quod tum agebatur, utraque nesciebat; ambæ autem sciverunt postea, quando Antonia, Ludovicæ mater spiritualis, facta est postmodum Ludovicæ filia.

Cum Ludovicæ, Gosnayum pergenti, tam ex consanguineis quam ex notis et familiaribus se comites adjunxissent, quædam, quæ in comitatu erat et præ cæteris ipsi fuerat addicta, a die acces-

sus sui usque ad diem suæ reversionis ad propria, omnes noctes habuit insomnes, quamdiu moras traxit in Gosnayensibus hospitiis. Corde tenus siquidem saucia, futuram avulsionem a dilecta sibi Ludovica animo reversans, vix sui compos, corpus in lecto varie jactabat, menteque per diversa abrepta, ut assolet, nullo somni beneficio valebat recreari. Hinc lachrymæ, hinc planctus, hinc mœstitudine quamplures conditi gemitus, vix ullam fatigatis artubus concedebant requiem; cum ecce inter ejusmodi nocturnales ærumnas vidit se ad quemdam locum amœnum abductam, in quo quidam præcipui decoris, gloria insolita rutilantes, ex arca reserata vestem protulerunt fulgentissimam auro ostroque contextam, tanta aromatum omnigenorumque odoramentorum fragrantia inspersam, ut nihil simile cogitari posset.

Hac indui cum animadverteret Ludovicam ab illis splendidis qui circa eam erant, stupore perculsa, videbat eam sensim augustiorem assumere formam, et quasi reginam multiplici varietate monilium ac gemmarum rutilantem, atque mirum ex se splendorem ac fragrantiam spargentem, sursum sensim elevari, ac denique in cœlum usque perduci, donec amplius non comparuit. Jam vero obtutibus videntis quantumlibet ipsa subtracta, odor tamen suavissimus ejus nares adspersit, nec tam subito ex toto defecit. Toto illo spatio, id est duarum ad minus horarum, præfata persona fide dignissima asseruit se quasi præludia quædam suavitatis æternæ ac amœnitatis Cœlestis hausisse. Ut autem ad se rediit, omnem tristitiam confestim abstersam et exinanitatem conspiciens, per residuam noctem tranquillissime quievit. Tum denique Ludovicæ sibi charissimæ, absenti tamen, congratulans asseruit se non modo ejus conversioni applaudere, sed et conversionis auctorem se ei futuram, nisi jam conversionem apprehendisset.

Jam annum vigesimum quintum attigerat, cum idonea consecrationi reperta est. Hanc enim ætatem non solum ecclesiastici Canones, sed et speciale Ordinis nostri decretum virginibus nostris Episcopali benedictione Christo desponsandis sanxit.

Quod sane benedictionis munus solæ virgines Cartusianæ sicut et Abbatissæ cæterorum Ordinum percipere solent : derivata benedicendi forma ab antiquo, dum monachi monachæque, strictiorem solitudinis observantiam arripientes aut reclusionem, a Præsulibus includebantur. Solemnis virginum nostrarum consecratio esse consuevit; et ut sumptibus parcatur et expensis, plures uno eodemque die solent benedici. Spatium hujusmodi ceremoniæ ad quatuor horas protenditur, ultra apparatum præcedentem circa Confessiones monialium velandarum excipiendas ab Episcopo. Neque enim tecta conscientia consecrare eas potest, nisi notitiam certam earum virginitatis habuerit per Confessionem.

De forma autem consecrationis, cum ex Pontificali possit requiri, nihil hic sigillatim exprimimus. Solummodo insinuamus ex Statutis nostris, nullas moniales necdum benedictas velo nigro uti posse. Ipso autem die consecrationis, ad majorem Missam ab Ordinario celebrandam, tanquam Sponsæ Regis gloriæ corona decorantur, subarrhanturque annulo pro sponsalibus, stola ad collum et manipulo ad lævam appositis, cruce et sacro textu manibus munitis. Tum denique panegyris aliqua ab Ordinario, aut ab aliquo ex assistentibus, ad rem congrue depromitur. Post consecrationem, exutis omnibus ornamentis, nigro velo donantur, remanente ad mortem in digitis sponsalium annulo, ut jugiter recolant, cui Sponso se devoverint, cui fidem in posterum servare debeant, et a quo tandem habeant coronari.

Ludovica consecrata fuit per Joannem Vischerium episcopum Yprensem, cum Attrebatensis Antistes quibusdam negotiis Lutetiæ Parisiorum detineretur.

In crepundiis suæ conversionis, familiarissimas habuit moniales, videlicet Annam de Monchy, Susannam Maupin et Annam Griffon. Hujus necessitudinis causa fuit earum sanctimonia; potissimum autem non parum profecit Ludovica ex conversatione Annæ Griffon. In dies se ipsa melior efficiebatur, dum continuis virtutum operibus incrementa sibi quotidiana cumularet, pietati et humilitati summopere dedita, cæterisque Sororibus exemplaribus moribus prælucens. Cumque raro ipsa decumberet, ex bona corporis constitutione, in vigiliis prior inveniebatur, et in omnibus actibus conventualibus nulli erat secunda. Testes horum sunt cunctæ Sorores, quibus ipsa in multis subveniebat manu, verbo, consolatione; unde et coadjutrix Cellerariæ instituta fuit.

Anno 1630, per generale Capitulum præfecta fuit huic parthenio : in qua quidem ordinatione divinam Providentiam non tam miramur, quam reverenter adoramus. Quia enim in directione animarum prudentia et solertia haud vulgaris pietate et experientia rerum spiritualium condita requiritur, opus erat ut id officii ei demandaretur, quæ omnium suffragiis censebatur maxime ad id idonea. Insuper, imminente certo Attrebatensium regioni a Gallis excidio, fuit necesse ut, sicut Artesia dominium alterius in proximo subitura erat, sedesque Attrebatensis ecclesiæ Gallo Episcopo paritura, ita et illi Gynæceo Gosnayensi Antistita ex gente Franca præficeretur : ne, si Belgica mulier illud cœnobium sub tempore Artesiani excidii moderata fuisset, ad adventum extraneæ dominationis animo despondisset, aut minus gratiæ et favoris apud Francos provinciæ Præpositos nacta fuisset.

Quod sane in tantum valuit ut, cum omnia susque deque in Artesia turbarentur, et non solum solo adæquandum

monasterium Ludovicæ videretur sed et virginum periclitaretur pudor, ipsius cura et prudentia pervigili actum est,ut neutri incubuerit dispendium. Præsidebat tum nomine Regis Christianissimi subactis Artesiæ oppidis Marescallus de Gassion, vir clarus militia et cæteris virtutibus, licet dementatus Calvini fermento. Qui cum agnovisset Priorissam Francam Gosnayensi cœnobio præesse, eamque Noviomi ortam ac patre Nomarcha civitatis viro nobili progenitam, severe suis edixit, ne quam molestiam virginibus illis, aut iis quæ ad eas pertinebant, facesserent : quod ita religiose ab omnibus servatum est, ut toto tempore, quo Marescallus ille regioni præfuit, moniales Gosnayenses, ne pulli quidem ullius gallinacei jacturam fecerint.

Sed præter hæc, cum toti illi provinciæ instaret inaudita calamitas et clades, quando nec plebeiis, nec etiam sacris virginibus, miles victoria insolentior aut famis violentia factus truculentior ignoscit, opus fuerat multa animi constantia adversus casus ingruentes : quæ sane non defuit ipsi Ludovicæ supra sexum, supra naturam. Nam etiam ante indutam Religionis vestem, in sæculo adhuc constituta, plurima animi fortitudine audiebat, inter mulieres fortes potius quam virgines ob magnanimitatem et intrepidum cor recensenda. Cum enim timidæ virgines curæ illius commissæ ob casus quotidianos, ut assolet, per singula momenta expavescerent, ipsas quantocyus erigebat et animabat ad resumendam audaciam.

Notum est illud cujusdam ex Antiquis, plus valere cervorum cohortem sub ducatu leonis, quam leonum agmen sub ducatu cervi. Gaudebant Sorores, tam duris dirisque tempestatibus, se peritam invenisse naucleram, tam generosam inter maris procellas sibi obtigisse remigem : quæ adversis flatibus nihil cederet, nihil expavesceret fervorem maris, et commissam sibi classem a piratis invadentibus defenderet ac tutaretur. Ad ejus constantiam animatæ Sorores reliquæ, pavorem deponebant; et sub ejus tutela nihil meticulosum, nihil sibi improsperum fore jam suspicabantur. Deum quoque laudabant ex præcordiis, qui eis ita opportune de tanta ac tali Ductrice providerat.

Cum circa annum 1634 rupto fœdere inter Gallos et Belgas bellum exarsisset et excursiones fierent in Comitatum Artesiæ, annisque sequentibus Bethunia, Attrebatum, et alia vicina oppida et loca dominio Francorum Regis accessissent, jam aperto marte et utriusque partis accensis animis, quid cladis et infortunii tum acceperint Virgines Gosnayenses in suis temporalibus substantiis, nec ipsæ possent edicere. Parum namque erat pecora et pecudes amisisse, agros hostili vastitati relictos, pensiones annuas monialium a parentibus depauperatis non recipere, pagum d'Aubin ad Hesdinium, cujus toparchissæ erant, in hostium potestatem ve-

nisse; adhuc imminebat clades gravior a militaribus insolentiis, a discurrentium cataphractorum, qui pudori virginum insultabant, petulantiis: qui et de reliqua supellectilis ecclesiasticæ substantia stipendia sibi affutura pollicebantur.

Quid facerent inter tot ingruentia mala et affluentia catervatim pericula pudibundæ et timidæ virgines? Inito consilio, optimum eis visum est monasterium universum cum promiscua familia transferre Bethuniam, vicinum oppidum, ad consuetum domicilium confugii: in quo degerent tutius ab hostium insidiis et a residuæ substantiæ deprædationibus. Igitur circa annum 1638 moniales coguntur se recipere Bethuniam, translatis cunctis ecclesiæ suæ clenodiis, et aliis, quæ necessaria et congrua ad cœnobitice agendum videbantur; relictis ad tutamentum parthenii quibusdam Fratribus Donatis ac famulis, qui septa ab incursionibus defenderent.

Jam in illa civitate refugii moras fecerant moniales, ab anno videlicet 1638 usque ad annum 1645, inter multas ærumnas constitutæ, cum nihilominus suis muniis studerent pro modulo facere satis, ut, si quid eremitici rigoris admitterent temperamentum, id cœnobiali observantia et bono suæ conversationis odore compensarent. Sæviebat interea dura omnium necessariorum inopia: cujus causa compulsæ sunt ad mendicitatem. Verum cum mendicandi adesset necessitas, tamen qui mendicaturis opem ferret, nullus erat; cum quilibet, etiam optime prædiatus et olim in mendicos liberalis, et ipse egere nedum deberet mendicare.

His consideratis, optimum mox Ludovicæ adfuit consilium: ut scilicet per Patrem Convisitatorem (is erat D. Petrus Carré Domus Valencennensis bene meritus Prior) intimaret generali Capitulo, se et sibi commissas ad importabilem egestatem redactas, et proinde charitatem Patrum Ordinis coactas implorare, ne, si ulteriori calamitate conterantur, non tantum una Domus in Israel pereat, sed et virgines vagari incipiant, necessaria quærendo a parentibus, aut ab hostibus fugiendo. Anno itaque 1642, exivit edictum a Comitiis Ordinis nostri his conceptis verbis: « Monemus Patres Priores, ut pro charitate mittant ad Cartusiam eleemosynam aliquam pro monialibus Domus Gosnay in gravissima necessitate constitutis. »

Ex iis subsidiis nonnihil priores angustiæ temperatæ fuerunt. Crescebat nihilominus quotidiana clades et domestica tribulatio. Cui ut Ludovica debita sollicitudine provideret solertius, quemdam sui cœnobii Donatum direxit Parisios; atque per amicos Ordinis obtinuit a Regina literas ejus proprio annulo signatas, quibus Gubernatori (qui Gosnayensibus virginibus sicut et aliis ecclesiæ Cleris gravem taxam indixerat) mandabatur, ne ad exactiones ullas quomodocumque moniales

Cartusienses compelleret, aut illis ullas inferret molestias. Dictum, factum. Nova calamitas utcumque temperata; sed veteribus necdum indictum silentium aut finis, cum quotidie infortunia crescerent, et pax totis votis expetita neutiquam arrideret.

Videas nunc in quas angustias conjectus fuerit virgineus ille chorus. Dum pacem haberet in circuitu, et jam templum necdum reseratum esset, pro summis delitiis habebant, in communi victitantes refectorio, uno halece vel duobus ovis, aut pisciculis cum modico lacte aut caseo sustentari. Intra vero Bethuniæ ambitum constitutæ, his omnibus carebant, cum vaccæ, gallinæ et alii hujusmodi bucolicæ œconomiæ fructus jam deessent. Quæ si pro infirmantibus Sororibus necessario comparanda erant, pretio sextuplicato æstimabantur.

Aliud porro inter tot quotidiana illa infortunia pectus Ludovicæ exulceravit : quod maximum censeretur, nisi manus flagellantis et amantis Domini attenderetur. Septennio illo quo lares Bethuniam transtulerant, plures Religiosæ, tam seniores quam juniores promiscue, in ipso confugio ærumnis et morbis confectæ, pretiosas Christo animas reddiderunt, inter ipsas cruces Dominum benedicentes; et de solo mortalitatis ad Cœlum beatæ æternitatis proficiscentes, pacem, quam in terris positæ totis animorum præcordiis optaverant, nactæ, eamque perennem, quæ nullis temporum casibus, nullis rerum vicissitudinibus subjaceret, et quam nullus finis postmodum coangustaret.

Tot obsessa mortibus, tantis lacerata lancinationibus in amissione charissimarum filiarum, vultum non retricabat Ludovica; nullas apud Dominum deponebat querelas, castigantem ejus manum et virgæ fastigium adorans.

Cum, anno 1645, quiddam pacatioris temporis illucesceret vel illucescere videretur, decrevit Ludovica cum suis ad suum Gosnayensem remeare parthenonem, non ut temperaret penuriam, sed ut vitæ Cartusiensis pristinas semitas exactiori trutina obeundas repeteret.

Tandem, circa initium Decembris anni 1651, per tot calamitatum conflictus Ludovica se sensit invitari ad defunctas Sorores consequendas. Nam ex pristinis animi anxietatibus et corporalibus laboribus, unde etiam robustissimi quique frangerentur, fracta effectaque debilis, cœpit pulsari lenta febricula. Qua in dies ex repetitis paroxysmis iisque quotidianis augmentum capiente, cum nulla interpolatio, nullæ feriæ a jugibus febrium incendiis darentur, agnovit sibi certo moriendum.

Tumque sibi et commissæ Domui serio providens, magnopere instituit, quatenus Provinciæ Convisitator Prior Valencennarum vocaretur, cum ea de necessariis locutura. Cumque venisset ad eam, ipsa mirifice exhilarata, deposuit coram eo quæ in votis habebat. Ille videns eam sensim ad ultimam vitæ

metam progredi, per quinque circiter dies commoratus, nocte dieque infatigabiliter ei spiritualia sanctæ consolationis subsidia subministrans adstitit, donec ex toto defecisset. Quantum autem suavitatis atque intimæ exultationis ex præsentia pii et vere pii Patris perciperet, postea cæteris Sororibus aperuit.

Medicus interea stabat et ipse per vices, rimaturus num se febris remitteret, num sæviens languor extenuaretur. Ingravescente morbo, veritus medicus ne interna Matris ægrotantis occupatio aut acceleraret mortem, aut suppeditaret febri fomenta, rogavit eam ut sibi temperaret a spiritualibus exercitiis. At illa jam Cœlestis gloriæ candidata, pertæsa vitæ corruptibilis moras diuturniores, consilium quidem non abjecit, sed prætulit medici spiritualis obedientiam. Impetrata namque a præfato Convisitatore facultate modicum quid vacandi Deo, et ejus beneficia per meditationem aliquam recolendi, necnon ad imminentem luctam se præparandi, se in se recepit; et post horam ad se rediens, quantum consolationis accepisset, a suis rogata, manifestavit innocenter.

Vixerat Ludovica nobilis ingenuitate mentis, nive candidior, ut nihil in ea fucatum fictumve deprehenderetur, dum adviveret, quanto minus dum vita ipsa vel modica vel fere nulla, ipsi superesset? Postquam igitur obtinuit a Convisitatore meditandi spatium, eique finem imposuit, rogata quomodo se haberet aut habuisset, exclamavit in jubilum prorumpens : « O Deus cordis mei, quænam et qualia vidi mirabilia! » Siluit mox et nihil distincte aperiens, multa obsecratione adstantes Sorores, ne pro ejus incolumitate ullas ad Deum preces funderent, rogavit, ac si cum beata Agnete moritura diceret : « Ecce jam quod credidi, video; quod speravi, jam teneo; quod concupivi, complector. Te confiteor; te totis visceribus concupisco, Domine Jesu. » Aut cum S. Andrea e cruce deponi recusante : « Domine, suscipe me, Magister meus Christe, quem dilexi, quem cognovi, quem cernere desidero. Jam tempus est ut veniam, desiderans te videre. »

Quid Ludovica viderit vel audierit in illo horæ felici sed brevi spatio, licet non dixerit, humilitate præpediente, aut timore serpentis illius, qui semper calcaneo insidiatur morientium, ex anteacta ejus vita satis conjicimus.

Instabat interim Nativitatis Domini solemnitas : quam quidem in Cœlo cum Angelis Ludovica totis animæ medullis celebrare desiderabat. Dicebatque Patri adstanti et Sororibus : « Eia, quam tardat illa sacrosancta Festivitas! heu mihi quia incolatus meus prolongatur! quam multum diu incola remanet in isto carcere anima mea! Quando veniam et apparebo ante faciem Dei mei, Sponsi mei? Utinam, mi Domine, Sacratissime Infans, perveniam ad nu-

ptias tuas in die solemni tuæ sanctissimæ Festivitatis ! » Deinde verita ne tantus ardor e corpore discedendi quicquam imperfectum inveheret, ad resignationis et indifferentiæ tutiores partes se mox referebat et reflectebat, dicens : « Domine, fiat voluntas tua ! »

Tumque fidei producens actus, adorationis et gratiarum actionis laudes Deo ingeminans, patientiæ prorsus admirabilis inter tot incendia febrium relictis exemplis, nomen Christi Jesu et Mariæ crebrius iterans, beatam animam efflavit, die 24 Decembris, post Completorii pulsum, sub crepusculum noctis Dominicæ, anno 1651, vitæ circiter 65, professionis religiosæ 42, inter suarum lachrymas, quibus semper summa cum mansuetudine et benignitate per 22 annos præfuerat.

Breviter nunc et extremis tantum labris virtutes Ludovicæ delibaturus, eximiam illius benignitatem primum recensebo : primaria siquidem in Ludovica fuit virtus, quam habuit a natura insitam. Adhuc in sæculo posita dum hac virtute polleret, cunctorum animos sibi inescaverat. Nobilissimæ Henrici de Montmorency Magistri Equitum Franciæ conjugi, apud castellum Offemontem demoranti, et Vicarium Cartusiæ Noviomensis sæpe sæpius invisenti, delitiæ erant cum Ludovica versari, conversari, convivere, familiariter, ob ingenuitatem illius et castigatæ prudentiæ famam, agere. Illustrissima Ludovica Dognié, comitissa de Chaulne, non solum Ludovicæ, quam ex Fonte lustrali susceperat, susceptricis sacrum debitum, dum in sæculo viveret, impendit ; verum et eam sæpius ad Magniacum evocatam multiplici benevolentia prosequebatur, et ob ingenitæ benignitatis indolem, charam imprimis habebat, etiam ultra spiritualis consanguinitatis leges.

Hanc præclaram indolem in ea Religio Cartusiensis ampliavit. Mox enim ut regimini Sororum prælata est, tunc non immemor Illius qui dicebat *Discite a me quia mitis sum et humilis corde,* totum sinum benignitatis expandit super virgines curæ suæ commissas. Benignitatem cum magnanimitate adeo conjunxerat, ut inter adversa et periculosa se se semper exhibens impavidam, cunctarum animos erigeret. Cum apud Bethuniam moniales se se transtulissent, et sub hujus oppidi obsidione ad extremam redactæ pauperiem gemerent, appositis verbis religiosissima Mater solabatur earum angustias, ita ut refectio spiritualis, quam ex ejus verbis conceperant, proficeret in alimoniam corporalem.

Nec mirum si loqueretur quasi sermones Dei, cui conjunctissima fuit ab ipso vitæ monasticæ tyrocinio. Cum enim tum difficilem admodum (ut assolet incipientibus) mentalis orationis praxim, Sponsumque suum ad mamillas præcinctum experiretur ; aliquando inter nocturnas preces, motu quodam Divino impellitur ad recogitandum Je-

su Christi Patrem suum deprecantis in Olivarum Horto mysterium. Ludovica Spiritui Dei docibilis, qui ubi vult spirat, totis animæ medullis statim obtemperans, Salvatorem generis humani sanguineo sudore cruentatum, deficientem, in agonia factum prolixius orantem, mente revolvit; expletisque Matutinarum Officiis, concessit in cellulam, in hac meditatione paulo diutius perseveratura.

Deus famulæ suæ, cujus fidelitatem charismatibus melioribus remunerare volebat, mentem ad se rapiens, eam ab humanitatis suæ speculatione ad sublimem Divinitatis contemplationem evexit ita fortiter ac suaviter, ut in illo torrente voluptatis absorpta suique penitus oblita reliquam noctem transegerit, donec a somno mystico per Primæ pulsum fuerit evigilata. Campanæ signo rediit ad se, quæ per aliquot horas in regionem dissimilitudinis abrepta fuerat. Cumque dona Dei sint sine pœnitentia, ita Cœlesti munere ditata remansit, ut ab illo tempore mens ejus, doni orationis alis subvecta, libere semper et ubique ad Deum evolaret et Christo Domino, cui se totam consecraverat, per cogitationem continuam frueretur.

Impar Divinis visitationibus, ejus natura, sub initium ejus conversionis, frequenter deficiebat præ amoris in Sponsum vehementia; quotiesque Canticum Canticorum in ecclesia legebatur, quamvis Ludovica Latinum idioma ignoraret, toties rapiebatur extra se : quapropter deferebatur ad valetudinarium. Verum postea hujusmodi assueta impulsibus, facta robustior, absque ulla sui immutatione Divinæ influxus auræ potiebatur. Tanta igitur perfruebatur tranquillitate, ut, cum ei omnia essent pacata, et in placidissimo quodam internæ pacis portu secura consisteret, ubi primum in perfectiones Divinas conjiciebat oculos, protinus assurgeret in Creatoris contemplationem. Aliquando cum morbo detenta abesset a choro, Canticum *Magnificat* dulci adeo concentione decantatum audivit, ut anima illius tota liquefacta fuerit ad hanc Angelorum harmoniam.

Hisce Cœlitum oblectamentis delinita, quicquid otii supererat ex solitis occupationibus, totum impendebat orationi; semperque suspensam in Deum mentem gerebat, licet ex officio cogeretur vacare temporalibus. Unde nec mirum si fuerit gratiis et favoribus Divinis illustrata. Ad illam Dominus velut in secretum benevolentiæ suæ domicilium sæpe divertens, tantam sui copiam ei faciebat, quantæ capiendæ vix satis esset mortalitas. Ne autem humanam captaret auram, silentii sipario velabat omnia, perosa laudes.

Inter fabulandum aliquando quædam monialis mire extollebat charismata nonnulla singulari Dei munere alicui impertita. Cui Ludovica fiducialiter loquens, subjunxit : « Quid hæc omnia ? Multis me licet indignam præ-

stantioribus Salvator noster adauxit benedictionibus dulcedinis; sed expedit magis hæc beneficia in abysso Divinitatis recondere, quam propalare in humilitatis detrimentum, cum homines tantilla tanti faciant. Sub initia meæ professionis, cogente sic obedientia, quicquid in me Spiritus Domini operabatur patefaciebam; cum autem me existimarent super id quod audiebant ex me, malui silere a bonis. »

Ex Schedis ad nos transmissis ex hoc parthenio.

XXV DIE DECEMBRIS

VIONINUS DE AUGUSTA
PRIOR LUVINIACI

Majoris Cartusiæ professus; qui Domorum Allionis, Petræ castri ac Luviniaci regimini admotus, et institutus Provinciarum Gebennensis ac Burgundiæ Visitator, singulari prudentia, zelo religionis et pietate præcelluit. Denascitur in ipsa Natalis Domini festivitate. Cujus obitus legitur in Charta Capituli generalis anni 1394, signatus his verbis: « Obiit D. Vioninus de Augusta, dudum Prior Luviniaci, die Dominicæ Nativitatis sanctissimæ; qui habet per totum Ordinem plenum Monachatum, propter labores quos pertulit Ordinem visitando, ubi etiam infirmitatem dicitur, de qua mortuus est, recepisse. »

JOANNES VERGA
PROTOPRIOR VALLIS CHRISTI

Professus Scalæ Dei, ubi et Priorem egit, sicut et in Domo Portæ Cœli. Propter eximiam morum sanctimoniam nascenti Vallis Christi asceterio datus in primum Moderatorem, ab anno 1385 usque ad annum 1401, quo fatis concessit, se se bonum Pastorem exhibens, tandem ipso die Natalis Christi Salvatoris, remunerandus evocatur ad cœlestem patriam.

Annales Vallis Christi. Liber fundationum Cartusiarum Hispaniæ Josephi de Valles.

JOANNES DE PLAISANCE
PRIOR PARISIENSIS

Cartusiarum Petræ castri, Sylvæ benedictæ, Parisiensis et Nannetensis quondam præpositus; vir non minus pietate et religione, quam in rebus agendis peritia clarus. Quem Amedeus VIII Sabaudiæ dux delegavit ad Summum Pontificem, ut ab eo impetraret Bullam, qua mandaret observari Concilii Constantiensis ordinationes, seu Canones,

pro celebrandis Conciliis generalibus et provincialibus de decennio in decennium. Anno 1455 venerandus Joannes, qui tot annos in aliorum regimine transegerat, senium infirmitatesque gravissimas causatus, post preces instantissimas a Capitulo generali exauctoratur. Cellæ igitur redditus tranquillitati, dum rebus tantummodo divinis intendit, morbo superveniente, spiritum Deo reddidit, anno 1456, in ipsa Natalis Domini solemnitate. Vixerat in Ordine plusquam quinquaginta sex annos. Fuit Burgundiæ Convisitator et Franciæ Visitator.

Ex Catalogo Priorum Cartusiæ Parisiensis.

DEODATUS DU TILLET

PRIOR DIVIONIS

Parisinus, ex antiqua nobilique stirpe du Tillet progenitus; apud Lutetiam Parisiorum vir Consularis regiusque Consiliarius, admodum locuples. Tantis dignitatibus ornatus, multa pollens apud Henricum III Galliarum regem gratia, pertæsus aliquando sæculi voluptatum et vitæ dissolutioris, cum R. P. Hieronymum Marchant Cartusiensis familiæ generalem Ministrum, Ordinis nostri sectandi causa, insalutatis amicis et parentibus adiisset; Hieronymus a Deodati famulo cubiculari monitus clam, quod herus suus in extremis positus alias votum vovisset Hierosolymitanæ peregrinationis, injunxit ei longinquum hoc iter, quasi lydium lapidem quo probaret illius consilium.

Nec mora : Deodatus Reverendi Patris mandatis acquiescens, pergit Massiliam ; acceptisque nummularii scriptis, prompto alacrique animo conficit iter. Perlustratis sanctæ Civitatis locis, ad Majorem Cartusiam remeat, se sistit Cœnobiarchæ, ait se persolvisse votum, fecisseque quod imperaverat; ipsum vicissim rogat ut faciat quod promisit. Hujus precibus summus Ordinis Præses commotus, habitum Religionis, quem tam eximio virtutis obedientiæ præludio promeruerat, concessit.

Igitur sæculi oblectamentis nuntium remittens, antra deserti, senii sub annis, ingreditur; vitamque monasticam solemniter professus anno 1593, die 1 Novembris, in virum alterum mutatus est. Illo quippe nihil humilius, affabilius vel modestius erat. Quid plura? Quanto carnis aliquando fuerat adulator, tanto acerrimus erat illius castigator. Nam cibi parcus, corpus suum vigiliis, frigore, jejuniis aliisque austeritatibus macerabat ; ita ut qui sæcularem prius agnoverant, jam pœnitentiæ exercitiis deditissimum obstupescerent.

Vir tanta virtute præditus ad officium Vicarii Majoris Cartusiæ assumitur : quod gessit sub Reverendis Patribus DD. Hieronymo Marchant, Joanne Michel et Brunone d'Affringues; multum-

que profecit in directione Novitiorum. Ad minus enim centum sub illius manu ac disciplina eruditi, in illa Eremo horrenda degerunt; qui subinde in varias divisi Domos Ordinis, regularem disciplinam, si alicubi tepuerat, pristino decori restituerent. Cum autem Vicarium almæ Cartusiæ ageret, anno 1599, mense Januario, noster Deodatus, in rebus agendis versatissimus, a R. P. Joanne Michel Romam delegatus est, ut de negotio Cartusiæ Argentinensis tractaret. Redux ex Urbe, anno 1600, Prior ordinatur Cartusiæ Divionensis.

Contigit per id temporis, ut in civitatem ob quædam negotia se conferret. Cumque vidisset multos circa energumenum quemdam occupatos, appropiavit et ipse, ut hominis vexati calamitatibus compateretur. Ad quem confestim nequissimus dæmon conversus, ait: « O decrepite senex! multoties ego tuum perambulavi claustrum; sed deprehendi neminem, qui mihi consentiret in aliquo. » Nec mirum: Visitator siquidem Franciæ vigilantissimus, ubique invehebat disciplinam regularem.

Cumque nonnullis ejus administratio appareret rigidior, ad Divionensium instantiam, anno 1616 per generale Capitulum absolutus, transfertur ad Ligeti moderamen. Ubi stetit usque ad annum 1622, quo per Capitulum institutus est Prior Bassævillæ; qua in Domo, multa ætate (plusquam enim octogenarius erat), pœnitentiis laboribusque fractus, jam impar regimini, anno 1625 Præfecturam abdicavit. Passus est, natura deficiente, mentis deliquium extremo tempore; sed sui postea compos factus, ea qua vixerat sanctitate vitæ cursum absolvit, anno 1626, die 25 Decembris.

Catalogus Priorum Divionensium.

JACOBUS HERET

MONACHUS PARCI

Vota professionis emittens anno 1586, 10 Julii; transactis in Ordine 60 annis summa cum observantia, perfunctusque laudabiliter Sacristæ officio, debitum naturæ persolvit anno 1643, die 25 Decembris.

Ex Kalendario Domus Parci.

GABRIEL ANTOINE

MONACHUS DIVIONIS

Ob stabilitatem laudatissimus. Anno siquidem 1610, die 22 Julii, vota monastica nuncupans, in eadem Domo, et in eadem cella, quæ signatur litera L, ultra 50 annos laudabiliter transigens, in ipso Salvatoris nostri die Natalitio, mane hora septima denascitur, anno 1659. Vir devotus, osor otii, paupertatis amator et simplicitatis; cujus conversatio et sermones spirabant devotionem.

JOANNES CHAUVET

SCRIBA MAJORIS CARTUSIÆ

In oppido de Loudun natus, anno 1607, die 5 Augusti, ex honestissima familia, humanioribus Literis in Gallia, Coloniæ Philosophia, Romæ Theologia excolitur. Perfecte etiam didicit Græcum idioma. Fratrem habuit natu majorem Domnum Augustum, quem Joannes impense diligebat. Absoluto studiorum cursu, dum juxta Nobilium adolescentium morem Augustus peregrinaretur, in piratarum manus incidit. Accepto fratris sui captivitatis nuncio, navem statim Joannes conscendens, appulit Melitam; ubi, numerato prius redemptionis pretio, captivum excipiens, in Galliam remeavit. Ambo descenderunt Massiliæ.

Cumque pergerent iter ad patrios lares, Augustus divertere voluit ad Majorem Cartusiam, hujus Archimonasterii lustrandi gratia. Joannes comes individuus se præbuit viæ socium. Augustus Domum ingressus, mentis arcanum fratri suo patefaciens, petit habitum a R. P. Justo Perrot. Exemplo fratris illectus Joannes, rogat etiam inter Cartusienses annumerari. Summus Ordinis Præses ambos admittit. Decurrunt inoffenso pede tyrocinii palæstram, donec Augustus, morbo superveniente, Ordinis austeritatibus impar, cogitur Novitii vestem exuere. Vir infracto animo Augustus se dedere nolebat. Verum Joannes cum bona R. Patris venia, fratri suo suadens egressum, habitum dimisit etiam, ægrotum in paternam domum deducturus. Pollicitus fuerat tamen antea, quod ubi primum Augustus convalesceret, reduces in Cartusiam, se ad alteram probationem recepturum.

In pristinam restitutus sanitatem æger rediit ad palæstram, Joanne illum comitante; rursus induitur. Interim veritus Joannes iteratum in infirmitatem lapsum aliquem, noluit se nostro irretire Instituto, donec Augustus Novitiatum absolvisset. Recessit igitur, promittens se rediturum, ubi primum professionis Novitii nuncium acceperit. Expleto probationis tempore, Augustoque a monachis ad vota nuncupanda solemni ritu admisso, Joannes advolans ad Cartusiam condicta die, se sistit R. Patri; ab ipso donatur habitu Religionis, anno 1641, in Vigilia Nativitatis Beatissimæ Virginis. Postridie, ipso scilicet Nativitatis festo, Augustus vota professionis emittit: quod egit etiam, anno evoluto, Joannes noster in eadem Solemnitate. Post quinquennium, anno scilicet 1646, die 21 Septembris, a R.P.D. Leone Tixier Scriba institutus, in hoc officio perseveravit usque ad obitum, qui contigit anno 1667, die 25 Decembris, in Domo monialium Melani.

Hunc tanti faciebat R. P. Joannes Pegon, ut illum in suum designaret successorem. Revera etenim, si venerandus Joannes Chauvet summo Ordinis Præfecto fuisset superstes, communi Patrum

suffragio in ejus locum fuisset suffectus. Erat quippe vir castigatissimæ conversationis, rectus, in omnes affabilis, multum religiosus et exemplaris, multa clarus eruditione, particeps consiliorum R. Patris, ac laboris adjutor. Apud Gallos, Hispanos, Italos, Germanos, et apud omnes in magna semper fuit existimatione. Multas Domos visitavit. Redux ad Cartusiam Majorem, erat omnium consolator; ascetas hujus monasterii benigne suscipiens, materna plane eis exhibebat ubera. Sui, non solum domesticis, sed etiam extraneis copiam libenter faciebat per literas.

Succisivis horis, in otio neutiquam ignavo, omnes Chartas capitulares evolvit; unde excerpsit propria manu quinque volumina in folio Ordinationum. Erant ad manum libri, et præsto veterum Manuscriptorum suppellex, unde arcana temporis anteacti paterent; summa sagacitas indagandis vestigandisque, summa discernendis peritia, examinandis pensitandisque judicium circumspectissimum. Contexuit, juxta antiqua Cartusiæ Monumenta, seriem accuratissimam R. P. Priorum hujus Archimonasterii. Collegit ex diversis Italiæ et Germaniæ Domibus volumen Chartarum Capitulorum in Italia et Germania celebratorum tempore Schismatis. Ex diversis etiam Ordinis nostri cœnobiis multas Chartas, quæ in Cartusia desiderabantur, mendicatas indefesso labore descripsit. Redegit etiam in synopsim Cartusiæ Cartularium, multaque alia exaravit de Rerum nostrarum Notitiis.

Innotui ego huic religiosissimo Patri, cum, anno 1656, visitans ex mandato Reverendi Patris Belgii, Picardiæ ac Franciæ Visitatores, per Cartusiam Borboniensem fecit iter. Ibi me officiose adiens, suæ me licet immeritum benevolentiæ prærogativa cohonestavit. Ab eo tempore nobiscum intercessit amicitia, magna communitas eorum quæ notabilia quisque legendo vel scribendo de Cartusiensibus rebus perceperat. Ipse supra meritum in nos pronus, multa nobis præbebat adjumenta; adeo ut ab ejus literaria supellectile quæsitissimis opibus factus fuerim locupletior. Quicquid eruditissimus Pater scripserat, mihi successive transmisit; iterque mihi struxit ad multorum Ordinis nostri virorum spectatissimorum amicitiam.

Ipso proxeneta, copiosam e singulis fere monasteriis collegi messem; quæ, collaborante D. Carolo Le Couteulx hujus novellæ plantationis S. Juliani Vicario, excrevit in septemdecim volumina Notitiarum Ordinis nostri, præter undecim libros in folio Chartarum capitularium ab eodem D. Carolo transcriptos. Ipso mediante Chauvetio, adsumpti sumus in benevolentiam R. P. Joannis Pegon, Prioris Cartusiæ meritissimi; qui, quamdiu vixit, studiis nostris favere non dedignatus, per sermonem, per epistolas Patres Ordinis adhortatus est, ut operi nostro accederent in suppetias. Hujus rei testes sunt

literæ, quibus me toties cohonestavit. Ipseque calcar addens mihi et animos, propria manu delineavit nostri operis ideam.

Tanti viri patrocinium et filialem in nos amorem adscribo tibi, Chauveti venerande, qui dum in terris degeres præ animi tui modestia ne tuum quidem a nobis nomen, Vir apud omnes nominatissime, in lucubrationibus nostris nominari volueras. Verum quanto magis imperasti ut tacerem, tanto magis clamabo, te jam Cœlo sublatum bene omnia fecisse. Pro modulo meo vellem in tuas effundi laudes, sed omni jam major es laude nostra.

Subjicio Epistolam, quam V. P. Franciscus Ferrus, Procurator in Obedientia Faveratii, mihi scripsit post Chauvetii nostri mortem; quam de patrio idiomate in Latinum sermonem reddo.

« Venerabilis in Christo Pater,

« Non fui primus tristissimi nuncii mortis charissimi Patris nostri bajulus, eo quod ipse indigens consolatione, virum nobis, cui conjunctissimus eram amicitia, præripi supramodum dolerem. Malui alium tibi hanc lachrymarum materiem suppeditasse. Non enim dubito quin planxeris mortuum, qui vivens tam tenero amore simul et veneratione te prosecutus est. Non debemus tamen contristari sicut cæteri qui spem non habent. Abstergat lachrymas ab oculis nostris mors ipsius pretiosa in conspectu Domini, quæ ipsum, ut credere par est, asseruit in filiorum Dei libertatem, et ipsum fecit dignum in partem sortis Sanctorum in lumine.

« Quamvis autem singulatim illius morbum et obitum multi vestræ Paternitati scripserint, debeo tamen, tanquam oculatus testis, aliquid tibi dicere consolatorium. Rem aggrediar ab ipsa tantum vigesima secunda Decembris die. Per id temporis etenim lectulo affixus, non potuit amplius surgere. Ultimum quo e strato exsurgere voluit, necessitatibus naturæ facturus satis, pene expiravit inter manus nostras, adeo ut ipsum interrogaverim num desideraret Ecclesiæ muniri Sacramentis. Annuit lubens. Sub suæ etenim infirmitatis exordium mihi mandaverat, ut ipsum admonerem, quando id judicarem expedire. Quamvis autem mane nutrimenti quid percepisset, sanctissimo tamen Christi Corpore tanquam Viatico refici postulavit. Cumque per aliquod temporis spatium ad suum Judicem et Salvatorem excipiendum se præparasset circa horam undecimam, ultima absolutione purgatus, refocillatus Eucharistiæ Sacramento, Sacro Oleo inungitur. Sui semper compos, magna cum devotione sacerdoti respondens, veniam petiit juxta morem Ordinis ab omnibus, deditque et accepit vicissim pacis osculum.

« His peractis, cunctisque recedentibus, clausi super nos ostium cubiculi, me totum ipse expectoraturus, laxaturusque lachrymas. Tunc Pater optimus

affectuosas basiationes apud me deposuit, quas amicis singularibus distribuerem; injunxitque ut eis suo nomine dicerem ultimum vale. Cum intimo amoris sensu mihi de te loquens, præcepit ut per literas te facerem certiorem, quod ipse servus tuus et amicus ex hac vita discederet: te rogans, ut codices ab eo mutuo acceptos, data opportunitate, remitteres ad Cartusiam.

« Hac die et sequentibus, ægrotanti non sine labore ova subministravimus: precibus opus erat. Etenim ejus stomachus abhorrebat ab escis et remediis. Suspensus erat ægroti somnus ac inquietus; at ipsius patientia insignis erat. Totus ad Divinam voluntatem accommodatus, lubens audiebat mortis suæ appropinquantis, quos miscebam, sermones; ad quam paratissimus, sæpissime dicebat totis animæ medullis : « Quando veniet desideratissima dies? » Summa interim mentis tranquillitate potiebatur; quam adscribebat amicorum suorum precibus.

« Matutino Natalis Domini tempore, me alloqui voluit; sed siluit aliquandiu, verba proferre non valens. Moxque resumens vires, ita diserte ac copiose de suæ dissolutionis desiderio sermocinatus est, ut Angelum, non hominem dixisses loqui. Mirabar ego tam præclara mortis præludia, quamvis ejus verba mentis meæ captum excederent.

« Sub horam undecimam pransurus recedo, sed statim revocor; testatusque Chauvetius molestam sibi esse meam absentiam, orat ne ipsum dimitterem. Pollicitus quod ab eo non disjungerer, juxta lectulum ipsius comedi. Post prandium, petiit ut septem Psalmi Pœnitentiales ac Passio Domini recitarentur : quam quidem audiit devotissime. Suggerebam interim verbum aliquod bonum, breve quidem, sicuti me rogaverat : nam ipse sufficiebat sibi, longeque meliora mente versabat, quam ea quæ auribus ejus potuissem insusurrare. Gestiebat, uti sæpius testatus est, in hac Solemnitate de custodia vitæ mortalis educi.

« Statui solus juxta illum pernoctare; fatigatos siquidem vigiliis præcedentibus famulos ad id portandum haud idoneos arbitrabar. Credidisses tamen nondum hominem esse in extrema salutis linea constitutum. Circa horam nonam, ipsum deficere animadvertens, servos advoco, statas ab Ecclesia preces fusurus. Cumque legerem Passiones, audiebam ipsum alta voce recitantem *Pater noster* et *Ave Maria,* quarum orationum fines summo cum spiritus fervore repetebat. Dicebat etiam frequenter : « Eamus, eamus igitur! » Ipsum interroganti an ad patriam cœlestem vellet evolare, respondit: « Etiam, quia ita Domino placuit. » Sub horam decimam loquelæ usum amittens, purum Christo nato reddidit spiritum.

« Illucescente die, in choro Monialium cadaver ejus collocatur; Sacroque mane celebrato, post prandium Officio Defunctorum Vesperisque peractis, in

monialium cœmeterio deposita corporis illius gleba, præfatæ sanctimoniales justa persolverunt pio Patri non sine lachrymis. Tanta porro virorum et mulierum turba confluxerat ad ecclesiam, ut pene fores effregerint, intraturi parthenium quo mortui corpus venerarentur. Clam autem hæ Christi Sponsæ defuncti faciem in choro jacentis et pedes dissuerant : quem osculis petentes, sanctæ ejus animæ se commendaverunt, rosariaque, tanquam perspectæ sanctitatis viri, illius corpori contingendo admovere.

« Paucis retuli quomodo venerandus hic Pater oculis hominum vitæ suæ cursum absolverit. Deus vero scit solus quid egerit in intimo cordis sui recessu : quantum enim in se erat, studiosus semper fuit nihil de se propalare. Quamdiu decubuit in hoc parthenio, semper tranquillus apparuit et omni vacans sollicitudine. Nolebat ut pro ipsius incolumitate, sed ut in ipso Dei voluntas fieret, preces funderentur. Quando celebraturus ipsum interrogabam, quidnam desideraret ut a Deo peterem pro ipso, respondebat : « Nihil aliud postules velim, nisi ut ipsius sanctissima voluntas in me perficiatur. » Nusquam ex ejus ore vel minimum querelæ de pauperie loci et incommoditate verbum excidit. Nusquam doluit quod abesset a Cartusia, quod elongaretur a Reverendo Patre et ab amicis suis. Contentus erat sua sorte, imo sola Dei voluntate delectabatur.

« Unde minime dubitandum quin mortuus fuerit morte Justorum, qui tam laudabilem vitam duxerat; per cujus curriculum nihil egit quod non libraret prius ad religiosæ perfectionis stateram. Nullus convictorum ejus verbum vel factum in eo deprehendit, quod censura indigeret : adeo ut se se semper exhibuerit irreprehensibilem. Erat imprimis officiosissimus ; cumque pro aliis se impenderet libentissime, a nemine tamen vel minimum sibi præstari obsequium permittebat. In extremo morbo noluit unquam ut aliquis nostrum circa illum pervigilaret noctem, nisi quatuor ante ipsius mortem diebus : quod quidem ægre admodum concessit; ea tamen lege, ut ego et domestici nostri per breve temporis spatium successive essemus in vigilia. Nostræ, quantum potuit, operæ pepercit. Quod si, necessitate coactus, aliquem sibi ministrantem cerneret, statim humiles ei referebat gratias.

« Duobus circiter ante obitum suum mensibus, mihi mandavit ut chartæ scriberem folium. Qua R. Patri supplicabat, ut quicquid hæc continebat conficeretur, videlicet : scripta, quæ propria manu pertinaci labore collegerat, igne comburi; reddi quædam ab aliis mutuo accepta. Injunxit mihi etiam, ut literas vestræ Paternitatis ad eum missas concremarem : quod, redux in Cartusiam, sum fideliter executus. Annuit defuncti votis summus Ordinis nostri Præses; qui jussit tamen amici nostri

lucubrationes servari, utpote plenas eruditione ac perutiles.

« Cum summe D. Augustum Chauvet fratrem suum, Priorem Montisrivii, diligeret, ipsi tacueram ejus obitum (decessit quippe die.... 1667). Rogabat me, ut sæpius ad Augustum scriberem ipsius nomine. Ipse autem Joannes subsequentes literas debili licet manu exaravit. Dolebam ego, conspiciens infirmum nostrum perdentem oleum et operam; sed non audebam ipsi mortem fratris indicare. Hanc epistolam asservare mihi tanquam pretiosum defuncti monimentum arbitrabar; sed cum Reverendissimus Pater eam legere voluisset, illam osculans, flevit amare, ac retinuit. Hujus tibi exemplar mitto.

« Mon cher Frere. Je crois que γην δρω Dieu veuille que ce soit celle des Vivans, je prends ce que l'on me donne avec appetit, et je m'affoiblis. Je vous souhaitte santé, pour moy *expecto donec veniat immutatio mea*. Adieu mon tres frere. Ce 4e 10bre 67. Jesus Christus, spes mea, Judex meus, Redemptor meus, et Deus meus. — Frere Jean Chauvet. † »

Hæc epistola D. Francisci Ferrus data fuit die 17 Januarii anni 1668.

Quoniam autem de dilecto nunquam satis, non pigebit hic subjicere literas quibus Reverendissimus Pater noster Generalis, D. Joannes Pegon, me honestavit post Chauvetii mortem, probe sciens arctam nostram amicitiam. Vix autem acceperat tristem ejus obitus nuncium, cum, die 29 Decembris anni 1667, sic mihi scripsit :

« V. Pere en N. S. Il faudroit quasi que vous fussiez icy pour essuier mes larmes sur l'obit que je recois, ce matin de S. Thomas martyr, de nostre cher et bien aimé D. Scribe decedé le soir du jour de Noel comme un Agneau, un quart d'heure en agonie, jugement jusques au dernier souffle, resignation, elevation entiere, et je crois que tout cela se faisait aux pieds de la Creiche de nostre Sauveur Jesus. C'est a luy que j'offre mon deuil, et soubs sa permission et sans contredit a sa disposition divine. Tout est a luy et nos larmes et nos joies. *Obmutui et non aperui os meum, quoniam tu fecisti*. Vous prirez bien pour luy et cela me console. C'estoit une grande ame. Et qui en valoit trente en son office et mestier. Or sus il le faudra suivre, quand il plaira a Dieu le commander... etc. »

Sub anni subsequentis exordium, die 14 Januarii, alias nobis R. Pater benevolentiæ literas scripsit, ubi inter cætera sic loquitur :

« Mais il y a bien dans mon pauvre cœur du regret, de la douleur... pour les deux Peres que l'Ordre vient de perdre : mon Scribe incomparable et mon Prieur de Liege, deux Generaux en verité. *Illos oportebat crescere, me autem minui*. Et cependant Dieu les a

voulu et m'a laissé sur la Croix, qui me pressure, *et comminuit ossa*. Ecce jam nonus decimus incipit annus ! Je suis non pas dans un rheume, mais rheumatisme general dans toutes les joinctures. J'escris sans cesse ; et aujourd'huy j'ay leu a la chandelle tout le jour. L'air estant chargé d'un brouillard si espais et si noir qu'on ne voit goutte ; avec cela il neige gros, menu par bourasques et de toutes les façons. Ha qui me donnera icy une des larmes ou goutes du jardin des olives? *Tristis est anima mea*. Lisez S. Bernard sur le Cantique, ou il deplore la mort de son frere, ou S. Ambroise pleurant le sien. Voila justement ou j'en suis : louant Dieu, l'adorant et me victimant tout chétif que je suis, sur ses divines dispositions. Il est le maistre et nostre soumission l'adore. Je ne me plains de rien.

« Or le pauvre Dom Scribe avait liassé toutes vos lettres, mais mourant il a dit qu'elles fussent bruslées, parce que vous luy mandiez quelque fois de petites choses qu'il a crû devoir estre secretes entre vous deux. Il n'en est pas donc resté une. Cela fut fait hier. Faites en de mesme des miennes s'il arrivoit accident qui auroit pu estre preveû. Adorons nostre Seigneur Jesus dans son berceau et dans la Creiche. De Chartreuse ce 14 Janv. 1668.

Vostre affectionné Confrere

F. Jean Prieur de Chartreuse. »

Mearum erat partium, statim atque audivi præreptum fuisse nobis Chauvetium, meum testificari dolorem Reverendissimo nostro Generali ; qui, acceptis literis nostris, ex innata bonitate tale responsum mihi dedit :

« V. P. Ce n'est icy qu'un billet auquel je ne puis rien adjouter que cette lettre, qui grossira vostre histoire de l'Ordre. Je feray mieux cotter les circumstances. Cest un Leon, comme vous, qui l'escrit de son novice.

« J'ay receu vostre consolation toute tendre, et il semble que vous aiez emprunté la langue toute diserte et bien instruite du prophete Isaie : *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est verbo*. Je le suis grandement en ce mestier, qui est un pressoir pour moy. *Torcular calcavi solus*. Parce qu'il n'y a point de General en toute la hierarchie monastique ou religieuse, qui doive tout escrire de sa main comme moy, et estre semblable a un simple religieux, a Matines, au refectoire, au Chapitre, par tout, autant et plus qu'il est possible. Je le voudrois pouvoir encores mieux. Je ne suis que *lignum aridum in eremo*. Priez Dieu pour moy. Ce 10 Febvrier, 1668, etc. »

Sed primas tenere debet subsequens epistola, qua summus iste Cartusiensis familiæ Præfectus nobis arcanum concredidit silentio premendum. Verum ne visio, quam jussit me nemini dicere,

in sepulchro reticentiæ jaceat, adjiciam hic ipsamet R. Patris verba; quibus luculentum testimonium perhibet, D. Chauvetium ea qua decessit hora ipsi valedixisse, ipsumque Patrem Reverendissimum in hoc instanti perfusum fuisse suavi quadam admiratione. Per has literas me hortatur ad colligendas rerum Ordinis nostri Historias, et ad far a furfure discernendum. Sicque exorsus epistolam paterna prorsus in filium fiducia Pater omni veneratione dignus, quod sibi contigit refert his verbis :

« N'abandonnez point vostre dessein de ramasser les belles choses comme avez commencé, quoy qu'il se peut interrompre pour quelque temps quand estes pressé comme disiez dernierement. Et vous faites bien de discerner les histoires et faire choix du solide. Il est certain qu'il y a quantité de choses cachées, perdues non marquées.

« Je ne veux pas vous dire qu'a l'heure que Dom Scribe expira il me vint dire adieu avec sa voix foible, m'aiant excité par un bruit du vent impetueux dans tout mon dortoir et cela si agreablement, que je n'en fus que dans une douce admiration. *Pater vero rem tacitus considerabat.* Je marquay fort l'heure qui estoit entre les deux coups de Matines de S. Estienne, pour le confronter avec l'heure de nos filles. Et mesme notés un petit retardement d'horloge. Frere Clement m'a designé tout cela; car il estoit a son chevet quand il expiroit, et on alloit sonner les entrées la pour Matines.

« Ce que j'admire en cecy, c'est la persuasion de cette verité, qui me demeure imprimée, et le salut qu'il me donne quasi sans parolle expresse, mais certainement par une traisnée de sa voix sourde, douce, et comme malade, ressemblant a un souspir un peu long. Tellement que je conclus bien aussy tost : voila D. Scribe qui me visite.

« Vous estes le seul et l'unique a qui je l'ay dit, et comme je pense le diray. Car je ne suis nullement visionnaire, aussy ne le merite je pas. Ce cher Pere voulut me consoler passant ainsi auprès de moy lorsqu'il alloit en l'autre monde. Guardez bien d'en parler a qui que ce soit... etc. Ce 17 Mars, 1668. »

Hac Reverendissimi Patris epistola huic Elogii Chauvetii coronidem impono.

XXVI DIE DECEMBRIS

RADULPHUS
PRIOR VALLIS CHRISTI

Ex alumno Montis Dei Prior Vallis Dei, et Vallis S. Petri subinde factus; omnem sanctitatis explevit de se conceptam opinionem, in tantum Deo et Primatibus Ordinis charus, ut etiam apud sæculi Prælatos in magna gratiæ fragrantia esset. Qui tandem, licet juvenis, ubi Religionis tenorem tenuit et aliis tradidit tenendum, beate defunctus, cum BB. Simone et Engelberto suis in Christo Patribus ad Cœlorum regna translatus est.

De Radulpho mentio fit in antiquis Cartusiæ Montis Dei Monumentis, in Chronico Vallis S. Petri, et in libro 6 Epistolarum Petri Cellensis, Epist. 2 (al. Epist. 116).

JOANNES DE REYNA
PRIOR NEAPOLIS

Professus primo Mediolani, secundo Papiæ; tanta morum innocentia, vitæ puritate ac sanctimonia claruit, ut, gratia miraculorum coruscans, ægrotis restituerit sanitatem. Præfuit Domibus Mantuæ, Trisulti et Neapolis, Lombardiæque remotioris Visitator. E vivis excessit anno 1447.

Ex Cartusiæ Mediolanensis Mss.

XXVII DIE DECEMBRIS

TRUSIANUS
MONACHUS

Vir doctissimus, qui ex summo philosopho et medico, sed parum fortunato, factus Instituti Cartusiensis professor in Italia, carnis artem in medicinam spiritus utiliter commutavit. Sæculari namque experientiæ valedicens, literas ad spiritalem ædificationem transtulit; ex quarum cisterna prior ipse potatus, aquas etiam derivavit in alios. Fuit natione Florentinus, vixitque circa annum 1320, vel 1270.

De eo meminere Trithemius, Sutor, Bibliotheca Cartusiana, et Ganneronius in suo Cartusiensi Martyrologio.

ANONYMA
MONIALIS BRUGIS

De qua agitur his verbis in Vita Hermanni de Petra, hujus parthenii Vicarii : « Contigit aliquando Monialem quamdam ad mortis angustias redigi circa Natalem Domini. Cui Hermannus ex instinctu Spiritus Sancti in eum irruentis dixit : « Præcipio tibi ex parte Dei, et in virtute sanctæ obedientiæ, antequam hæc Natalitia transierint, non moriaris. » Mira res ! paruit præcipienti mors, neque Dei famulam invadere præsumpsit ante diem S. Joannis Evangelistæ ; et tunc obdormivit in Domino. »

FRANCISCUS DE WELE
MONACHUS CAPELLÆ

De Biewliet, antea Magister Artium ; receptus ad Ordinem anno 1473, subsequenti anno vota professionis emisit. De quo sic agit Chronicon Capellæ : « Vir admodum religiosus et moderatus, inter colloquia dicere solebat : « Optarem, si ita Deo beneplacitum esset, in extremis meis non diu ægrotare lectoque decumbere, ne mei causa Fratres vigiliis atque molestiis aliis afficiantur. » Hujus piissimi Patris laudabile et religiosum desiderium exaudivit Deus. Nam cunctis diebus vitæ suæ semper ambulavit, et ad templum venit usque ad extremum diem, sive potius noctem, qua, cum ad ecclesiam non venisset, de more accersivit eum Infirmarius, qui in lecto jacentem atque defunctum reperiit. Quod contigit anno 1504, 6 Kalendas Januarii. » Cum autem, *justus quacumque morte præoccupetur, anima illius sit in refrigerio,* sperare par est Franciscum ad meliorem vitam fuisse translatum.

JOANNES DE ALBA
MONACHUS VALLIS CHRISTI

Matriti, prosapia nobili oriundus ; Compluti literis navavit operam, habuitque magistros Cyprianum ascetam Benedictinum, et Ariam Montano, doctrina celeberrimos. Studuit imprimis Græcæ Hebraicæque linguis. Doctor inauguratus, discere Sanctorum scientiam desiderans, suscepit habitum Religionis in Domo Vallis Christi, anno 1563, in Vigilia Visitationis. Assiduæ Scripturæ Sacræ lectioni adjunxit orationis studium et virtutis. Quamvis autem se totum traderet Sanctæ Scripturæ, nihil unquam de spiritualibus exercitiis detraxit. Scripsit Notationes in varia utriusque Testamenti loca difficillima, et alia multa. Cujus tale Elogium extat præfixum ejus operibus :

« R. P. Joannes Alba singularibus virtutibus ornatus, præclarum religionis exemplar, Domus nostræ lux et ornamentum, bonarum literarum gloria insignis, ingenii nobilissimi, antiquæ et

germanæ Scripturarum interpretationis conservator et propagator, bono Ordinis et publicæ rei natus, eruditorum judicia studiis suis excitavit, et meruit magnum et publicum erga se testimonium; atque nobiscum integer integros vixit annos 27, menses 5, dies 20. Obiit anno 1591, 27 Decembris. »

Annales Vallis Christi, ubi dicitur obiisse cum opinione sanctitatis.

JOANNES DE LA PARRA
PRIOR DE PAULARI

Anno 1536, die 2 Julii, per vota monastica inter professos de Covis omnigenis virtutibus resplenduit. Unde factus Prior de Caçalla, deinde Xeritii, postea semel et iterum de Paulari, ac provinciæ Convisitator; ultimo, in Comitiis Provinciarum Hispaniæ in Domo de Paulari anno 1577 celebratis, pro eligendo ab earum schismaticis quibusdam Prioribus Vicario Generali Hispaniæ, qui eos gubernaret, ad id officii assumptus est. Porro illud Joannes invitus suscepit : qui suum olim pro tuendo carnisprivio zelum nobilitaverat, et se se fidelissimum Ordini præbuerat. Exactis autem septem mensibus in hac dignitate, fatis fungitur anno supramemorato, die 27 Decembris, ingenti apud omnes relicto sui desiderio.

XXVIII DIE DECEMBRIS

DANIEL
MONACHUS SCOTIÆ

Extat ejus memoria in Menologio Scotico Dempsteri et Davidis Camerarii his verbis : « Anno 1559, V. P. Daniel, cum, everso penitus cœnobio Perthano in Scotia (quod magnificentissimum Jacobi I Regis opus erat), Hæreticis Cruce prælata concionaretur, in ignem vivus præcipitatur. Sed cum aliquamdiu incombustus et splendidior in mediis flammis appareret, exclamavit elato furore, cœloque ipsi convicium factura Hæreticorum multitudo, exprobravit suorum decessorum impietatem, ac maxime beatorum Oswaldi et Adam de Avenside [al. Hongalaside] scelerata acta; cujus primi etiam Reliquias in ignem conjecerunt. At vir Dei nihil istis territus, longis transfixus hastis, ne simplici quidem martyrio defungeretur, pietati morituræ litavit, die 28 Decembris. »

DIDACUS BE GUELVAR
PRIOR DE COVIS

Vir doctus et pius; vixit in Ordine 39 annos, obiitque anno 1630, die 28

Decembris. Bis fuit Prior Domus de Covis, de Miraflores ac Xeritii, ac semel de Aniago; Commissarius generalis in Italia, Germania et Catalonia. Ejus Vitam quidam anonymus monachus descripsit in hunc modum :

V. P. Didacus de Guelvar ortus est in oppido vocato Villa nova Infantium, vulgo *Villa nueva de los Infantes,* diœcesis Toletanæ, ex parentibus honorabilioribus et ditioribus illius loci, qui ex suo longævo matrimonio, quod per 61 annos duravit, plurimos habuerunt filios et filias; quos fere omnes Deo dicaverunt. Inter quos emicant insignis Doctor Herrera de Molina, Canonicus et Magister Scholæ Episcopatus Orensis; et V. P. Antonius de Molina, professus Cartusiæ de Miraflores, per totum Orbem celebris propter suos laudabiles et commendandos maxime Libros Institutionis Sacerdotum et Orationis mentalis, typis mandatos fere in totius mundi linguis; et noster V. P. D. Didacus de Guelvar, ejusdem Domus professus, in qua vota nuncupavit anno 1593, die Visitationis, cum magno cordis sui jubilo.

Accepit in sæculo gradum Doctoratus Jurisprudentiæ in civitate Valentina, servivitque Catholico Regi Philippo II ejusque supremo Consilio in aliquibus commissionibus, et in officio Judicis in integrum restitutionis : quod munus in Hispania honorificum et utile habetur. Quod tanta cum fide et æquitate exercuit, ut ejus ministri affirmarent se Religioso viro servire, non sæculari magistro; ad quorum querimonias respondebat : « Num, quia ego Judex sum, ita vivam ut descendam in Infernum? »

Nec solum in matura ætate, verum etiam in adolescentia et studiorum tempore præbuit bonam et laudabilem de se opinionem. Suum namque corpus macerabat jejuniis, flagellis, ciliciis et aliis mortificationibus, redigens illud in servitutem spiritus, ne ipsi dominaretur. Hæc omnia auxit in monasterio, factus Cartusianus. Et ne magnitudo misericordiarum Domini ansam illi præberet se extollendi, datus est ei spiritus Satanæ, qui eum, ut alium Paulum, colaphizaret per viginti annos continuos : non valens comprimere vel avertere penitus illam rebellem pugnam, quam adversus spiritum caro concupiscebat. Et licet Dominum deprecaretur ut malum tantum ab eo averteret, ad compassionem proximorum didicit in tribulatione perfici virtutem, et tanquam aurum in fornace Dominum probare suos servos.

Obedientiam, cum esset sæcularis, suis parentibus tam stricte exhibuit ab infantia usque ad ætatem perfectam, ut omnibus filiis exemplum et norma obedientiæ esse potuisset. Nec silentio prætereundum, quod quando judiciarium munus exercebat, omne quod ab eo lucrabatur (etiamsi ad annum sex millium ducatorum summam excederet), parentibus suis ex integro reportabat ;

a quibus petebat postea, quæ ei essent necessaria pro victu et vestitu.

Hanc eamdem obedientiam parentibus videtur exhibuisse etiam factus Cartusiensis. Cum enim, visitaturus aliquando suæ Provinciæ quamdam Domum, iter ageret per suam patriam, parentes invisit jam nonagenario majores. Cumque incolumes eos invenisset, statim abscessit. Rogatus a matre ut saltem in reditu eos iterum conveniret, excusavit se humiliter iterum atque iterum, causatus Instituti nostri rigorem. Indignans mater filium increpuit, dicens : « Si feceritis quæ præcipio vobis, bene agetis ; sin autem, non vos filium exhibetis obedientem. » Visitatione finita, solo parendi consilio et quasi invitus ad matrem revertitur. Quam in lecto reperit moribundam ; cui ipse Sacramenta salutis ministrans, duobus post diebus mortuam sepelivit. Ejus pater vixit usque ad annum ætatis suæ centesimum : quo naturæ debitum persolvit plenus dierum ac bonorum operum, patientia præsertim mira præditus, quam usque ad extremum spiritum semper exhibuit.

Anno secundo suæ professionis noster Didacus in secundum suæ Domus Procuratorem electus, in litibus componendis, quibus monasterium premebatur, animum posuit : quod persolvit spatio quatuor annorum cum omnium admiratione. Toto illo tempore apud Conventum Vallisoletanum (vulgo Chancilleria de Valladolid) moratus, non minori suæ pietatis quam industriæ edito specimine. Postea electus est in Priorem ejusdem Domus, semel atque iterum, totidem Domus de Xeritio, et de Covis, et semel Domus de Aniago. In his Prioratibus vixit 30 annos ; in Visitationibus viginti quatuor. Ex speciali etiam mandato, Vallis Christi et Portæ Cœli monasteria visitavit, et quasdam Italiæ Domos, semel ac secundo Lusitaniam.

Illud vero mirandum est, quod in tot ac tantis officiis et occupationibus positus, sedulo ac diligenter interiorem curaret hominem, ac maximas acquireret virtutum fruges, quas omnes perlongum esset recensere. In eo maxime prudentiæ virtus emicuit in præveniendis et meditandis convenientiis ac rerum disconvenientiis quæ occurrebant. Post maturam autem deliberationem, in earum executione magnam præstabat constantiam. In hujus viri fortitudinis argumentum duo subjiciam exempla.

Cum Priorem Domus de Aniago ageret, ascendit ad generale Capitulum ; a quo missus est Romam ad Paulum V pro negotiis Ordinis, quæ talem virum requirebant. Ubi cum talenta ejus Cardinalis Farnesius Ordinis Protector ponderaret, ei intimavit Suam Sanctitatem præcipere ut visitaret Domos Neapolis, Capri et SS. Stephani et Brunonis, cum aliis quibusdam Italiæ : et hoc, tanquam Suæ Sanctitatis Delegatus, ejusque suprema auctoritate et potestate. Renuit Didacus semel, iterum

ac tertio. Instante autem Protectore ne reluctaret, nec resisteret Pontificis ordinationi, se assensum præbiturum promisit, si duæ illi conditiones prius concederentur, alioquin nullo modo id muneris accepturum. Prima videlicet, ut hanc Visitationem, non ut Visitator Apostolicus sive Delegatus a Summo Pontifice faceret, sed per ordinariam commissionem sibi a Reverendo Patre et Capitulo generali indicendam : ne innovaretur consuetudo nostri Ordinis ab initio usque ad præsens observata. Secunda, quod Summus Pontifex durante illarum Domorum Visitatione nihil immutaret, usque dum, peractis Visitationibus, redderet Suæ Sanctitati rationem de omnibus actis in eisdem monasteriis. His duabus concessis conditionibus, feliciter omnia executus est, reddita de omnibus Suæ Sanctitati ratione.

Alterum suæ fortitudinis et integritatis dedit exemplum, cum esset Prior de Miraflores, ac tunc moraretur in curia Catholici Regis pro negotiis Ordinis. Quædam perillustris Ducissa petiit ab eo licentiam, qua Donatus quidam suæ Domus iret Matritum, eam visitandi gratia. Aiebat enim huic Donato plurimum esse devotam, ob sanitatem cuidam filio suo miraculose ab eodem impetratam. Denegavit vir Dei hujusmodi permissum cum omni debita humilitate et reverentia, multas in hoc afferens rationes. Illa majori conatu anxia variis mediis tentavit flectere Visitatorem; vidensque se operam et oleum perdere, minas adjiciens, dixit : « Ego faciam ut primus Regis amicus, et ipse Rex, imo et Pontifex Maximus vobis præcipiant, ut hanc mihi consolationem indulgeatis. » Cui respondit : « Etsi primus Regis amicus, et ipse Rex, vel etiam Summus Pontifex hoc mihi imperent, nequaquam flectar. » Sciebat enim id non convenire nec Dei servitio, nec Ordinis decori. Quod responsum etsi tunc visum fuerit durum, experientia postea demonstravit jure restitisse huic petitioni : quæ licet videretur pia et Ordini nostro perhonorifica, re tamen mature inspecta, vano et instabili fundamento nitebatur.

Singulari patientia enituit in eos, qui conquerebantur rigidam ejus disciplinam et zelum ferventiorem. Hos sæpe benignius alloquebatur, et in Visitationibus rogabat Visitatores, ut cum eis mitius agerent. Summam exhibebat infirmis et afflictis charitatem : quos sæpe sæpius quotidie invisens, curabat eis lautiores cibos ministrari. Paucis diebus ante suam felicissimam mortem, cum confiteretur, V. P. Joanni Xara tunc Procuratori asserebat, dicens : « Multoties vestræ Paternitati affirmavi me nunquam malam voluntatem habuisse contra quempiam nec vindictæ desiderium, cum per triginta Prælaturæ annos multa se obtulerint, in quibus potuissem illam factis verbisve ostendere : hocque ut singulare beneficium a Domino mihi concessum fateor. Et

in speciali casu aggressoris mei, addidit ipse mihi Dominus, ut nec primum motum displicentiæ in eum senserim. »

Et quia eximiæ charitatis est, non solum esse patientem et benignum, sed et ipsam animam ponere pro amicis,hanc etiam gratiam Deus concessit servo suo: quod et accidit in hunc modum.

Erat in Cartusia de Covis quidam monachus, professus ejusdem cœnobii, ex eorum numero de quibus vulgo dicitur, « habitus non facit monachum. » Ipse enim monachi habitum solummodo gestabat; re autem vera nihil habebat interioris monachi. In exteriori homine curabat se exhibere irreprehensibilem; non tamen malitiam suam omnino poterat ita simulare, quin sæpe superbiæ ejus fumus et arrogantiæ per aliqua signa exteriora omnibus appareret. Hinc infensus erat iste Diaconus veris monachis, qui verus erant odor Christi ad vitam, maxime autem V. P. Visitatori, qui superbiam ejus dolens et elationem, ejus salutem in Domino zelabatur. Cumque eum videret pro Sacerdotali Ordine valde anxium atque sollicitum, nullo autem justo titulo tali dignitate dignum, imitatus divum Augustinum Ecclesiæ Doctorem in tali casu, censuit non esse ad Sacerdotium promovendum, usque dum, factus humilior et emendatus, propriam suam voluntatem Præsidenti permitteret.

Sed cum ad incendendum sulphurei pulveris tormentum parva quandoque scintilla sufficiat, subito talis indignationis flamma in perverso monacho de dilatione Ordinis est accensa, ut eadem nocte, in qua de repulsa certior fuit factus, aufugerit primum in domum suæ matris, Hispali morantis; deinde relicto habitu Romam petiit, ubi Curialibus consultis ut impetrarent ab Urbano VIII votorum relaxationem,hanc nullatenus Sua Sanctitas concedere voluit. Tandem, salutaribus monitis licet invitus acquiescens, in Romana Cartusia Ordini reconciliatus est; et ad instantiam quorumdam Cardinalium remissis a R. Patre debitis pœnis, ad Domum de Covis rediit post undecim menses, non humilior effectus sed superbior.

Cumque a V.P.Priore benigne et cum affectu paterno reciperetur, non attulit prodigi filii contritionem. Paulo post, instantibus Sacrorum Ordinum impertiendorum temporibus, ad quos eum mittere distulit V. P. Prior, expectans aliquantulam ejus emendationem; in furorem versus (cum jam diabolus misisset in cor ejus, ut Pastorem suum ovis ista rabida sine dilatione necaret), citius facere festinavit, quod anno præcedente ante fugam cogitaverat, et tentaverat cum egrederetur ad Matutinas.

Tempus aptum tanto facinori primus hominum interfector illico illi præparavit in crepusculo noctis nonæ decimæ diei mensis Decembris, anno 1630, eo tempore quo Conversus Priori inserviens ad accendendam lucernam properaverat. Accurrit pseudomonachus ille; ingressusque cellam, subiit scalam

usque ad tabulatum sive solarium, ubi Pater Prior Completorii Officii tunc persolvebat. Quem diabolico ardore aggressus, instrumento quodam hortalitio in vertice capitis et in fronte percussit: quo vulnere tanquam mortuus prostratus est. Cum autem sic vulneratus Conversum sibi servientem vocaret, Janitor audita ejus voce citius accurrit; verum turbatione in aperiendo retardatus est. Sicque perfidus parricida furorem et ictus congeminans, alia sex vulnera inflixit, tria eorum lethalia.

At bonus senex percussus, semivivus, rogabat sic laniatorem : « D. Petre, amice, tempera iras, mitte gladium tuum in vaginam, fræna furorem, cohibe sævitiam. Occidisti; quid amplius sævire mordicus intendis ? » Amovit aggressorem Janitor Conversus; eumque amplexatus, retinere conabatur, usque dum accederent quos vocaverat. Parricida autem malo malum addens, quodam cultello, quo Patri Priori minora vulnera inflixerat, cervicem Janitoris ad palmum in rotundum sauciavit, ita ut plaga fere guttur attingeret. Cecidit velut mortuus, fugiente percussore. Cum autem vires resumpsisset, compresso vulnere, ad Patrem Vicarium accessit. Interim Procurator et alii Conversi ad Priorem accurrunt cum Vicario; qui de administrando Viatico vulneratis quam primum curavit.

Cum autem confiteretur Prior, Vicario dicebat : « Confiteor tibi ea peccata, de quibus me jam sæpe absolvisti. » Cui Vicarius : « Venerabilis Pater, hoc non est tempus tam brevis et momentaneæ Confessionis; sed dicito aliquid speciale peccatum quantumvis leve, præsertim de commissis in isto conflictu. » At ille : « Quæ? » Adjecit Vicarius : « De displicentia sive ira contra vestrum percussorem, de verbis quæ in illum protulistis, sive de aliquo alio dicto aut motu contra eum. » Respondit Prior : « De his accusari non habeo; nihil enim horum recordor, imo nec primum motum displicentiæ contra hunc pauperculum habui. » Tunc Pater Vicarius non minus admiratus quam ædificatus, eum absolvit. Et post duos dies, prolixiorem Confessionem fecit Procuratori supradicto, eademque præfata verba retulit.

Et licet medici ac chirurgi aliquantulam spem darent de ejus vita et salute, tandem sub finem noctis Sanctorum Innocentium, et ineunte festo S. Thomæ archiepiscopi Cantuariensis, etiam pro defensione justitiæ in capite percussi, in pace migravit ad Dominum, post acceptum Christi Corpus et Extremam Unctionem magna cum devotione, suique semper compos, adstante Conventu. Toto hoc temporis spatio admirabilis fuit ejus modestia et compositio suæ voluntatis ad Divinam. Nihil enim habebat in ore frequentius quam hæc verba : « Fiat Domini voluntas! » Dicebat etiam : « Compatimini, et miseremini illius pauperculi incarcerati, et cum eo benigne agite; si enim ego vixero, liberabo illum. »

Die Dominica, quæ fuit prædicti S. Thomæ, divulgata fuit mors illius per totam civitatem. Et licet, ut mos est apud nos, nullos Ecclesiasticos et sæculares ad ejus sepulturam convocaremus, undique tamen tot et tanti confluxerunt, ut vix tota Domus posset eos capere. Prohibitum fuit promiscuum vulgus ne intrarent ecclesiam, admissis tantummodo almæ Ecclesiæ Hispalensis Præbendariis et Dignitatibus, et Religiosis fere omnium Ordinum, qui conventualiter ad feretrum accesserunt, et decantato ibi Responsorio, in sacellis persolverunt reliquum defuncti Officium. Adfuit Vicecomes de la Corçana, summus Prætor Hispalensis, cum magno comitatu Senatorum, Equitum et Commendatorum, cæterorumque Nobilium in maximo numero. Adstitit et R. Episcopus Centuriæ, aliique nobilissimi ac venerandissimi viri tum Ecclesiastici tum sæculares. Hi omnes, cum Prælatis Religionum, non solum ut sanctum Martyrem defunctum nostrum venerabantur, sed et osculabantur pedes ejus et suis rosariis ejus manus et caput tangebant, ac pro Reliquiis asportabant flores, palmam et laureolam coronam, quibus corpus in feretro fuerat ornatum ac coopertum.

Fuit tumulatus iste Dei famulus in sepultura nova, quæ nullum aliud corpus acceperat, in cœmeterio Conventuali, ad latus sinistrum Reverendissimi D. Didaci Sarmiento, episcopi Cubensis et Inquisitoris generalis Indorum Occidentalium, professi ipsius Domus de Covis. Tulerunt corpus ejus in feretro ab ecclesia usque ad sepulturam super humeros suos dominus Decanus Metropolitanæ Ecclesiæ, Archidiaconi, cæterique Canonici et Dignitates qui Officio adfuerunt. Nec sine admiratione Nostrum maxima, quod cum cæteræ sepulturæ plenæ sint ossibus Religiosorum defunctorum, in hac, ubi conditum fuit cadaver ejus, nec ullum inventum est. Sic Deus in morte honorat servos suos, qui in vita causam ipsius Domini egerunt.

Istam venerationem et acclamationem velut sancti Martyris non solum tunc habuerunt adstantes, verum etiam et absentes. Excellentissimus enim Dux de Arcos magna instantia impetravit ferreum instrumentum, quo venerabilis iste Dei famulus in vertice fuerat percussus : quod accepit ante tabellionem publicum, in majoratu ejusdem Excellentissimi Ducis vinculandum. Excellentissima etiam ejus uxor, aliique multi viri pii et Nobiles, etiam pro Reliquiis acceperunt aliqua de utensilibus cellæ ejus.

Nec sine fundamento illud gestum est. Dignatus est enim Dominus duobus Patribus Seraphici Ordinis, in diversis partibus existentibus, gloriam istius servi sui revelare : quem viderunt laureola Martyris condecoratum, palmamque in manu ferentem. Hoc beneficium præstitit Dominus præfatis Religiosis ob innatam devotionem,

quam venerabilis hic Pater erga eorum Ordinem habuit : quam etiam Seraphici Religiosi bene compertam habebant et prædicabant. Alteri ex his duobus monachis dignatus fuerat Dominus manifestare, quod venerabilis iste Prior divinæ Majestati placebat, et quia septuagesimo ætatis suæ anno erat moriturus.

Altera die et sequentibus post ejus sepulturam usque ad Januarii decimum diem, fere omnia monasteria intra et extra muros civitatis Hispalensis conventualiter venerunt cum suis Prælatis ad Cartusiam de Covis, celebres Missas et Officium corporis præsentis celebraturi, tanta gravitate, tanta musicorum harmonia, tanta devotione et exteriori apparatu, ut nunquam tale visum sit, nec de simili extet memoria. Et ne tum pietati Religiosorum, tum presbyterorum devotioni deesset tempus, in una eademque die tres aut quatuor Missæ celebrabantur cum suis Vigiliis, magna Nostrorum admiratione et consolatione. Cumque jam de Priore eligendo tractaretur, finis impositus est desiderio cæterorum monasteriorum, collegiorum ac parochiarum, idem funerale Officium eodem modo celebrare volentium.

Etiam moniales in suis ecclesiis celebres Missas funerales decantarunt pro eodem venerando Patre ac sancto Martyre nostro. Nam et ipsæ recognoscebant copiosas Patris eleemosynas, sicut et cæteri Religiosi, cives et advenæ totius Hispalensis emporii : ad quorum sustentationem et remedium, per multos menses divinitus triticum in horreo multiplicatum est.

Porro cum Priore vulneratus, paulo post mortuus est F. Acacius Carillo Conversus.

Hactenus Manuscriptum anonymi monachi, qui vivebat tempore D. Didaci de Guelvar.

ANTONIUS BRAVO A S. MARIA

PRIOR DE COVIS

Hispali nobili ortus stirpe, magno pollens ingenio ac literatura ; vigesimum ætatis annum agens, jam in sæculo celebris, se se recepit apud Cartusienses, ut in obscuro vivens, Sanctorum scientiam disceret. Vota nuncupavit in hac eremo, die S. Joannis Baptistæ, anno 1606. Doctrinam cum oratione ita conjunxit, ut inter doctos contemplativus, inter contemplativos doctissimus appareret : frequenter etenim viri peritiores illum tanquam in utroque Jure versatissimum consulebant in rebus gravissimis. Sed si doctrina viri per patientiam noscitur, ea noster Antonius præditus fuit, quæ scientiam ejus adæquaret. Nam ex ardenti regularis observantiæ zelo multas a nonnullis sustinens contradictiones ac tribulationes, nunquam tamen contra eos vel minimum protulit verbum indignatio-

nis vel querelæ. Quod si aliquando nominarentur, quos patiebatur adversarios, bonum pro malo ipsis apprecans, dicebat : « Benefaciat illis plurimum Deus. »

Functus est officiis Procuratoris, Vicarii, et Prioris de Covis ac de Caçalla, Commissariique Cartusiarum Lusitaniæ: in quibus magnum sibi comparavit nomen. Abdicata autem Præfectura, reversus ad cellulam, eo vixit cum spiritus fervore, licet senio confectus, ut quasi unus ex Novitiis esset. Primus omnium nocturnis simul et diurnis aderat Officiis; caligantibusque jam ejus oculis nullum tamen admisit famulum. Factusque omnium solamen et totius virtutis exemplar, tranquillissime animam efflavit, anno 1659, die 28 Decembris, ætatis suæ 76.

Ex Manuscriptis.

JOANNES MELDEMAN

PRIOR DE LA BOUTILLERIE

Namurcensis; anno 1601, Religionis habitum in Cartusia Majori suscipiens, expleto laudabiliter tyrocinii tempore, die undecima Junii vota professionis emisit. Ibi partim in cellula, partim in officio tum Coadjutoris tum Correrii, viginti septem annos transigens, per generale Capitulum anni 1628 Prior Domus S. Crucis instituitur; unde assumptus ad regimen Boni loci, tandem, anno 1641, transfertur ad moderamen novæ Domus de la Boutillerie, cujus primus Prior fuit, usque ad annum 1660 : quo plenus dierum, octogenarius, Deo spiritum reddidit, die 28 Decembris. Vir certe valde religiosus et exemplaris admodum, spectabilisque morum affabilitate; cujus gratissima conversatio, colloquiaque de rebus divinis tum domesticos tum sæculares ad virtutis amorem et studium incitabant.

Dum in Cartusia Majori degebat, arctam cum S. Francisco de Sales episcopo Genevensi contraxerat amicitiam; ex cujus familiaritate, assiduaque librorum ejus lectione perfectus devotionis illius, humilitatis, simplicitatis et mansuetudinis factus fuerat imitator. Sub sui regiminis initium in hac Domo, passus est damnum 3,000 aut 4,000 librarum in excursione Gallici exercitus. Sed et ante suam mortem majoribus affectus est molestiis per hæredes Domini Joannis Le Vasseur Fundatoris; qui ab eo poposcerunt, quæ Fundator in Cartusiæ dotem assignaverat; qui tandem apud supremam Mechliniæ Curiam litem amiserunt.

Diu ante obitum laboravit multo tibiarum incommodo, quod et mortem illi conscivisse creditur; nunquam tamen visus est ingemuisse ex doloribus, sed semper miram exhibuit patientiam. Statura mediocri quasi ad humilitatem compositus, insigni morum honestate exornatus erat, utpote ex nobili pro-

sapia ducens originem. Solitarius admodum extitit, et cellulæ quieti plurimum addictus. Quatuor tantum monachos in hac nova Domo admisit ad professionem.

Ex Mss. hujus Cartusiæ.

XXIX DIE DECEMBRIS

MARIA VAN DEN CASTEELE

PRIORISSA BRUGIS

Primo Sacristinæ officium obiens ultra quindecim annos, postea Cellerariæ per novennium; anno autem 1514, ætatis suæ annum agens quinquagesimum quintum, concordibus omnium votis electa in Priorissam, eximia cum laude necnon vigilantia et utilitate Domum administravit, usque ad annum 1533, quo Præfecturam dimisit ob suæ cæcitatis incommodum. Tandem cum annos octoginta laudabiliter in Ordine exegisset, meritis dives ad Sponsum migravit, die vigesima nona Decembris, anno 1546.

Ex Catalogo Priorissarum Brugis.

BALTHAZAR URQUIZA

VICARIUS DE PAULARI

Hujus Vitam habuimus ex Cartusia de Paulari : quam hic subjicimus de verbo ad verbum.

Balthazar Urquiza, natione Cantaber, oriundus ex oppido seu villa Hermua apud Cantabriam; dexteritate ac claritate ingenii præcellens, atque Arithmeticæ arti maxime deditus et aptus; bonæ indolis, docilis, et apprime promptus ad virtutes exercendas, quibus Cantabri cunctis aliis nationibus longe sunt præstantiores.

Vir itaque iste venerabilis toto adolescentiæ suæ tempore mercaturæ dedit operam, apud quemdam institorem seu mercaturæ professorem magnarumque possessorem opum, incolam insignis villæ nomine Flaviobriga seu Flavia Gallia, Hispanice Vilbao [*seu* Bilbao], ex prædicta Cantabriæ provincia : cum quo a teneris annis educatus fuerat; quique illi omnium rerum ac negotiorum suorum pondus crediderat et expeditionem, ob expertam ab eo talenti eximii præstantiam, animi candorem, ac maximam fidelitatem, ita ut quid in illis haberet, præ multa de illo confidentia, ignoraret ipse mercator : donec miserator et misericors Dominus dignatus fuit laqueos, ingentia hujus mundi nequam et præcipue illius mercaturæ modique vivendi pericula, lucis suæ radiis, Cantabro nostro patefacere.

Quem diligens ac sibi eligens, sua forti et efficaci vocatione (sublatis omnibus, quæ eum retardare poterant, impedimentis, quæque alias superare ob inextricabilem ratiociniorum labyrinthum ille minime posset) denique ad se attraxit.

Claritate autem ingenii scribendique facilitate pollens, omnia sibi credita, astatis prius in unumque collectis (dati et accepti) ratiociniis, in brevem redegit summam ; postulataque a suo hero matris invisendæ licentia (quo prætextu eam facile obtinuit, quam aliter impetrare pene esset impossibile), ruptis omnibus moris, ob celerem instantemque qua movebatur vim interiorem, ad hanc pervenit Domum ; cujus peculiaris solitudo, ab hominum consortio longe distans, sibi inter alias valde placuerat ; a cujus Prælato summis precibus, se, ob literarum inscitiam, ad habitum Conversorum recipi postulavit.

Qui, dum in examine notitia ejus sufficientiæ caperetur, tales prædictorum talentorum dotes ostendit, ut ejus requisitioni non solum annuendum dixerint Prior et Conventus, verum etiam illam omnino extendendam atque amplectendam ad monachalis usque habitus susceptionem. Cujus promissionem illico ei fecerunt concorditer, si Latinitatem nactus, ad illum induendum redire voluisset : illud Patres pro comperto habentes, virum hunc temporalium rerum administrationi ac expeditioni ita a Domino aptum utilemque factum, ut pro tunc ab eis nullus eo præstantior eligi posset, utpote cui, licet vitæ dominique mutatio contingeret, ministerium tamen non interrumperetur. Cumque supra dicta promissio ei placuisset maxime, mercatori prædicto per epistolam, notam fecit animi sui deliberationem, mittens ei ratiociniorum prædictam summam quam confecerat, ex qua occurrentium dubiorum solutiones facile colligeret.

Abjectis igitur longe a se curis pristinis et in Dei obsequium tantum penitus translatis, exercitiis spiritualibus, grammaticæque perdiscendæ se totum dicavit ; et in utrisque adeo breviter (imo potius miraculose) profecit, ut non solum ad suscipiendos Sacros Ordines, sed etiam ad Sanctorum libros ac quæcumque moralia scripta plene intelligenda valde idoneus judicaretur. Et in vita spirituali tam solida jecit fundamenta, ut ab eorum progressu et profectu, nec parum quidem propter ministeria a Superioribus injuncta ad obedientiæ meritum, nunquam deflecteret.

Professione itaque in festo S. Mathiæ Apostoli, anno 1567, emissa, illisque feliciter peractis quæ recenter professis communiter injunguntur, alia, quæ solum in Religione provectioribus et aptioribus solent committi, a suis Prælatis, summo omnium plausu, ei demandata fuerunt. Quorum primum fuit officium Procuratoris ; in quo tanto virtutum ardore, tantaque proximorum ædificatione se gessit, ut nullus ex hu-

jus Domus alumnis (juxta communem omnium traditionem) ei præponi debeat. Nam in rerum temporalium expeditione, tanta facilitate usus est, quanta (si nihil aliud ei incumberet) posset. Ita etiam vitæ spirituali fuit addictus, ut ab exterioribus immunis omnino videretur ; tantaque fruebatur animi tranquillitate, quanta posset monachus in cella privatus.

Ad primum, valde utilis fuit maxima quam habebat Arithmeticæ peritia et usus, veloxque calami largitas. Et signanter tam mira ad omnes Regulares et laicos gerendi suavitas, ab omni tædio, ira, ac mentis, operum verborumque turbatione ac indignatione penitus aliena, ei a Domino data fuit, ut factis seu saltem verbis (si aliter non posset) omnibus satisfaceret : sicque nemo unquam ab eo mœstus recessit. Ad alterum, duo aut tria maxime eum adjuvere : mentali scilicet vacare orationi, spiritualium librorum lectioni insistere, et denique nullo tempore otio deditum esse; quod omnium bonorum fontem omnes experimur.

Quæ, licet in se diversa, ejus tamen indesinenti ac mirabili cura, mutuis se in eo juvabant obsequiis, illiusque præclaras virtutes maxime commendabant, atque ad perfectionis culmen pervenisse non obscure demonstrabant. Nam cum summa in expediendis negotiis facilitate potiretur, cunctis, quæ ad Procuratoris officium spectant, breviter expletis, fere semper sequebatur diu ac noctu Conventum, tam in choro, quam in aliis cellarum privatis ac spiritualibus exercitiis. Omnibus itaque ad nonam usque pomeridianam horam plene satisfactis, quia non omnes pro sibi necessariis eodem sed potius diverso veniunt tempore, regulariter, intervalla quæ supererant (ne brevi saltem vacaret momento) in legendis D. Gregorii Operibus (erga quæ maxime affectus erat) expendebat usque ad dictam horam nonam. In qua cunctis jam compertum erat aditum ad eum esse interclusum, ut Deum solus alloqueretur : in quo liberius et expeditius, quam cæteri, se gerebat.

Non enim se totum negotiis implicabat temporalibus; sed quasi se ipsum dividens, partim tantum se illis dabat. Partim vero interius recollectus, dulciaque cum Deo miscens colloquia ; cum lectionibus sacris salubres conjungens meditationes, quibus denuo animus se ad certamina graviora præparabat ; se ipsum de die in diem sapienter renovans ac de virtute migrans velociter in virtutem : sicque meditationis ac contemplationis illustrationibus ac radiis fere continuis, Dei Syon ejusque perfectissimæ voluntatis prompte et integre exequendæ mentem agnitione adimplens ; piis sine intermissione, quantum licebat, exercitiis proficue insistebat. Vespere, mane et meridie istud agens indesinenter, nullum tamen Procuratoris officii obligationibus præjudicium inferebat : omnia adeo exacte

observans, ac si uni tantum incumberet negotio.

Quæ sane vivendi non minus prudens quam perfecta ratio, maxime utilis, imo prorsus illi necessaria fuit : quatenus posset graviora onera, a Deo provido Parente sibi tanquam dilecto et forti filio imposita, æquanimiter tolerare. Imposuit enim validis illius humeris gravissimæ ægritudinis onus, quæ illi usque ad mortem fuit comes inseparabilis. Supervenit namque illi adeo ingens ac vehemens renum dolor, ut præ magnitudine ac illius acerbitatis fortitudine, sanguinis (per urinæ viam) pateretur fluxum : eum ad equitandum et standum omnino reddens impotentem.

Hæc, inquam, infirmitas ad sui medelam onerosa et gravis, et ob purgationem sordida, nostrisque Cartusiensibus cibis opposita penitus, nullatenus eum ad impatientiæ vitium, nec ad indignationis insaniam, facilem effecit; sed potius æquanimitatis ac patientiæ potioris tam præclara dedit signa, ut omnium admiratione et profectu, obedientiæ ministeria ac spiritualia exercitia ita religiose et prudenter in finem usque sine interruptione perduxerit, ut spiritu facta carnis, passiones exquisitasque querelas perfecte mortificans, nec Prælatis nec coquinæ ministris neque pharmacopolis fuerit unquam molestus; imo nec aliquid asperum aut suave minus in verbis seu factis in eo sit expertum ab aliquo, ex innumeris, quos frequenter Procuratores ob injunctum officium necessario alloquuntur, et quorum opera et industria utuntur ad negotiorum expeditionem. Quod, sicut rarum, ita omni laude dignum fuit.

Prædictæ vero ægritudinis molestias singulari quadam animi fortitudine ac tolerantia perpessus est : eamque sibi in futuræ gloriæ pignus datam recognoscens, se omnino in illius sustinentia beatum reputavit. Ex qua (quod mirum quidem est) nulla ei virtutum diminutio, sed maximum earum omnium certe contigit incrementum. Perfecti enim viri ac præcipue Religiosi animus doloribus, injuriis ac tribulationibus ingenuus pulchre redditur, ejusque virtutes semper augentur mirabiliter. Instar enim ferri candentis aquæ rore in ferraria magis obdurati, sic istius venerabilis Patris mens, his et similibus tentata tribulationibus, magis magisque fuit roborata, et ad difficiliora et duriora certamina et spiritualia lucra divino quodam modo se instruxit fortiterque præparavit.

Et quod silentio prætereundum non est, in tam crebro morbo tot molestiis et doloribus referto, ad nullius notitiam pervenit alio levamine usum fuisse, quam infirmorum in choro sede : quam continuo servavit, usque dum Vicariatus hujus Domus officium (ad quod evectus fuit) hac etiam brevi et levi commoditate eum carere coegit necessario.

In hujus officii functione cunctis patuit suæ observantiæ perfecta, integra

ac vigilans cura et custodia. Et præcipue circa divinum cultum, ejus zelum ardentem universi facile noverunt : in quo nihil negligendum, nihil dolendum leviter, nihil denique parva pœna plectendum et existimabat et sæpius inculcabat.

Cum autem ex officio (absente Priore) Præsidens esset, simulque Sacerdotem ageret hebdomadarium ; qua de causa ei incumbebat Evangelium præparare legendum in choro post Matutinas, eique regestum apponere; cujusdam Festi Capituli Vesperis, per oblivionem hoc omisit facere. Absolutis itaque Matutinis, cum ad Evangelii lectorium cantaturus illud pervenisset, ob regesti defectum, longiorem solito moram (id exquirendo) cum cessatione seu divini Officii interruptione, ac aliqua perturbatione Conventus, præter intentionem, summo cum rubore ac dolore fecit. Et quamvis excusabilem reddere possent hujus Domus negotia (quibus Prælati fere semper in ea abundant), se tamen modis omnibus indicabat inexcusabilem; unde firmiter statuit suam hanc culpam in se ipso punire graviter.

Cum ergo sequenti die prandendi hora advenisset, et, impensa jam benedictione, ut comederet ad terram se præpararet, ac tantæ humilitatis demonstratione cuncti raperentur in suspensionem, aliqui festinanter ex antiquioribus Patres, ut desisteret ab incœpto eum obnixe efflagitare cœperunt. Sed ipse eorum requisitioni non esse pro tunc annuendum censuit; sicque toto prandii tempore, præclaro etiam cum propriæ abjectionis internæ odore, humi jacens permansit.

Contemptus denique hujus caduci et perituri sæculi, rerumque ejus cunctarum quas tanti alios pendere misere conspicimus, in colendissimo Patre nostro Balthazare, pari in omnibus, ut aiunt, ambulabat passu cum eo, quem prædicta mirabilis humiliatio de se habere manifeste testatur.

Sed cum honores (umbræ instar) sicut fugere ambientes, ita sequi eos fugientes ipsa quotidiana constet experientia, ita prorsus contigit huic humillimo viro. Quantum enim ille a cunctis despici magis appetebat, tanto amplius eum ab omnibus, verbis et factis, in cœlum usque extolli Deus suis incomprehensibilibus judiciis occulte et suaviter disponebat. Quapropter universi in communem et privatam eorum utilitatem ac spiritualem profectum, ob eximias et innumeras ejus virtutespotioresque animi dotes, ac talenta præstantiora omnibus hujus monasterii satis nota, non sub modio sed supra candelabrum collocatum, ut cunctis luceret, summe videre cupiebant.

Vacante itaque Prioris officio, eum (sicut jam diu in votis Patres habuerant) in hujus Domus Superiorem eligere firmiter decreverunt. Sed quia ob prædictum suum gravem morbum equitare, ac consequenter Priorali dignitate decorari ac fungi (juxta nostram vivendi

normam) præpeditus existeret; hoc per Priores qui electioni interfuerunt cognito, præclarum Balthazarem nostrum super jam sæpe memorata ægritudine publice interrogantes, sanctæ obedientiæ virtute præceperunt, quatenus eis distincte aperiret, an morbus quo laborabat adeo esset gravis, ut ad subeunda Prioratus onera manifestum illi præstaret obicem. Quibus absque ulla hæsitatione humillimus Pater tale breve fertur dedisse responsum : « Ego, Venerandi Patres, indignus et prorsus impotens sum quatenus in Priorem promovear. Infirmitas enim (quam diu per Dei bonitatem patior) vere et incomparabiliter excedit omnem quam et Dignitates vestræ et alii cæteri de ægritudinis meæ totali impedimento existimationem animis suis conceperunt. »

Quod plane factum est perpendendum sedula meditatione. Sollicite enim considerare nos admonet, quanta vir iste eximius humilitate et honorum contemptu esset præditus. Cum enim nemi nem lateat non semel dispensatum cum aliis super similibus impedimentis fuisse, facillimo quidem negotio dispensationem ei concessissent : qui eumdem, prædicto responso id non præpediente, haud dubium esset quin in Priorem, suo et cunctorum summo alacritatis affectu, statim essent electuri. Sed citra ullam habetur ambiguitatem, silentium, quod hujusmodi observantissimi viri electioni fuit impositum, ex responso emanans, ei vero, quem habebat, dignitatis despectu, licet prætextu sui morbi præstiterit, provenisse. Ex quo pluris apud omnes haberi cœpit, magnarumque ejus virtutum splendor ac bonus odor longius latiusque quam ante diffusus est.

Hæc sunt ex multis pauca, quæ ex hujus venerandi Patris felici vita intelligere et probare possumus. Qui, suo tandem expleto desiderio et vitæ cursu, toleratisque patienter ac libentissime tot tanti morbi molestiis, necnon Ecclesiæ Sacramentis receptis, atque gratiis et plurimis nostræ Religionis indultis fruitus maximeque omnibus ditatus, lætus tandem obiit, die 29 Decembris, anno 1585, et suæ professionis 18.

MATTHÆUS HERVAIN

PRIOR GOSNAY

Insulensis. Ab ineunte ætate quieti et solitudini deditus; absolutis literarum studiis, Sacerdotio initiatur. Postea in hac eremo habitum monasticum induens, tanta præcelluit morum mansuetudine (quam quidem sibi mortificatione comparaverat) cæterisque virtutibus, ut apud omnes tanquam Sanctus audiret. Magnus Ordinis et observantiæ zelator, se se semper in omnibus exhibuit irreprehensibilem. Institutus primum Procurator, deinde Vicarius, postea Prior, non equitans sed pedibus ibat, etiam ad Cartusiam Majorem. Statutorum

observator accuratissimus, iota unum vel apicem nunquam scienter præteriit. Strictissimus etiam silentii custos, vix unquam verbum protulit otiosum. Vacabat semper vel lectioni vel orationi : unde non mirum si in conversatione gratiosus appareret, modestus, hilaris, pius et affabilis.

Singulari ferebatur devotione in augustissimum Altaris Sacramentum. Quod ut frequentius veneraretur, quamdiu privatus in cella vixit, singulis horis pergebat ad oratorium cellulæ suæ, ubi, genibus flexis cum magna reverentia, sacratissimum Corpus, non secus ac si Christum præsentem vidisset corporeis oculis, adorans, se ipsum in viventem hostiam offerebat in unione illius oblationis, qua Salvator noster se se in ara Crucis immolaverat Deo Patri.

Officii divini cultor fuit eximius. Ob assiduam recollectionem et intimam cum Deo unionem, cum laudibus intererat divinis, audiens non audiebat, videns non videbat, nisi ea quæ sui erant muneris et officii. Ibi tam bene compositus apparebat, ut omnes angelica plane sua modestia excitaret ad mentis devotionem. Humilitatis et charitatis summopere studiosus, tam famulis, quam monachis omnia, quæ poterat, harum virtutum præstabat officia. Prioratus abdicata dignitate, totus Deo deditus, jejuniis vacans et obsecrationibus die ac nocte, Numen divinum ita sibi amicum reddidit, ut post mortem inclaruerit miraculis. Beatam animam efflavit anno 1621, 29 Decembris, annos natus 80. Multis sæcularibus precibus suis opem tulit.

Ex Mss. Cartusiæ Gosnay.

BRUNO DOUTELAIR

PRIOR GOSNAY

Patria Sylvæducensis. Literis instructus, anno ætatis suæ octavo decimo Bruxellas venit eo tempore, quo Dux Parmæ cogebat exercitum pro solvenda obsidione Parisiensi. Junxit se nobilissimo Domino de Claerhont baroni de Maldeghem, qui sub præfato Duce turmam equitum ducebat; et cum nondum suppeterent illi vires, quibus ferret ponderosa horum equitum arma, factus est ejusdem Domini de Claerhont secretarius et socius ejusdem Gallicæ expeditionis. Deinde soluta obsidione, ac pace ibidem composita, reversus prædictus Baro ad propria, duxit secum fidelem suum secretarium ; iniensque conjugium, paulo post sublatus, uxorem reliquit viduam multis gravatam debitis. Hæc, unicam spem in domino Doutelair œconomo suo ponens, ei confidenter totam suam domum tradidit : quam paucorum annorum spatio, solutis debitis, quæ ad aliquot centena millia excreverant, ille in pristinum restituit splendorem. Interim vidua duas quas habuerat ex viro filias nuptui dedit, seniorem Comiti de Croix, junio-

rem nomine Franciscam Illustrissimo Balthazari de Zuniga revertenti ex Germania, ubi functus fuerat legatione apud Imperatorem, sicut prius fecerat apud Archiducem Albertum.

Cum autem esset Bruno domini Comitis de Croix œconomus, divino afflatus Numine, clam apud monachos Gosnay, quos antea familiariter inviserat, se recepit, Religioni nostræ daturus suum nomen. Ubi consilium hoc innotuit Comiti, qui multum Brunonem diligebat, statim accedens ad Cartusiam, omnem movit lapidem, ut Ordinis nostri candidatus voluntate mutaretur. Verum cum illum in proposito constanter perseverantem animadverteret, veritus ne obsisteret Dei consiliis (erat quippe vir timens Deum et operibus pietatis addictus), acquiescens, non sine doloris sensu dimisit secretarium. Discessit tamen multum contentus Brunonis sermonibus; adeo ut inclytus Comes una cum sua prole se se benevolum simul et beneficum in hanc Cartusiam et Ordinem nostrum exhibuerit, præsertim autem dum venerabilis Bruno, Priorem agens, apud Comitem diverteret: a quo pro Cartusia Bruxellensi, dum ibi præesset, recepit tria millia scutorum.

Cum successu temporis fuisset institutus Procurator, præcipua illi cura fuit exterioris hominis religiosa compositio; unde supervenientes omnes nequirent satis mirari ejus in incessu gravitatem, in oculis modestiam, in verbis prudentiam. Anno 1612 hujus monasterii regimen capessens, multum profuit non solum in spiritualibus virtutum suarum fragrantia, verum etiam in temporalibus decore majoris claustri adscito, aliorumque ædificiorum constructione.

Tam honorifice bonus Pater sentiebat de suis Religiosis, Fratribus et domesticis, ut, si sermo de eis inter confabulandum occurreret, statim Bruno effusus in eorum laudes, non cum hominibus sed cum Angelis se conversari testaretur. Cum aliquando nobilissimus Comes de Croix in ejus adventu ad castrum de Boncourt occurrisset, « Raro, ait, Pater mi, dignamur tua frui præsentia. » Respondit Bruno : « Tantam invenio consolationem inter meos Angelos, ut ab eis avelli mihi grave sit. » Talis ac tanta, quam religiosus et optimus Pater de suis filiis habebat, opinio, illorum amorem tantopere ad se convertit, ut omnes vicissim semper et ubique eum revererentur ac suspicerent velut verum et bonum Pastorem.

Tanta morum et verborum suavitate præditus erat, ut ejus colloquia devotionem instillarent. Ejus religiosa conversatio tres suos nepotes ad Ordinem nostrum attraxit : de quo postea bene meriti, diversa munia laudabiliter obiverunt.

Illa interim, in qua erat Bruno noster, existimatio, multam Cartusiæ Gosnayensi authoritatem præbuit apud Magnates cum notabili emolumento, prout testantur eorum insignia in majori claustro apposita. Non modica im-

primis pollebat apud Belgarum Principem Albertum gratia, qui eum sæpius dignatus est familiari alloquio. A quo intelligens continuas difficultates, quas Domus Gosnay patiebatur a Domino de la Buissière, donavit eidem Cartusiæ in perpetuum suam dominationem, quam huc usque possederat in ipso pago, vulgo dictam *la Visomrtière* [sic in Ms., al. *la Viscontière*], ut posthac esset nobis in præsidium contra istum Dominum. Insuper obtinuit confirmationem privilegiorum nostrorum, cum obligatione unius Anniversarii per singulos annos post festum Omnium Sanctorum : in cujus testimonium pius hic Pater apponi curavit fenestram vitream cum ipsius insigniis et effigie. Eodem ferme tempore impetravit ab eodem amortizationem novæ plantationis de Doloribus Beatæ Mariæ juxta Insulas.

Attamen cum talis esset ac tantus, desiderio indicibili tenebatur latere infra unius cellulæ ambitum; ubi, quantum poterat, cum Deo conclusus, solebat assidue commorari. Inde rediens ad Confratres suos, quicquid abunde recondiderat in arcano sui cordis sic fructuose ac sapienter eructabat, præsertim extraneis supervenientibus, ut universi ejus modesto sed tamen grato occursu non minime ædificarentur. Studebat namque non tam verbo, quam exemplo cunctis prælucere. Quoties suæ conversationis pristinæ recordaretur, ingemiscebat se jam a tumultu negotiorum supervenientium impediri : anhelabat quippe ad amicam solitudinem.

Isabella Eugenia, relicta Principis Alberti Archiducis, pia Brunonis (qui translatus est ad Prioratum Bruxellensem anno 1621) conversatione ita delectabatur, ut sæpius eum accerseret, familiari colloquio usa ; adeo ut nonnunquam ipse repleretur confusione : sed maxime cum a PP. Societatis Jesu esset invitata ad ipsum S. Ignatii Canonizationis festum. Cito jubet V. P. Priorem huic interesse Solemnitati. Paret illico pius Pater. Humiliter reverenterque Isabellam salutat; at illa innuit, ut juxta se sedeat in sede præparata, in tam solemni concursu. Tum ille plurimum confusus, quantum unquam fuerit in omni vita sua, sicut postmodum declaravit, humiliter ac constanter se excusat. Tum illa rogat iterum, ac tandem imperat, adjiciens se habere quod loqueretur post majorem Missam. Taliter enim ipsa Serenissima Princeps ejus delitiabatur colloquiis, quantum in ullo alio civitatis Bruxellensis Religioso.

Tempore obsidionis Sylvæducensis, eadem Archiducissa intimavit Brunoni se magno teneri desiderio honorare Divam Virginem miraculis claram, quæ in veteri Cartusia extra urbis muros frequenti civium concursu colitur. Confestim Prior Bruxellensis illuc pergit cum suo Procuratore, illam cum omni comitatu venientem salutaturus. Post preces et vota surgens devota Princeps, dolenter conqueritur de insolentia Hæ-

reticorum, aliosque miscuit sermones tanta cum familiaritate, ut adstantes universi mirarentur. Tandem in eodem loco refecerunt de cibis, quos religiosissima mulier jusserat adferri.

Cum Illustrissimus Dominus Balthazar de Zuniga, Hispanus, marchio Villæ Majoris, in suo reditu a legatione qua functus fuerat ad Principem Albertum nomine Regis Catholici, tanta intellexisset a sua conjuge Francisca de Claerhont, filia Comitissæ de Maldeghem, venit cum amplo comitatu videre Brunonem, tunc Moderatorem Cartusiæ Gosnayensis. In primo illo V. Prioris occursu, deprehendit ejus probitatem; unde statim eum complexus, bis terve de gentis more, intravit templum, ubi adorato Deo, claustrum perambulavit.

Post dulcia colloquia vir nobilissimus iterum eum amplexus, obtulit ei omne obsequium apud Serenissimum Regem Catholicum. Insuper, ut certa memoria suæ visitationis remaneret, suis expensis apponi curavit in nova parte majoris claustri tres fenestras vitreas : primam ad memoriam Philippi III regis Hispaniæ, secundam in futuram felicitatem Philippi IV ejus filii, tertiam in luculentum suæ ac dilectæ conjugis benevolentiæ testimonium. Supra modum autem nobilis ejus uxor gaudio affecta, quippe quæ Brunonem a teneris annis dilexerat, et habuerat loco patris, quibus modis aut verbis ei regratiaretur ignorabat : et hoc cum tanta animi teneritudine, ut vix posset continere lachrymas. Obtenta tandem ejus benedictione sibi ac filiis, cœptum iter prosequitur.

Ab ipsa celebri visitatione, fama ubique volavit ipsum fuisse S. Audomari Antistitem designatum; unde non pauci accurrerunt fausta adprecantes. Quo rumore vir religiosus talem sustinuit confusionem, ut deinceps non auderet prodire in publicum; sicut declaravit Patri seniori, dicens : « Miror equidem, quod mundus audeat proferre talia, quæ nunquam in cor meum ascenderunt. » Tanta certe erat in illo humilitas, ut eo profundius se se demitteret, quanto altius per bonam famam apud alios elevabatur.

Nec silentio prætereundum est quod, cum ipse ageret Procuratorem monialium Gosnay, clausæ fuerunt moniales, construxitque magnum istum murum, qui modo claustrum continet. Sed hoc notatu dignum, quod, quamvis omnes moniales unanimi consensu clausuram expeterent, præter unam quæ se opponebat, summus Ordinis nostri Præses nunquam voluerit præbere consensum, donec et illa in scriptis suum daret suffragium.

Semper hic pius Pater in primævo fervore perseveravit : qui, ab ipso in Religionem ingressu, velut sapiens architectus, spirituale domicilium construere volens, ne aliquando illud corrueret, virtutum stabile fundamentum positurus, lapides sibi ad structuram necessarios esse ratus, tum humilitatem tanquam basim firmissimam, tum obedientiam

et mortificationem summo studio sibi comparare studuit. Cum autem inoffenso pede stadium perfectionis monasticæ decurrisset, non morbo sed senio tantum confectus, collectus est ad Patres suos, die 29 Decembris, anno 1639, octogenario major.

Diu ante mortem decubuit : tam tenacis memoriæ, ut omnes Chartas quæ Provinciam Teutoniæ (cujus antea fuerat Visitator) alternatim sibi juberet afferri. In ipsa suæ mortis die, videns circumfusam monachorum turbam, egit prædicatorem ; clarissima voce singulos admonens, incipiens a senioribus, in hæc et similia verba : « Tales et tales habes defectus. Toties te admonui, nec te emendasti ; saltem jam resipisce. Sæpius, proh dolor ! dissimulavi. Ecce nunc propero ad Judicem, qui horum exiget a me rationem ; intercedite pro me, ut Eum placatum inveniam. »

Ex Manuscriptis.

XXX DIE DECEMBRIS

GUARINUS

CONVERSUS CARTUSIÆ

Unus ex sociis sancti Patris nostri Brunonis; obiit die 30 Decembris, circa annum 1102. De eo jam actum est, simul cum F. Andrea, ad diem 24 Novembris.

JOANNES SEMAN

PRIOR LONDONIARUM

Hujus monasterii alumnus; cujus moderamini admotus anno 1449, cum vir bonus et humilis Præfecturam abdicare voluisset, anno 1456, non solum non fuit voti compos, sed per generale Capitulum institutus est Angliæ Visitator. Tandem, anno 1462, ad magnam (ut loquitur Charta capitularis) et importunam suam instantiam jam annis pluribus factam exauctoratus, diuque postea in cella superstes præstolans salutare Dei, animam efflavit anno 1472, die 30 Decembris.

Ex Catalogo Priorum hujus Domus.

JOANNES DE VENETIIS

PRIOR VENETIARUM

Dictus etiam Joannes a Deo, quondam Prior Paduæ et Venetiarum; vir in Divinis Scripturis studiosus, ingenio præstans, vita et conversatione religiosissimus, ac cultor præcipuus obser-

vantiæ regularis. Cujus pietas amplius adhuc ex scriptis ejus operibus elucet. Ejus obitus signatur in Charta Capituli generalis anni 1484.

Ejus meminerunt Ganneronius in suo Cartusiensi Martyrologio ad diem 30 Decembris; Sutor, lib. 2, de Vita Cartusiana, tract. 3, cap. 7; Bibliotheca Cartusiana.

JOANNES BRUNI

MONACHUS PETRÆ CASTRI

Hujus eximiam conversationem laudat Charta Capituli generalis anni 1508 his verbis : « D. Joannes Bruni, monachus professus Petræ castri, qui sexaginta octo annis laudabiliter stetit in Ordine, habens Anniversarium sub die obitus sui, qui fuit penultima Decembris. »

ISABELLA DE BERGUES

MONIALIS GOSNAY

Hæc prima fuit, quam venerabilis Mater Isabella de Wignacourt Priorissa ad professionem admisit, postquam antea discipulam per novennium ad omnem instituisset pietatem. Ex illustrioribus Belgii familiis oriunda, dum aquis lustralibus initiaretur, infans a parentibus accepit cognomen Dominæ de Gosnay. Sicque a teneris annis cultui divino velut consecrata, vix erat rationis particeps, cum parentum votis obsecundare desiderans, septennis adhuc, ad hoc parthenium asportatur. Corpus nullo lethali peccato labefactatum non secus ac hostem crudelissimum ita dure per 82 annos, quibus in hac Cartusia vixit, tractavit, ut ei semper, quantum potuerat, denegaverit quietem, cibum et relaxamentum, ne caro adversus spiritum concupisceret. Dicebat identidem, Religiosam debere se gerere in omnibus quasi surdam, mutam et cæcam. Diu Subpriorissæ officio perfuncta, tandem in sancta senectute viam universæ carnis ingreditur, anno 1625, die 30 Decembris.

Ex Schedis hujus monasterii.

ACACIUS CARILLUS

CONVERSUS DE COVIS

Natus in oppido de Velez, in Malacitano Episcopatu; inter hujus eremi Conversos adscriptus, angelica simplicitate, humilitate profunda, ardenti charitate ac heroica prorsus obedientia præcelluit. Ad has virtutes iter sibi straverat per assiduum orationis et contemplationis studium. In audiendo Missæ Sacrificio indefessus, se se litantibus ministrum lubens offerebat, frequentissimeque sacro Epulo saginabatur.

Aliquando ad sanctam accessurus Synaxim, sacerdoti porrexerat sacrifici panis plagulam. Verum, consecratione peracta, accersitus a Priore Acacius,

incunctanter exurgens, dixit uni adstantium, ut moneret sacerdotem suscipere Hostiam, quia a Prælato vocabatur. Res mira! quæ quidem olim divo Bonaventuræ contigerat. Presbyter communicaturus, huc atque illuc minorem Hostiam diligenter inquirens, neutiquam invenit : Deo, in obedientiæ servi sui præmium, ejus animam invisibiliter reficiente.

Hujus virtutis eximius cultor, et in ea miros in dies progressus faciens, meruit ab omnibus vocitari obedientiæ Martyr. Cum enim fuisset deputatus ad ministrandum beatæ memoriæ Didaco de Guelvar Priori de Covis, ipseque Didacus a quodam pseudomonacho lethaliter vulneratus conclamaret, illico Acacius accurrit; irruensque in parricidam, ne Priorem sanguine suo cruentatum omnino interficeret, ipse ab homicida mortifero affectus vulnere, aliquamdiu supervixit, pro aggressore orans ad extremum usque spiritum : quem feliciter emisit a Deo laureandus, anno 1630, die 30 Decembris.

Ex Manuscriptis.

JACOBUS LE MASSON

PRIOR VALLIS DEI

Anno 1637, die 30 Decembris, moritur, relicta sanctitatis opinione; cujus signa ab ipsis crepundiis dedit non obscura. Eminebat enim jam tum atque apparebat, in teneris illis atque puerilibus annis, anima, ut de se dixit Sapiens, bona, et præcipua quædam ad virtutem indoles, simplex morum candor : quæ satis significabant, quæ Christianæ ac religiosæ perfectionis in viro ætate perfecto esset futura maturitas. Optimæ huic indoli non optimorum parentum studium, facultas, rerumque copia defuerunt : quibus illam eo diligentius optimis virtutibus et institutis excolerent, quo et curæ et expensarum optatissimos fructus animo et spe in dies majore complecterentur.

Quare, vix primæ ætatis crepundia deposuerat, cum parentes eum, domo amplexibusque abductum, in celeberrima Parisiorum (unde oriundus erat) Academia apud sapientissimos præceptores esse voluerunt. Ibi totum hoc adolescentiæ tempus, quo plerique id ætatis licentiori passionum impetu feruntur in quaslibet voluptates, summo parentum oblectamento perdiscendis optimarum artium disciplinis assidue collocavit. Hinc ad Hebræas literas, Jurisque præsertim Canonici scientiam statuit animum appellere ; ad quam tanto mentis ardore et studio diu noctuque contendit, ut brevi evaserit earum pereruditus. Ei enim familiare erat totas noctes impendere in studiis, donec a vicinis (quibus id erat accensæ lucernæ indicio exploratum) parentibus delatus, horum jussu coactus est aliquid de immoderatis studiis remittere, consulereque suæ incolumitati, quæ

eam ob rem summum in discrimen devenerat.

Neque majori literarum quam Christianarum virtutum amore tenebatur, earumque imprimis, quibus decoratur maxime laudaturque adolescentia et juventus : ita ut, si a notis omnibus, eximiæ eruditionis fama, sic et pietatis, verecundiæ, temperantiæ, modestiæ, castimoniæ (virgo enim permansit), omni denique morum integritate, conspicuus haberetur. Iis virtutum ac disciplinarum præsidiis instructus, viam ad opes et vanam gloriam sibi munire poterat quidem, sed juvenis maxime pius, Christi altaribus se suamque operam maluit addici consecrarique.

Itaque Canonicorum celeberrimæ Carnotensis ecclesiæ sacro Collegio adscitus, mox in omnium venit prædicationem, ut Phidiæ signum simul aspectus ac probatus : non solum omnibus amabilis et charus, sed et utilis et necessarius. Inerat enim viro laudatissima totius vitæ ratio, modestissimi ac castissimi plusquam antea mores, vultus et incessus gravis, frugalis mensa, munda vestis admodum, decens et honesta, obsequentissima in amicos et familiares comitas et charitas. Nam præter communia quædam Societatis negotia, quorum cura penes illum posita erat, si quis illorum minus peritus privatarum rerum pondere premeretur, unus erat Jacobus, qui eorum in sinu suo deposita sustentaret onera, si non minori industria quam fide gereret.

Nec minori studio pauperes Religiososque complectebatur : testis illa Capucinorum integra Familia, quam ob bellicos motus, tum multarum rerum, tum vel præcipue tecti penuria laborantem, in ædium suarum partem hospitio excepit, habuitque humanissime. Quamobrem eum omnes, infimi summique, diligebant.

Tum vel maxime vir eruditionis et virtutis laude insignis, Nicolaus Thuanus Carnotensis episcopus, clarissimi Præsidis frater, Jacobum singulari amore et benevolentia est amplexatus; adeoque familiariter commodissimis ejus moribus usus est, ut domi forisque vix eum a suo latere discedere permitteret.

Inter eximias hujus Præsulis virtutes, amor divini cultus studiumque ecclesiasticorum Officiorum maxime enituerunt. Unde si quid circa ea faciendum, si quid statuendum, vel corrigendum esset, uni Jacobo, uti viro pio, erudito, atque huic muneri maxime idoneo, confestim ejus cura demandabatur. Quanto autem devotionis affectu, quanta gravitate et modestia divinis illis intererat Officiis, ex eo, quod audire non pœnitebit, facile conjici potest.

Honestissima quædam matrona, cum Nostrum cuipiam in Jacobi laudes dixisset multa, subjecit quomodo et quando illum primum nosse contigisset : nempe cum, voti gratia, ipsa cum alia quadam nobili muliere, sacram Deiparæ Carnotensis ædem aliquando ad-

iisset, ac pia quadam curiositate insignem ac numerosum illum Canonicorum cœtum collustrasset. Ecce illic Massonius, Angelo quam homini similior, gravitatis, modestiæ, eximiæque devotionis exemplo micans inter omnes, ut ait quidam, « velut inter ignes Luna minores, » mox certatim intueri, sibi mutuo indicare, laudare, mirari. « O qualem virum! O hominem præstantem (aiebant), vere Carnotensis Ecclesiæ decus et ornamentum! » Porro hoc virtutis pietatisque simulachro mirum in modum affectæ mulieres, e templo discedunt, devota tamen alta mente reposta Jacobi specie.

Unde cum postea audiissent Carnotensem Canonicum quempiam in hac Dei Valle Ordini nomen dedisse, illa mox in mentem specie revocata, nihil vehementius nosse desiderant, quam quis ille esset : num quem nuper tanta pietate et modestia ornatum mirabantur? Haud vana suspicio. Quæritant, sciscitantur ; et cum nulla responsio faceret satis, huc accedunt ipsæ, atque illo viso probeque cognito, singulari profusæ lætitia, actis omnium bonorum Auctori gratiis, tantum virum huic Valli Dei atque Ordini ex animo gratulatæ sunt.

Unde colligere licet quam probus, quam sapiens, quam castus, modestus, piusque fuerit. Sed quomodo Institutum nostrum professus sit, dicam breviter.

Henrico III adhuc regnante, Vallis Dei visendæ et nostri Ordinis suscipiendi desiderium jam ejus mentem incesserat. Inter moras Henrico vita defuncto successit Henricus IV, cui inter cæteras Galliæ urbes religionis causa rebelles, Carnutum non erat in postremis, nec inter fœderatos Jacobus zelo zelatus pro Domino exercituum. Cum nihilominus civitas in Henrici ditionem venisset, et pro Rege facto jam Catholico (nondum abolita a Summo Pontifice anathematis nota) publice litaretur, id Massonius contra Canones et sacrosancta Patrum scita fieri non sustinens (adeo cordi erat zelus Catholicæ religionis), maluit et bonis et urbi cedere, quam ulla ratione pollui. Ergo petit Aurelios. Mox omne supellectile, instructissimæ ædes et quæcumque illius esse noscerentur, exceptis nonnullis a familiaribus interversis, a Regiis diripiuntur.

Ille vero Aureliis degens, tum demum cogitare cœpit serio, quam vana, quam procellosa, quam denique misera esset rerum humanarum conditio. Vallem Dei revocat in memoriam ; et quod antea vel sola cogitatione, vel levi tantum delibarat desiderio, jam ex animo perficere parat. Itaque hujus Domus Priori cæterisque monachis, gravibus imprimis ac elegantibus literis suum exponit consilium. Ex ungue leo : et ex sermone noscitur vir insignis, et nunquam visus diligitur ac desideratur. Compositis ergo rebus suis, arbitratus nihil esse adeo difficile, quod non Dei

amore superetur, viam et frigidissima tempestate difficillimam et infestissimam latrociniis pedes aggreditur cum uno famulo, truncata hinc inde fœde barba, clericali et oblonga quidem sed obsoleta et detrita veste de industria ad id coempta, qua deviis, qua nocturnis itineribus, multis perfunctus laboribus et periculis, conficit incolumis, anno 1593, mensis Januarii quinto.

Hic perhonorifice suscipitur, et statuto tempore, communi omnium voto in societatem admissus, summa cum animi voluptate novus Christi miles induitur. Si per literas sermone absens antea, tum vel maxime præsens omnibus placebat opere, charitate scilicet non ficta, obedientia prompta et alacri in omnibus muniis, stricto silentio, constanti devotione, et aliis virtutibus, quas recensere longum foret. Sed unum, præter cæteras et solitas Satanæ machinationes, quod strenuum tyronem ad solidas virtutes festinantem impedire videbatur, fuit quod infirmaretur a jejunio, et caro ejus immutaretur propter oleum. Sed contrariis omnibus, arrepti amore propositi, superatis, et constituto probandis Novitiis cursu feliciter consummato, gratus probatusque omnibus vota sua solemni ritu nuncupavit, postridie diei sanctæ Agathæ, anno 1594.

Inde Jacobus cernens quibusnam vinculis adipiscendæ perfectioni addictus teneretur, huic uni maxime incumbit, ut, sæculo sempiternæ oblivioni tradito, sic currat propositum sibi certamen, ut ad bravium supernæ vocationis pervenire tuto mereatur. Erat imprimis cellæ ac silentii cultor eximius, impense deditus Sacris Scripturis et optimis quibusque Scriptoribus legendis, honestus, gravis, cæterisque virtutibus religiosis exornatus. Cum autem aliquandiu Coadjutoris munere functus fuisset, Priori Vallis Dei, Domui Parisiensi præfecto, subrogatur omnium suffragiis. Reclamat ejus humilitas, Præfecturam recusat, onus aiebat suis humeris impar, causatur sui corporis imbecillitatem ; sed invitus tandem, mense Junio anni 1598, impositum munus suscipit.

Jam dux cæterorum et caput, ne minus exemplo quam gradu et dignitate suis præesset, hoc unum satagit, ut omnibus se impertiat irreprehensibilem : quod omnibus quidem Prælatis, sed sibi intelligebat tunc temporis esse maxime necessarium.

Etsi enim Ordo noster is sit, qui nulla adhuc indiguerit reformatione, quippe qui in suo semper Vitæ rigore steterit et splendore ; sæculi tamen superioris tot bellorum procellis turbulentissimi injuria, cum præ hominum penuria non satis eorum haberetur delectus, masculum monasticæ disciplinæ genus, si non in toto Ordine, certe in non paucis Domibus, non parum deflectebat. Nimirum, quod multis jam aliorum Ordinum Familiis, id nostræ tunc evenire videbatur. Nam primum

quidem cura interioris hominis neglecta, omnisque devotionis religionisve tepor in mores invectus ; otium inde, obedientiæque contemptus, succisis solitudinis silentiique nervis, priscam severitatem et disciplinam, ingenti bonorum dolore, nonnullis in locis, multis tamen in hominibus, si non plane solverat, certe multum labefactarat.

In hanc quoque Dei Vallem nonnihil confluxisse illam morum colluviem graviter molesteque ferens Jacobus, accingens fortitudine lumbos suos, opportune importune arguit, obsecrat, increpat in omni patientia et doctrina, nunc has, nunc illas convellens perversas consuetudines, priscam vereque Cartusianam suis subditis sensim sine sensu reduxit disciplinam. In quo viri (ut et semper in omnibus) jam dicta patientia, sapientia, prudentia, mellea mansuetudo (a qua tamen salutaris quandoque non aberat aculeus), ea denique humilitas, quæ vel maxime repugnantes ingenti suffunderet pudore, singulariter emicuerunt. Memor illius Sapientis, *Salus ubi multa consilia,* hoc semper habuit eximie, ut ratione plurimum et consilio uteretur. Unde in cunctis lento festinabat gradu. Hinc sane vix quicquam aggrediebatur, quod optatum non sortiretur exitum. Deus quippe diligentes se diligens, illum amabat et regebat a quo se amari probe norat, et divini Numinis causa ad omnia paratissimum.

Hujus rei gratia nullis vigiliis, nullis unquam pepercit laboribus, nullis etiam sumptibus. Quoties illum supra vires laborantem, primum in templo, primum in vigiliis, primum in cantus et divinorum Officiorum muniis ! Quoties supra modum, nulla scilicet vel ætatis vel valetudinis habita ratione, tum ab ecclesia tum ab Ordine indicta jejunia stricte observantem, Dei amantissimum, sui osorem, subditorum Parentem optimum, summa in afflictos, in pauperes, in infirmos, in omnes tanta charitate affectum mirati sunt universi, adeo ut, indutus misericordiæ visceribus, neminem a se vel a subditis suis indonatum abire pateretur !

Cum aliquot annos in Prioratu degisset, is qui Prioratum ante recusarat, Majorisque Cartusiæ formidarat iter Prioribus quandoque faciendum, jam non unius, sed omnium per Galliam Cartusiarum visitandarum coactus est suscipere et singulis annis peragrare provinciam. Gravem hanc et difficilem imprimis administrationem continuo ac incredibili pene labore per annos viginti, qua Visitatoris collega, qua Visitator ipse primarius præclare sustinuit, factis et verbis plane mirabilis : paratus vir præstans ad quævis potius perpeti, quam suo tanti ponderis muneri deesse.

Dici non potest, quo studio, qua sollicitudine ac diligentia, quibus laboribus et periculis, quo Divinæ gloriæ, quo Ordinis zelo in illud incubuerit. Domi literis undique ingruentibus, responsabat tanta sedulitate, tanto ac pertinaci

labore, ut nullum sibi prius permitteret quiescendi locum, quam cunctis satisfecisset : ne sua dilatione vel diversa quærentium animi, vel Domorum status minus recte haberentur. Nihil tamen de frequentanda ecclesia, nihil de solitis vigiliis remittebat. Quis credat hominem tot negotiis occupatum tomos Annalium Cardinalis Baronii non paucos in Epitomen redigere, plures autem, imo omnes, si Henricus Spondanus non prævenisset ?

Porro plenus animi, quietis parcus, laboris supra vires patiens, adeo magnis quotidie itineribus Provinciam lustrabat, ut equos et comites prope enecaret labore. Unde Patrum ad Cartusiam proficiscentium pauci erant, qui ejus delectarentur comitatu. In hospitiis certe quidem : nam viro alioquin gravi et austero frequentes non deerant sales lepidæque narratiunculæ, quibus urbane dictis mire recrearentur audientium animi. Nec tamen hac urbanitate, nec illis maximorum itinerum laboribus adductus unquam fuit, ut plus solito sibi indulgeret ; sed, ut domi, sic et foris semper sui similis, observantiæ regularis ad Statutorum normam extitit tenacissimus, adeo ut solitam a butyro cæterisque lacticiniis abstinentiam ubique servaret.

Multos annos in Prioris et Visitatoris officio magna cum prudentiæ ac sanctitatis laude exegerat, cum ad extremam laborum metam perveniens, tandem editis patientiæ et cæterarum virtutum exemplis, ad coronam immarcescibilem percipiendam evocatur. Funus a frequente populo celebratum fuit, nitentibus certatim omnibus ditari tanti Patris reliquiis.

Ex Mss. Cartusiæ Vallis Dei.

GERARDUS ELIGIUS

VICARIUS BRUXELLENSIS

Luxemburgensis, natus anno 1590, die 22 Julii ; professus Cartusiæ Bruxellensis, ejusdemque monasterii Vicarius; alias etiam Vicarius Sylvæ Ducis et Antverpiæ, necnon Confessarius monialium Brugis. Vir pius, humilis, austerus sibi, aliis benignus ; vigiliis, jejuniis et disciplinis multum addictus ; non minus Ciceroniana eloquentia clarus, quam vitæ sanctimonia. Spiritum Deo reddidit anno 1641, die 30 Decembris.

Ex Mss. Cartusiæ Bruxellensis.

XXXI DIE DECEMBRIS

JOANNES DE CLARAVALLE

CLERICUS REDDITUS CARTUSIÆ

Hunc recensemus in Ephemeridibus nostris, cujus Charta capitularis anni 1379 perhonorificam facit mentionem in hunc modum : « Obiit ultima die Decembris Frater Joannes de Claravalle, Clericus Redditus et sacerdos Domus Cartusiæ, qui multum et longis temporibus pro Ordine laboravit. Qui habet Tricenarium per totum Ordinem et plenum cum psalteriis Monachatum ; et recepta et audita Charta Capituli, quælibet persona Ordinis dicat ter *Ave Maria ;* et dies obitus ejus in Calendariis Ordinis scribatur. »

JOANNES DE GOUSNANS

CLERICUS REDDITUS LUVINIACI

Generis splendore contempto, inter hujus monasterii Clericos Redditos adscriptus, singulari effulsit humilitate. Egit hic Procuratoris officium, multumque amicorum suorum opera promovit res domesticas. Aderat divinis Officiis, suam in monachorum choro sedem occupans. De Domo bene meritus, pie decessit anno 1401, die 31 Decembris. Cujus corpus depositum fuit in Capitulo, ubi etiamnum hoc legitur Epitaphium :

Cy gist Jean de Gousnans
Noble chevalier en son temps,
Qui vingt quatre ans a passé
En vertu et humilité.
En Decembre dernier jour
Rendit l'ame a son Creatour
L'an mil quatre centz et un.
Priés Dieu qu'il lui donne pardon.

Juxta ejus effigiem hæc inscriptio apposita est :

Non desperetis, vos qui peccare soletis,
Exemploque meo vos reparate Deo,
Et salvi eritis.

Ejus obitus in Necrologio Luviniaci notatur his verbis : « Anno Domini 1401, die 31 Decembris, obiit F. Joannes de Gounant Clericus Redditus hujus Domus, et quondam in sæculo miles strenuus ac Dominus de Gounant in Comitatu Burgundiæ, sub dominio Comitis Montis Belligardi ; qui sepultus est in Capitulo. Qui tanta bona tam ex parte sua, quam aliorum Dominorum et amicorum suorum, contulit nobis, et per 24 annos et ultra tam religiose et

humiliter conversatus est nobiscum, ut merito a nobis et successoribus nostris in memoria perpetuo sit habendus. »

Duo Breviaria Joannes ad suum usum describi curaverat, ad quorum unius calcem exaratæ sunt subsequentes lineæ.

« Ou nom de Dieu. Amen. Sachent tuit qui ceste presente escripture verront. Que le Samedi jour de l'assumpcion nostre Dame, xve jour du mois d'aoust, l'an de l'incarnacion Nostre Seignour MIL CCC LXX VII, noble homme messire Jehan de Gouhenans chevalier seignour de Gouhenans en la Contée de Bourgoigne soubs la Seignorie du Conte de Montbelyart, entra en l'ordre de Chartrouse en estat de frere Clert pour ce que bonnement ne pouvoit estre prestre ou Couvent du dit Ordre de Lugny les Barbarans en la diocese de Langres. Et le dit jour de l'assumpcion nostre Dame l'an revolut qui fu l'an MIL CCC LXX VIII, fist profession solennelment ou dit Ordre et ou dit Couvent.

« Lequel chevalier estant de sa franche et liberale volenté par quoi il povoit ordener de ses biens a son plaisir. Et avant que il feist profession ordena que des biens que Diex li avoit donnés fussent faiz un breviaire en ij volumes dont c'est cy la primiere partie, un Collectain, un livre de Novices, tous ces livres a l'usage du dit Ordre. Et uns estatus d'iceluy Ordre en francois pour ce que il ne entendoit pas bien Latin. Pour soy aidier des dis livres sa vie durant en quelque lieu, que il se transportast. Et avec ce ordena que apres son deces les diz livres fussent du dit Couvent de Lugny pour l'usage des moines et freres estant en iceluy Couvent, especialement de ceulx qui seroient en l'onfermerie, toutes fois que aucuns en y avoit.

« Et pour les diz livres faire fare a Paris bailla et delivra les monoies a deulx siens amis hospitaliers prestres de l'Ordre de l'ospital de saint Jehan de Jerusalem, demourans en l'ostel de l'ospital Saint Jehan a Paris. Des queulz l'un estoit appelé Frere Jehan le Roy, et l'autre Frere Jehan du Temple filleul du dit frere Jehan Le Roy, les queulx avoient grant cognoisance au Couvent des Chartreux de Paris. Les queulx deulx hospitaliers a la priere et requeste du dit frere Jehan de Gouhenans firent faire les diz livres a Paris. Si supplient y ceulz freres Jehan de Gouhenans, Jehan le Roy et Jehan du Temple a tous ceulx qui aront aisement des diz livres et a chascun deulx, que ils vueillent prier Dieu pour leurs ames, que Diex leur face vray pardon. Amen. »

PHILIPPUS

DONATUS MONTIS DEI

Aquitanus. Cum ab Obedientia rediret, ab Hæreticis grassatoribus interceptus intra monasterii clausuram, tra-

jectusque sclopeto, cum ad terram corruisset, adhuc palpitans ab omnibus concisus est gladiis minutatim, non simplici defunctus martyrio. Quem, die altera, iidem Hæretici in cœmeterio communi ridiculæ sepulturæ mandarunt cum execrandis ceremoniis et cantillationibus theatralibus in derisionem Ecclesiasticorum rituum. Cum quo etiam alii Religiosi multis vulneribus affecti et opprobriis vexati, nihilominus tandem convaluerunt. Occisus est præfatus Frater anno 1590, 31 Decembris.

Ex Mss. Montis Dei.

SUPPLEMENTUM

ELOGIA

AD CERTAM DIEM NON ASSIGNATA

HIERONYMUS DE CUSIGNANA

PRIOR MONTELLI

Cujus Chronicon Montelli his verbis meminit : « Electus in Priorem anno 1368, zelo observantiæ et pietatis adeo refulsit omnibus qui in Domo et extra Domum fuerant, ut sanctitatis ejus communis æstimatio tantum ipsi venerationis tribuerit, quod, cum sæpissime visitaretur ab Illustrissimo Domino Philippo de Maisières, Regis Cypri Cancellario et Caroli V regis Franciæ Consiliario, hic procul a monasterio ab equo desiliens, ac pedester V. P. Priori occurrens, « Non decet, aiebat, amicum Dei et Angelum Domini invisere, nisi cum summa reverentia et humilitate. » Et in gratiam tanti viri Philippus iste, vir etiam sanctitate celebris, amplas possessiones propriis sumptibus acquisitas huic monasterio cessit. »

GALGANUS BAROCCIUS

PRIOR BONONIÆ

Domini Vannis Baroccii Senensis filius; professus Maggiani, ubi præerat anno 1326. Postea admotus regimini Domorum Parmæ, Bononiæ, et Casularum, cum se se strenuum Pastorem ac vigilantissimum gessisset, plenus dierum ac bonorum operum, decessit hospes in Cartusia Romana, factus unus ex primis hujus novæ Domus incolis. Hujus obitus signatur in Charta anni 1371.

GRATIOSUS

MONACHUS MONTELLI, ET ALII

Quorum Chronicon Montelli his verbis meminit :

« Circa annum 1400, grassante peste in Tarvisina regione, sublatisque hoc morbo in Cartusia duobus Conversis, simili morbo percussus V. P. D. Gratiosus, vir prudentia clarus et religione, ac tunc cujusdam Novitii Magister, ad extrema pervenerat. Cujus discipulus lachrymabundus dicebat : « Heu ! Pater charissime, orbatum spe et solatio tu me relinquis? » — « Nequaquam, fili mi, respondit ille ; ego vado, et tu me sequeris. » Quod factum est : obierunt enim ambo, alter non longe ab altero.

« Post obitum P. D. Gratiosi, commendaverat P. Prior, D. Simon Pisanus, professus Domus Bononiensis, Novitium Patri Sacristæ, piissimo Religioso ; sed et juvenis ipse in instanti peste laborans,novissima vitæ suæ agebat momenta.Cui Pater Sacrista : «Sperabam, dilecte Frater, videre te Sacerdotem, teque in Domino frui ; sed nulla de hoc mihi remanet spes, quia nulla tibi restat vitæ.»Tunc suavi risu et prophetico spiritu dixit Novitius : « Ne doleas, Pater ; ego hodie præibo, et post me, tu quoque venturus es. » Quod vere evenisse constat.

« Cessit et huic fato quidam F. Joannes Baptista. Qui, priusquam moreretur, de lectulo surgens, quærebat quem diligebat anima sua ; et Crucifixum magna compunctione deosculans, humi prostratus, diem extremum clausit, ea qua vixerat sanctimonia moriens. »

PETRUS DE TRINITATE

CONVERSUS VALLIS PISII

Vir eximiæ probitatis ac conversationis religiosissimæ. Falso accusatus fuit ab homine nefario apud Serenissimum Sabaudiæ Principem (tacito tamen Fratris nomine), ita ut dire patibuli periculum incurreret, nullo tamen commisso crimine. Verum cum Petri et monastica professio et innocentia (Priore injuriam expostulante) innotuisset Principi, ille tantum nefas detestans, jussit subito dimitti Fratrem, ac morte mulctari calumniatorem. At is fuga saluti suæ consulens, tandem necessitate compulsus, nesciens quo pergere, se se in porcorum stabulum, quo vita potiretur, in prædio Vallis Pisii latitavit. Effulsit tunc in eum Petri charitas ; suum enim accusatorem cum eximia humanitate ac benignitate suscipiens, omnia ei exhibuit officia, donec ille majorem invenisset securitatem.

Ex antiquis Monumentis Cartusiæ Vallis Pisii.

Petri de Trinitate obitus signatur in Charta Capituli generalis ad annum 1425.

BONINUS ASTENSIS

PRIOR ASTENSIS

Vir eximiæ sanctitatis et humilitatis; qui constanter oblatum, anno 1448, sibi

Cartusiæ Astensis Prioratum recusans, maluit delitescere in abscondito faciei Domini. Ut patet ex Charta Capituli generalis anni 1448; et ex Catalogo Virorum illustrium Ordinis nostri, impresso Bononiæ, 1664, typis Joannis Baptistæ Ferronii.

STEPHANUS DE BUSSIERIS

VICARIUS GLANDERII

Vivebat sub Prioratu Matthæi Blanchardi. De quo manuscriptus Codex agit his verbis : « Domnus Stephanus de Bussieris, qui multo tempore laboravit in exercitio officii Vicarii. Et licet dolore stomachi valde esset gravatus, non cessavit libros in littera formata scribere. Patienter multas sustinens infirmitates, pluries a cibo abstinuit, etiam per decem vel duodecim dies, potu aquæ frigidæ contentus. Tandem octogenarius suavem mortis somnum excepit. » Obitum ejus signatum credo ad annum 1487, ubi dicitur Stephanus de Fonceris.

JOANNES DE CRUZELLIS

MONACHUS GLANDERII

Professus primo Caturci, secundo Glanderii; cujus obitus legitur in Charta anni 1488. De quo sic agit manuscriptus Codex Glanderii : « Hic, expletis 80 annis, migravit ex hoc sæculo, præsentibus cunctis Fratribus, ipso loquente; nec visus est in mortis articulo agonizare. Hic exercuerat officium Sacristæ et Procuratoris multo tempore. Jacet in nostro cœmeterio. » Recensetur inter monachos qui sanctitate floruerunt in hac Cartusia.

BERNARDUS DE SCURA

PROCURATOR GLANDERII

Vir eximiæ probitatis; per viginti quinque annos strenue admodum et religiose Procuratoris officio functus, decessit ea morte, quam antea prædixerat. Cujus obitus signatur in Charta anni 1499.

JOANNES DE SANCTO MARTINO

RECTOR GRANATÆ

Vir eximiæ virtutis et exemplaris admodum vitæ; qui Procuratorem agens Granatæ per annum orbatæ Pastore, post necem Francisci de Padilla, rem administravit domesticam magna cum laude. Ubi etiam factus Rector, et ad suam instantiam a Comitiis anni 1530 absolutus, postea Procuratoris et Vicarii officium exercuit in Domo de Paulari suæ professionis : ibidem mortuus, anno 1530.

ANTONIUS BORRASSA

PRIOR MAJORICARUM

Nobilis Majoricensis. Initiatus Sacerdotio, ad montem Randæ secedens, per aliquot annos ad omnem pietatem pueros instituit : humilitatis enim Christianæ studiosissimus vir, Ludimagister fieri non dedignatus fuerat. Verum cum perfectus Christi discipulus esse vellet, nomen suum et omnia bona sua sat ampla dedit Majoricensibus Cartusianis. Admotus postea Procuratoris officio, id munus egit religiose simul et utiliter. Unde ad Prioratum eremi hujus promotus, anno 1549, in hoc perseveravit usque ad annum 1576. Ob senectutem exauctoratus, impositum tamen sibi Vicariatum coactus suscipere, plenus dierum et bonorum, spiritum Deo reddidit, anno 1582, ingenti apud domesticos et extraneos relicto sui desiderio. In Charta capitulari, ubi ejus obitus signatur, Petrus Borassa nominatur.

Extat fragmentum Epistolæ R. P. Bernardi Carassi Prioris Cartusiæ, in argumentum pacis et observantiæ, qua Domus hæc floruit sub hujus Patris regimine. Sic ille scribit : « Recepimus et legimus, quæ de communi pace vestra et mutua ad invicem charitate ac unitate animorum servatis. Unde gratias agimus Deo, illum deprecantes, ut vos in hujusmodi et bene cœptis sua sancta gratia confirmare dignetur, et per eamdem gratiam, ad suam æternam gloriam dirigat et conservet. Salutamus omnes, et eorum ac sanctis vestris precibus apud Deum commendari cupimus. Dependente quod ab Ordine commode visitari non potestis (*fortasse propter lamentabiles clades et incursus piratarum Sarracenorum, qui totam Europam affligebant*), vos rogamus, ut timor et amor Dei sint vestri ac nostri Visitatores, et in hujusmodi proficere et perseverare contendamus, etc... 1573. »

MARCUS

MONACHUS VENETIARUM

Rerum cœlestium contemplationi addictissimus, extaticus, et tanta Dei charitate flagrans, ut amoris ejus scintillæ super faciem ipsius coruscarent. Hoc igne, quem Dominus noster Jesus Christus misit in terram, tanquam aurum in camino purgatus, ad beatam immortalitatem evolavit, opinione sanctitatis relicta. Ejus obitus signatur in Charta anni 1576.

LAURENTIUS JORDANI

PRIOR PADULÆ

Calaber, a Francavilla; vir spectatissima prudentia et lenitate, simulque charitate in pauperes commendatissimus. Eremi S. Laurentii de Padula, eo

tempore, spiritualem et temporalem dirigebat statum, quo Principatum Citra (ita loqui fas est cum vulgo, ad exemplum eruditorum hominum), uberrimam licet Provinciam, dira ex sterilitate soli torquebat fames.

Jussit ille monasterii horrea indigentium patere turmis; et licet, iis jam pene exhaustis, forent qui suaderent minuendam effusiorem ad ostium stipem, ut monachis reliquum foret quo vescerentur ad annum, puduit subtrahere mendicis quod servaret monachis. Immo, quo cæteri rem suam divinæ Providentiæ minus committere videbantur, Laurentius spe auctior, eleemosynam augeri mandavit; et allatum de Cœlo auxilium pietati ac jactæ in Dominum cogitationi egregie respondit. Siquidem, et horreum inane frumento nocte e Cœlo ingesto repletum; et colonis in Grangia, S. Basilii nuncupata, terram effodientibus, fovea patuit, cui inditum *Oris aurei* nomen ob ingentem annonæ exuberantiam, quam exhibuit. Nam et monachis et pauperibus supra indigentiam provisum, et, bona parte divendita, non nihil etiam annui census monasterio adauctum.

Ex Tabulis Padulæ.

De eo idem refert Carolus Josephus Morotius in Theatro Chronologico Ordinis Cartusiensis, sub nomine Laurentii a Francavilla; sed perperam ejus obitum ad annum 1575 ponit. Decessit solitarius Laurentius in Domo suæ professionis, juxta Chartam Capituli generalis anni 1590; ubi tantum per unum annum præfuit.

JOANNES RANDO

MONACHUS XERITII

Vir plane misericordiarum in pauperes, sanctæ admodum vitæ; ita addictus contemplationi Cœlestium, ut ibi mente habitaret, ubi suum fixerat cor. Totus in divinæ Bonitatis pelago erat immersus, nihilque in ore ejus, nihil in sermone nisi Deus sonabat. Post decem annos in Ordine exactos, cupiens dissolvi et esse cum Christo, voti compos factus est, anno 1619 mortuus.

GUNDISALVUS DE PADILLA

PRIOR XERITII

Nobilis Xeritianus. Ad Christi vexillum convolat, anno 1567, die 24 Augusti, hac in eremo; ubi statim ad legum observationem, obedientiam, solitudinis et orationis studium omnemque virtutem incumbens, magnam tunc de se expectationem fecit. Multa illi, imo assidua fuit consuetudo cum Deo: cui perpetuo adhærens, vivum exemplar fuit et speculum innocentiæ, modestiæ, humilitatis et charitatis, qua, in omnes officiosus, de nemine cogitabat malum, de omnibus bene sentiebat, nulliusque

unquam audiebatur famam vellicare. Mire suam in infirmitatibus comprobavit patientiam. Per biennium hydropisi laborans, cupiebat adhuc majora pati pro Dei amore.

Assumptus ad hujus monasterii moderamen, splendidiores suæ sanctitatis sparsit radios, dum mansuetudine, compassione in afflictos, discretione, prudentia, zelo, cæterisque virtutibus hanc dignitatem nobilitavit: quam tamen abdicavit, pertæsus Marthæ ministerio. Verum cum rursus fuisset coactus capessere administrationem, ex hac tandem a Comitiis exoneratus ob suas infirmitates, crurium ulcera animo perquam magno ac tolerantia plane palmari sustinuit. Per septem menses in lectulo decumbere non valens, diu noctuque hærebat super sedile, non sine ingenti sensu doloris. Ipse interim lætus et alacer, sui ad extremum usque compos, Sacramentis devotissime perceptis, repositam sibi coronam a Domino recepit, mortuus anno 1610.

FRANCISCUS DE ORTEGA

PRIOR DE COVIS

Vir omni genere virtutum excultus, exemplar omnis observantiæ regularis; professus de Covis, primum Prior Xeritii, deinde de Covis, cujus regimen abdicavit propter infirmitates. Decessit cum opinione sanctitatis. Ejus obitus signatur in Charta anni 1614.

ILDEFONSUS DE HERRERA

PROCURATOR XERITII

Vitam monasticam professus anno 1595, celebratur ob studium orationis inter temporalium administrationem, et castimoniam. Virginitatis siquidem florem semper servans illibatum, meruit, anno 1623, felici morte iis aggregari, qui sequuntur Agnum quocumque ierit.

FRANCISCUS VASQUEZ

CONVERSUS XERITII

Vota nuncupavit anno 1593; quem obedientia, castitate, carnis maceratione aiunt fuisse perinsignem. Extremo morbo correptus, postquam cum lachrymis sacro Christi Corpore refectus fuisset, animam pie efflavit, anno 1623. Cujus cadaver quod, dum in vivis esset, fœtorem pessimum exhalaverat, post ejus mortem, odore suavissimo illius cellulam replevit, non sine adstantium admiratione.

CLAUDIUS JANOT

PRIOR CATURCI

Lotharingus; Cartusiæ Sanctæ Crucis professus. Primo Vicarius ejusdem monasterii, deinde Bonæ fidei Prior et

Domus Ruthenæ; tandem Caturci religiosissimus Moderator, decessit, relicta opinione sanctitatis. Ejus obitus notatur in Charta anni 1626.

ILDEFONSUS SANCHEZ

DONATUS XERITII

Jam quinquagenarius inter Donatos admittitur, anno 1585. Quamvis ad vesperam vitæ venisset, ita tamen vigilanter ac strenue laboravit in vinea Domini, ut mercedem eorum, qui primo mane conducti fuerant, sit consecutus. Præcelluit siquidem simplicitate, morum integritate, mortificationis, silentii ac orationis studio, et singulari inter varias tribulationes patientia, et resignatione ad Divinam voluntatem. Denique, collectis bonorum operum manipulis, centum annos natus vivere desiit, beata donandus immortalitate. Cujus obitus signatur in Charta anni 1636.

EXPLICIT VOLUMEN QUARTUM

INDEX

INDEX

MENSIS OCTOBER

(PROSEQUITUR)

XXII DIE

XXIII DIE

XXIV DIE

XXV DIE

XXVI DIE

XXVII DIE

XXVIII DIE

XXIX DIE

XXX DIE

XXXI DIE

MENSIS NOVEMBER

IX DIE

X DIE

XI DIE

XII DIE

XIII DIE

XIV DIE

XV DIE

XVI DIE

XVII DIE

MENSIS DECEMBER

XIII DIE

XIV DIE

XV DIE

XVI DIE

XVII DIE

XVIII DIE

XIX DIE

XX DIE

XXI DIE

SUPPLEMENTUM



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis Monstrolij.
Ern. Duquat Typographus.